This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gr 23.34

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. Sophocles of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

"40
28115

DE EPIGRAMMATIS SIMONIDEIS.

DE EPIGRAMMATIS SIMONIDEIS.

PARS PRIOR:

COMMENTATIO CRITICA DE EPIGRAMMATUM TRADITIONE.

SCRIPSIT

M. BOAS.

GRONINGAE APUD J. B. WOLTERS, ANN. MCMV.

Gr 23.34

HARVARD COLLEGE
NOV 10 1906
LIBRARY.

Constantine Fund

Typis J. B. Wolters.

216

PATRIS DEMORTUI PIAE MEMORIAE

MATRI CARISSIMAE

VITRICO OPTIMO

L. S.

In hac commentatione conscribenda pro fundamento usus sum ea scriptione, quam ante tres annos certamine academicae iuventuti indicto aggressus sum, quaeque aestate anni MCMIII a Senatu Universitatis Amstelodamensis aureo praemio ornata est. Illius scriptionis priorem partem (de epigrammatum Simonideorum traditione) retractatam nunc emitto, alteram (de epigrammatum Simonideorum origine) propediem editurus.

De ratione ac consilio mei libelli dixi § 20 sq. Epigrammata laudavi secundum numeros Bergkianos (PLG.⁴); qui numeri ut nituntur principio multis de causis reiciendo, ita per tot annos a viris doctis usurpati sunt, ut eos in hoc priore volumine mutare noluerim.

Restat, ut perfungar officio et debito et mihi gratissimo. Primo loco Tibi gratias ago, clarissime KUIPER, *aestumatissime promotor, cum pro institutione Tua praeclara, tum pro consiliis et monitis, quibus mihi scriptionem meam retractanti affuisti. Vos quoque, viri clarissimi* BELLAAR SPRUYT (†), NABER, VAN DEN ES, VALETON, KARSTEN, SIX, *quorum lectionibus exercitationibusque philologicis in Academia Amstelodamensi interfui, studiorum primitias edenti mihi hoc loco commemorandi estis, ut tester, quantum Vobis acceptum referam.*

Denique gratias ago viro clarissimo HUGONI STADTMUELLER, *professori Heidelbergensi. Is enim fructus, quos ex egregia eius editione Anthologiae perceperam, haud mediocriter auxit, cum roganti mihi apparatum criticum epigrammatum Simonideorum in Anthologiis obviorum, quae nondum edidit, comiter commisit, et alias quoque quaestiones ad Anthologiam pertinentes solvere voluit.*

SCR. AMSTELODAMI
m. Junio MCMV.

SUMMARIUM.

CAP. IV. DE VIA AC RATIONE COLLECTORIS . . pag. 229—244

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 3 v. 12 *pro* XXXIV *lege* XXXV.

» » » 40 » ἡγέμονας » ἡγεμόνας.

» 4 » 4 *dele* in.

» 12 » 19 *pro* στήλησι » στήλησί.

» » » 20 » ἐπιγράμμασι » ἐπιγράμμασί.

» 14 » 21 *dele* § 137, 6.

» 22 n. 30 v. 8 *pro* Herodote » Hérodote.

» 26 » 40 » 4 » iudicant » iudicarent.

» erat » esset.

» 31 v. 17 *pro* crederetur » crederentur.

» 33 » 15 » 144 » 146.

» 40 » 6 *post* libri *excidit* capite.

» 53 n. 23 v. 5 *add.* Cf. § 132 n. 174.

» 54 » 27 » 1 *pro* annis *lege* annos.

» 55 » 30 » 3 » βουθοῦντας » βοηθοῦντας.

» 61 v. 31 » textum » textu.

» 64 n. 40 v. 3 » Graeciam » Graeciae.

» 66 v. 3 » 144 » 146.

» 73 » 21 » ignorasse » ignorare.

» 80 » 10 » medii » prioris partis. [Cf. p. 153 v. 3].

» » » 19 *add.* Cf. § 137,6.

» 86 » 20 *post* ab eo *excidit* (cap. 36).

» 110 » 28 *pro* 132 *lege* 138.

» 112 » ult. Praeter Stephani glossam *Ἀκαμάντιον* Herodianum adhibuisse Coronam Meleagream demonstrant glossae eiusdem *Δύμη* et *Ἑσπερίς*. *Δύμη πόλις Ἀχαΐας ἐσχάτη πρὸς δύσιν, ὅθεν καὶ Καλλίμαχος ἐν ἐπιγράμμασιν ʽεἰς Δύμην ἀπιόντα τὴν Ἀχαιῶν'*, quae glossa a Lentzio restituta est in Cathol. Prosod. cap. XII canon. *τὰ εἰς $\overline{μη}$ φύσει μακρᾷ παραληγόμενα βαρύνεται* (I p. 326, 3); *Ἑσπερίς πόλις Λιβύης. ὁ πολίτης Ἑσπερίτης. Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν* [ep. 37 Wil.] (*quod epigramma servatum est in AP.* sc. XIII. 7: v. 5 sq. *τοὺς δ' ὀιστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται*), — hanc glossam Lentz in Herodiani libri *περὶ παρωνύμων* canonem *περὶ τῶν εἰς -ιτης* revocavit II. 867, 20.

Ad Herodianum praeterea Simonideorum epigrammatum memoriae apud grammaticos posteriores aliquot referendae esse mihi videntur sc. ap. Ps.-Tryphonem fragmentum epigrammatis 159 (cf. § 113) et glossam *ἀκοντοδόκος* in Etym. Magn. 50, 56 (cf. § 127 n. 165); fortasse etiam Stobaei ecloga Ecl. Phys. I. 8. 22 (cf. § 110). [Cf. p. 249.]

Pag. 113 v. 9. De Pausania adversaria sua ex litterariis fontibus supplenti cf. Busolt. II.[2] 61 n. 2.

» 122 » 28 *pro* pertexit *lege* pertexuit.

» 130 » 30/31. Iniuria omisi exordium scholii (*ἔνιοι μὲν Ἑλλάδα τὴν Σικελίαν ἤκουσαν, τινὲς δὲ Ἑλλάδα τὴν Ἀττικήν*) in errorem inductus fragmenti Ephorei textu in FHG.; post illa verba sequuntur verba cancellis inclusa; ea a scholii forma primaria aliena esse etiam docet brevius ad eundem locum scholion eiusdem argumenti, in quo post exordium supra laudatum fragmentum Ephoreum statim sequitur.

» » » ult. *pro* *ἕτοιμων* *lege* *ἑτοίμων*.

» 134 » 18 Scholiasta mentitur professus in codd. Theocriteis legi *θεῖος ἀοιδός*; obversari enim ei videtur locus ille Platonis Rep. I. 331 E, ubi Simonides *θεῖος ἀοιδὸς* vocatur; quod Ahrensium in ann. crit. ad Theocr. fugisse videtur.

» 150 » 12 *pro* 179 *lege* 178.

» 193 » 19 Ep. 179 etiam a Suida respicitur s. v. *ἐρήμη δίκη*: ....*καὶ ἐρημαίην σπήλυγγα* (debuit *σπιλάδα* ep. v. 2)· *ἐρημικὸν σπήλαιον*.

CAPUT I.

DE FUNDAMENTO QUAESTIONI SIMONIDEAE SUBSTRUENDO.

§ 1. *Virorum doctorum scripta.* Epigrammata, quae per varios scriptorum Graecorum libros dispersa Simonidis Cei nomine feruntur, ab Ursino Allatio Brunckio Jacobsio Gaisfordio collecta omnium testimoniorum apparatu instructa composuerunt Schneidewin in Simonidis reliquiarum editione[1]) atque Bergk in Poetarum Lyricorum Graecorum volumine III. In quorum epigrammatum fidem atque originem viri docti certa ratione atque via inquirere demum coeperunt, postquam Aem. Aug. Junghahn (1869) magnum eorum numerum, quorum fides usque ad id tempus ne addubitata quidem erat, Simonidi abiudicandum censuit. Quibus

---

1) Fulvius Ursinus in libro 'Carmina Novem Illustrium Feminarum .... et Lyricorum .... Elegiae .... Bucolica (Antv. 1568)' Simonidis epigrammata fere omnia usque ad id temporis nota — exceptis igitur iis, quae unice in Anthologia *Palatina* leguntur — p. 157—169 edidit annotationibusque instruxit p. 328—335. Leo Allatius, cum in libro 'de Simeonum scriptis diatriba (Paris. 1664)' etiam de Simonide dissereret eiusque epigrammatum seriem laudaret p. 212 sqq., Ursini copiis neglectis praeter perpauca alia adduxit viginti fere epigrammata ex codice *Palatino* ipso, cuius cum ceteris Bibliothecae Palatinae libris manuscriptis a Maximiliano Bavariae Duce Sedi Apostolicae donatis a. 1622 Heidelberga Romam transferendi Allatio negotium mandatum fuerat. Brunck in 'Analectis Veterum Poetarum Graecorum' I (Argentorati 1776) p. 130—147, collegit omnia fere epp. cum ex scriptoribus tum ex Anthologiis Planudea atque Palatina nota; quae commentariis instruxit Jacobs in 'Animadversionum in Epp. Anthologiae Graecae' vol. I (Lips. 1798) p. 216—273. Gaisford in 'Poetarum Minorum Graecorum' vol. I (Oxon. 1814) illa epp. repetivit p. 359 sqq. receptis quoque iis, quae ab Ursino errore Simonideis adiudicata erant, neque ullo discrimine facto inter *μελῶν* Simonideorum fragmenta atque epigrammata. Schneidewini libri, qui Brunsvigae prodiit a. 1835 'Simonidis Cei Carminum Reliquiae' inscriptus, altera pars Epigrammatis dedicata erat.

De epigrammatum numero videant lectores cap. III § 39 n. 1. Testimoniis a viris doctis collectis ipse addere potui testimonium ep. 147 apud Schol. Hermog. VII. 1084 Walz. (§ 79) et testimonium universum de epp. Simon. apud Aristidem de IV vir. 215 D. (§ 132).

variis viis viri docti quaestionem Simonideam solvere conati sunt, eas lectoribus proponam (§ 21), cum facultatem adeptus ero diiudicandi, quid ex eorum studiis recipiendum, quid reiciendum sit. Qua re — quae certissima in tali materie tractanda est via — quaeram, quamnam rationem tractandae quaestionis vetustissimum de epigrammatis Simonideis testimonium commendare videatur.

Enumerata autem hic sunt scripta de quaestione Simonidea praecipua; minora suo loco laudabuntur:

1. Ae. A. Junghahn. De Sim. Cei epigrammatis quaestiones (Vierter Jahresbericht über das Luisenstädtische Gymn. in Berlin). Berl. 1869.

2. G. Kaibel. Fleck. Jb. CV. 1872, p. 792 sqq. (*censura libri Junghahnii*).

3. G. Kaibel. Quaestiones Simonideae. Rh. Mus. XXVIII. 1873, p. 436 sqq. (*Kaibelii nomini paginae tantum numero adiecto hanc commentationem laudavi*).

4. Th. Bergk. P. L. G.^{4} vol. III. 1878/82, p. 426—520 (*in epigrammatis laudandis huius editionis numeros secutus sum*).

5. U. von Wilamowitz—Moellendorf. Ein altattisches Epigramm. Herm. XX. 1885, p. 62 sqq.

6. B. Keil. Zu den Simonideischen Eurymedonepigrammen. Herm. XX. 1885, p. 361 sqq.

7. E. Hiller. Zu den Simonideischen Epigrammen. Philol. XLVIII. 1889, p. 229 sqq.

8. Th. Preger. De epigrammatis Graecis meletemata selecta. Monac. 1889, p. 1 sqq. (*diss. inaug.*).

9. U. de Wilamowitz—Moellendorf. Commentariolum grammaticum IV^{um} (Index schol. Gotting. hibern.). Gottingae 1889, p. 3—7 (*utor siglo 'Comm.'*).

10. Th. Preger. Inscriptiones Graecae metricae ex scriptoribus praeter Anthologiam conlectae. Lips. 1891 (*passim*).

11. G. Kaibel. Gött. gel. Anz. 1892, p. 89 sqq. (*in libri Pregeriani censura*).

12. R. Reitzenstein. Epigramm und Skolion. Giessen. 1893, p. 104 sqq.

13. H. Stadtmueller *passim in editione Anthologiae Palatinae (libr. I—VII)* Lips. 1895, '99.

14. A. Hauvette. De l'authenticité des épigrammes de Simonide (Biblioth. de la faculté des lettres de Paris vol. I). Par. 1896.

15. St. N. Dragumis. *Σιμωνίδου ἐπίγραμμα καὶ ὁ ἐν Σαλαμῖνι τάφος τῶν Κορινθίων.* Mitt. arch. Inst. Athen. XXII. 1897, p. 52 sqq.

16. U. von Wilamowitz—Moellendorf. Simonides der Epigrammatiker. Nachr. Gött. Ges. phil.-hist. Kl. VI. 1897, p. 306 sqq. *(hanc viri cl. commentationem solo paginae numero laudavi).*

17. Th. Homolle. Les offrandes delphiques des fils de Deinomenès et l'épigramme de Simonide. Mélanges Weil. Par. 1898, p. 206 sqq.

18. A. Wilhelm. Simonideische Gedichte. Jahresh. öst. arch. Inst. II. 1899, p. 221 sqq. (*cum appendice* ibid. III. 1900, p. 98 n. 6).

19. E. Meyer. Forschungen zur alten Geschichte II. Halle 1899, p. 9 sqq. (*in commentatione 'die Biographie Kimons'*).

20. E. Schwartz. Herm. XXXIV. 1900, p. 117 sqq. (*in comm. 'Kallisthenes' Hellenika'*).

21. U. von Wilamowitz—Moellendorf. Die Textgeschichte der griechischen Lyriker (Abh. Gött. Ges. N. F. IV. 3). Berl. 1900, p. 35 sqq.

22. G. Setti. Simonide di Ceo e l'autenticità de' suoi epigrammi. Rivista di filol. class. XXVIII. 1900, p. 471 sqq.

23. Th. Reinach. Les trépieds de Gélon et de ses frères. Rev. des étud. grecques. XVI. 1903, p. 18 sqq.

24. E. Bormann. Jahresh. öst. arch. Inst. VI. 1903, p. 244 sqq. (*in comm. 'Zu Denkmälerepigrammen des fünften Jahrhunderts v. Chr.'*).

§ 2. *Testimonium vetustissimum* praebet Herodotus lib. VII cap. 228, ubi eorum refert epitaphia, qui in Thermopylis praeclaram obierunt mortem: *θαφθεῖσι δέ σφι αὐτοῦ ταύτῃ τῇ περ ἔπεσον καὶ τοῖσι πρότερον τελευτήσασι ἢ* ⟨*τοὺς* Schaefer⟩ *ὑπὸ Λεωνίδεω ἀποπεμφθέντας οἴχεσθαι, ἐπιγέγραπται γράμματα λέγοντα τάδε* (ep. 91)·

μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννάσου χιλιάδες τέτορες.

ταῦτα μὲν δὴ τοῖσι πᾶσι ἐπιγέγραπται, τοῖσι δὲ Σπαρτιάτῃσι ἰδίῃ (ep. 92)·

ὦ ξεῖν', ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Λακεδαιμονίοισι μὲν δὴ τοῦτο, τῷ δὲ μάντι τόδε (ep. 94)·

μνῆμα τόδε κλεινοῖο Μεγιστία, ὅν ποτε Μῆδοι
Σπερχειὸν ποταμὸν κτεῖναν ἀμειψάμενοι,
μάντιος, ὃς τότε κῆρας ἐπερχομένας σάφα εἰδὼς
οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγέμονας προλιπεῖν.

ἐπιγράμμασι μέν νυν καὶ στήλῃσι, ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα, Ἀμφικτύονές εἰσί σφεας οἱ ἐπικοσμήσαντες· τὸ δὲ τοῦ μάντιος Μεγιστίεω Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπεός ἐστι κατὰ ξεινίην ὁ ἐπιγράψας. Ibi igitur Simonidis, ut *τοῦ ἐπιγράψαντος*, nomen

cum tertio epigrammate coniungitur. Tanta autem apud scriptores, qui Simonidea epigrammata laudant, in poetae nomine adiciendo aut omittendo occurrit inconstantia, ut bonae fortunae tribuendum videatur, quod in hoc loco, quem vetustissimum esse dixi, omnino Simonidis nomen legitur. Etenim epigrammatum (138, 111), quae apud eum inveniuntur, qui ex testibus nostris Herodoto aetate proximus est, Thucydidem (I. 132, VI. 59) dico, hoc ex Aristotelis (Rhet. I. 9. 31), illud ex Anthologiae Palatinae (VI. 197) auctoritate inter Simonidea est receptum.

Inter viros doctos quaestio est controversa, quae necessitudo inter Simonidem atque tria illa epigrammata extare videatur. Eorum Herodotei loci explicationes recensebo atque eatenus diiudicabo, quatenus ipsae novis difficultatibus locum dare visae erunt.

§ 3. *Virorum doctorum explicationes. a.* Bergk (p. 437) locum librariorum additamento inquinatum esse putat sc. voce *ἐπίγραμμα*, quae est in sententiuncula *ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα*; post illud *τὸ τοῦ μάντιος* et post alterum, quod statim sequitur, mente supplendum iudicat substantivum *σῆμα*, quo *ἐπίγραμμα* et *στήλη* comprehenderentur, locumque sic interpretandum: Amphictyones esse auctores monumentorum Peloponnesiorum [2]) et Spartiatarum, monumenti autem Megistiae Simonidem.

Haec interpretatio vel idcirco iustae obnoxia est suspicioni, quod v.c. pro certo habet locum pessumdatum esse interpolatione. Atqui ne sic quidem sententia, quam adipiscitur, recte se habere videtur. Herodotus enim, si eam, quam Bergk eum scripsisse putat, sententiam voluisset omnium simplicissimam, et sententiuncula interposita, qua continetur exceptio (*ἔξω ἢ κτλ.*), tota carere et epigrammata atque pilas distinguere supersedere potuit, sufficiebat enim scribere: *τὸ μὲν σῆμα τῶν Π. καὶ τῶν Σ. ἔστησαν οἱ Ἀμφ., τὸ δὲ τοῦ μάντιος Σιμωνίδης.* Accusativus post adverbium *ἔξω ἤ*, quem alios offendisse videbimus, Bergkio scrupulum iniecisse non videtur.

Simonidem omnium trium epigrammatum esse auctorem Bergkio exploratum est. Sane v.c. concedit 'Herodotum Simonidem monumenti auctorem, non elogii scriptorem dicere'. At 'poetam', inquit, 'qui primus hoc poesis genus praeclarissime illustravit, quando amici tumulum epitaphio decorat, non aliena opera usum esse consentaneum est'. Amphictyones autem 'gratificati sunt Simonidi, qui cum Amphictyonum rogatu publica monumenta versibus suis

---

2) 'Peloponnesiorum' epigramma ep. 91 nominabo; quamquam non solos Peloponnesios, qui laudantur, spectare carmen Herodotus ipse indicat. Qua de re vid. §§ 12, 14, 18.

ornavisset impetravit, ut pietati erga defunctum amicum satisfacere sibi permitterent'.

Hanc conclusionem ei accipiendam esse concedo, qui cum Bergkio arbitretur Herodotum Simonidem dicere *monumenti* Megistiae auctorem. Solvenda vero ei restabit haec quaestio, quid historicum induxerit, ut auctoritatem carminum Simonideam claris verbis lectoribus prodere supersederet.

In narrationis Herodoteae fontem non inquisivit Bergk, de fide non dubitat.

Quamquam in Bergkiana explicatione inesse mihi videntur bonae frugis quaedam, quibus postea mihi utendum erit, nimis tamen obnoxia est difficultatibus quam ut omnis accipiatur.

§ 4. *b.* Krüger, van Herwerden, Tournier. Hi Herodoti editores non solum vocem *ἐπίγραμμα*, quam Bergkium eliminavisse vidimus, sed sententiam *ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα* totam censent insiticiam. Quam ut delerent eos imprimis movisse videtur accusativus post adverbium *ἔξω ἢ* insolite pro dativo, quem sententia flagitaret, adhibitus [3]). Tournier (Rev. de phil. 1886, p. 69) praeterea ab hoc loco alienam duxit exceptionem Megistiae epigrammatis, quod nulla causa appareat, qua re Megistiam eo privaverint honore Amphictyones, quo ceteros omnes, qui in Thermopylis ceciderunt, affecisse dicantur. At vero nihil constat Amphictyones videri *denegasse* honorem vati, si non ipsos, sed Simonidem eum carmine ornasse constituendum erit.

His viris doctis auctoribus omnes igitur cippos Amphictyones posuisse omnesque epigrammatis ornavisse in priore parte sententiae dicuntur; alteram autem continere meram observationem de Simonide Megistiae epigrammatis auctore. At quaeritur, num quis Herodoti aetate dici potuerit *ἐπιγράφειν τινὶ ἐπίγραμμα*, qui in alicuius memoriam epigramma condidit; unde praeterea post *τὸ τοῦ μάντιος* suppleatur vocabulum *ἐπίγραμμα*, si sententia *ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐ π ί γ ρ α μ μ α*, pro emblemate habetur, equidem non assequor.

Neque magni est, quod Tournier scribit de Peloponnesiorum et Spartiatarum epigrammatum auctoribus: 'l'historien *sans doute* ne connaissait pas les auteurs des autres épigrammes, ou s'il les connaissait ne trouvait aucun intérêt à donner leurs noms'.

Haec explicatio difficultates non tollere sed effugere videtur neque quicquam continet, quod ad locum expediendum utile esse possit.

---

3) Krüger, quem in editione secutus est van Herwerden, hisce verbis defungitur: '*ἔξω* . . . . *ἐπίγραμμα* ist wohl zu streichen; jedenfalls müsste *τῷ* . . . . *ἐπιγράμματι* stehen'.

§ 5. *c.* Kaibel (Rh. Mus. 1873 p. 437 et GGA. 1892 p. 96) neque verba ἔξω — ἐπίγραμμα eicienda censet neque in iis offenditur accusativo, quem ex liberiore structura explicandum iudicat, nam 'obversabatur scriptori iam illud quod statim sequitur vocabulum ἐπιγράφειν'. Quae exceptio hac sententia significatur sc. Amphictyones non fuisse, qui vatem titulo exornassent, eandem continere censet alteram sententiae partem scilicet Simonidem fuisse, qui vatis cippum carmine exornavisset: *τὸ τοῦ μάντιος* (sc. *ἐπίγραμμα*) *Σιμωνίδης ἐστὶ ὁ ἐπιγράψας.* His verbis Herodotum significare Kaibel putat Simonidem et condidisse carmen et lapidi inscribendum curasse. Qui fieri potuerit, ut Simonides cippum non ipse posuisse dicatur, sic explicat v.c., ut Amphictyones poetae pilam *donasse* videantur. Kaibel hanc dedit loci versionem: 'für Epigramme und Grabmäler sorgten die Amph., nur das Epigramm für Meg. hat Simonides gemacht und auf die von denselben Amph. geschenkte Stele aufschreiben lassen, weil der Seher sein Gastfreund gewesen war'.

Quae interpretatio quamquam haud parum laudanda est, tamen non ab omni parte mihi satisfacere potest. Mitto quod Kaibel verbo ἐπιγράφειν et notionem epigrammatis condendi tribuit et illud inscribendum curandi. Multo gravior altera difficultas est. Etenim mos est, ut is, qui defuncto monumentum statuat, de suo et cippum comparet et inscriptionem inscribendam curet. Rem autem hanc habemus mirabilem Kaibelio auctore, quod pila dono detur ei, qui epigramma in ea insculpi iubeat. Qui hoc fieri possit, non intellego. Kaibelio igitur indicandum fuerat, quomodo et Amphictyonibus occasio data esset Simonidi doni offerendi et huic ab illis accipiendi.

Viro cl. Herodotum tradere videri Simonidem Megistiae epigrammatis esse auctorem iam dixi. Quis autem cetera epigrammata composuisset, Herodotum nesciisse putat, vel, ut accuratius sententiam suam exponit v.c. in posteriore commentatione, eum nesciisse Simonidem ceterorum quoque epigrammatum fuisse auctorem, aut sibi persuasum habuisse Simonidem ea non condidisse. 'Herodoto autem de hac re plus scire nec veteres potuerunt nec nos opinor possumus.'

Simonidem Megistiae epigrammatis esse auctorem Kaibelii iudicio non prorsus constat: 'cum Simonidis nomen non additum fuisse certum sit — non enim nominantur poetae in monumentis — hoc nescimus, unde Herodotus Simonidem vatis epitaphii poetam cognitum habuerit'.

§ 6. *d.* Preger (20 p. 16 = diss. p. 6 sq.). Hic v. d. Kaibelianam interpretationem, in altera sententiae parte conti-

neri eam exceptionem, quae in priore verbis ἔξω — ἐπίγραμμα exponatur, recepit unaque in re, quam me offendisse supra dixi, correxit. Expressis enim verbis primus — neque parvi hoc est aestimandum — Preger monuit de Simonidea *epigrammatis* Megistiae *auctoritate* apud Herodotum sermonem non esse: unice enim 'epigrammatis insculpendi' notionem inesse locutioni ἐπιγράφειν, cui si 'epigrammatis faciendi' tribuas notionem, Amphictyones rursus putandos esse carmina in Peloponnesios et Spartiatas conscripsisse, quoniam eandem habere vim locutiones ἐπιγράφειν τινὶ ἐπίγραμμα atque ἐπικοσμεῖν τινα ἐπιγράμματι constituendum sit.

Alterum autem, quod Kaibeliana explicatio non expedierat, qui fieri potuerit, ut alter cippum statuisse dicatur, alter epigramma incidendum curasse — quae pietatis officia disiungi vix possunt —, id neque solvit Preger neque adeo animadvertisse videtur.

Simonidem esse epigrammatis Megistiae *dedicatorem* Preger Herodotum ex cippo ipso, cui Simonidis, ut dedicatoris, nomen subscriptum fuisse sumpsit, cognitum habuisse dixit. Quae opinio quam falsissima est. Antiquis enim temporibus [4]) dedicatoris nomen extra metrum epigrammatis apponi non solet; in recentioribus inscriptionibus si nonnumquam inveniatur nomen cuiusdam epigrammati adiectum, semper is significatur, qui monumentum extrui iussit i. e. qui suis impensis et cippum statuendum curavit et epigramma insculpendum. Hoc autem gravissimum est: si quis in lapide ipso Simonidis legerit nomen, haec unica cogitatio animum subire potuit Simonidem *monumentum* posuisse, neque quisquam

---

4) Antiquum enim epigramma per se absolutum est neque ullum patitur additamentum. Dedicatoris nomen extra metrum demum adici coeptum est, postquam formulis usi sunt homines tralaticiis, in quibus nimirum dedicatoris nomini non locus erat. In talibus autem epigrammatis fere semper nomen quoque mortui extra versus scriptum invenitur, cf. epp. iam a Pregero laudata Kaibel. Epp. Gr. 56 = Hoffmann. Syll. Epp. Gr. 145 (supra scriptum est defunctae nomen Καλλιστώ, cuius in ipsa quoque formula commemorandae fuit occasio, infra dedicatricis Εὐκολίνη), K. 65 = H. 126 (qua inscriptione mihi utendum erit § 123), K. 69 = H. 77 (in qua ne mortui quidem nomini in formula locus erat), K. 71 = H. 83 (infra incisum est cum nomen sororis dedicantis tum nomen mortui, qui in exordio quoque laudatur), K. 73 = H. 33 (quam Pr. afferre non potuit, quia Hoffmann demum ex CIA. IV. 491[8] p. 114 nomina subscripta versibus apposuit). Quae autem imprimis a Pregero auxilio arcessita est inscriptio K. 488 = H. 171, ea nihil demonstratur; sane non est formula, sed scitus si fuisset poeta, dedicatoris quod nunc subscribitur nomen versibus ipsis intulisset. Praeterea omnes inscriptiones laudatae recentiores sunt — fere omnes exeuntis quinti saeculi —, quam ut in nostra disquisitione quicquam probent.

inde derivaverit, quod Herodotum fecisse finxit Preger, Simonidem tantum epigrammatis esse dedicatorem, Amphictyones autem cippi.

Simonidem condidisse epigramma, cuius dedicator dicatur, Preger non negat, nam 'manifestum est poetam in versibus faciendis non aliena opera usum esse'. Explicatio autem Pregero danda fuerat, qua de causa scriptor auctoritatem Simonideam, de qua ipse dubitare non potuisse videtur, aperte non indicaverit.

Ceterorum quoque epigrammatum auctoritas Simonidea Pregero certa videtur. Ad quam demonstrandam usus est argumento illicito. Nam auxilio arcessivit posteriorum de horum epigrammatum Simonidea origine testimonia; quae procul sunt habenda, si quis quaerit, quid antiquissimus Simonidei epigrammatis testis nos edoceat de Simonideae auctoritatis fide; quae testimonia praeterea ipso loco Herodoteo niti possint. Quod revera usu venire postea videbimus (§ 44 sqq.).

§ 7. *e.* Hauvette (p. 10 sqq.). Qui v.d. quamquam locum integrum esse et cum Pregero verba *Σ. ἐστὶ ὁ ἐπιγράψας* epigrammatis inscribendi actionem respicere putat ('Simonide ... apparaît seulement comme l'ami qui a pris soin de faire graver une inscription sur le tombeau du devin Még.'), tamen Herodotum sic intellegendum esse arbitratur, ut Simonides cippum quoque vatis statuendum curasse videatur ('tandis que les Amph. ont fait officiellement les frais des stèles et de la gravure des épigrammes pour les deux premiers monuments, c'est en son propre nom que Simonide a rendu les mêmes honneurs à son hôte', et paulo post: 'en réalité, l'observation de l'historien se rapporte seulement à la différence des personnes qui ont *élevé les tombeaux*'). At, obsecro, qualis est haec ratiocinatio? Agnovit v.d. Herodotum tradere ab Amphictyonibus positos esse cippos omnes, quorum duos ipsi ornaverint epigrammate; ab altera autem parte asseverat Simonidem ipsum statuisse pilam vatis. Qui opiniones illas contrarias simul proferre v.d. potuerit, ipse exponere videtur in annotatione 2[a] p. 10: 'en adoptant cette interprétation (sc. locum integrum esse), nous ne *croyons* pas .... que Simonide se soit borné à faire graver l'épitaphe de Még., sans avoir personnellement contribué à l'élévation du tombeau, les deux choses nous paraissent inséparables dans la pensée d'Herodote et dans les idées des anciens'. Hauvette non intellexisse mihi videtur nos hic versari in re peculiari, in qua disiungantur ipsa illa pietatis testimonia, quae semper artissime coniuncta inveniri soleant. Quamquam v.d. ipse textum traditum ab interpolatione vindicat, eius explicatio revera nititur textu Bergkiano, in quo vox *ἐπίγραμμα* pro insiticia habita est.

Neque igitur miramur, quod Hauvette, cum in quaestione de epigrammatum auctoritate Bergkium prorsus sequitur, sic scripsit: 'appelé à célébrer officiellement les héros des Thermopyles, l'ami de Még. voulut distinguer entre toutes l'une des victimes les plus nobles de la bataille, et *il obtint le droit de lui élever* un monument à part, qu'il décora, comme il avait fait les autres, d'une de ces épigrammes où il était passé maître'.

De fonte Herodoti nihil certi profert: 'nous pouvons affirmer que l'historien dépend, *directement ou indirectement*, des monuments originaux eux-mêmes, et non d'un recueil d'épigrammes'; paulo autem post: 'ce renseignement .... il l'a puisé dans une tradition qui se rattachait aux monuments eux-mêmes'. Nostra autem maxime interest hanc ipsam traditionem accuratius definiri.

§ 8. *Quae quaestiones distinguendae sint.* Loci Herodotei explicationes, quas recensui, tales esse nobis visae sunt, ut nulla integra accipi possit. Quamquam ex asse concedo plerasque continere observationes utiles atque pretiosas, quae, opinor, impune neglegi non possunt. Integra autem nobis instituenda est loci interpretatio, in qua hasce distingui quaestiones necesse est:

1) quid Herodoti verba significant;
2) quid ex sententiae significatione, quae nobis recipienda videbitur, de Simonidea epigrammatum auctoritate constitui potest;
3) quae Herodoteae narrationi fides est habenda;
4) quo fonte Herodotus usus esse videtur.

§ 9. *De sententiae significatione.* Quid quodque verbum significet primum constituendum est. Vidimus enim iam supra vocabulum ἐπιγράφειν ab alio viro docto aliter accipi. Cuius enuntiati notio ut explanetur, quaerendus est alius locus Herodoteus, ubi idem verbum in epigrammate laudando usurpetur. Unicus, qui succurrit, locus extat l. IV c. 88. Ubi sermo est de Mandrocle Samio, qui a Dareo iussus Bosporum ponte iunxit. Qui, cum ab isto denis rebus omnibus esset donatus, ἀπαρχὴν ζῷα γραψάμενος .... ἀνέθηκε ἐς τὸ Ἥραιον ἐ π ι γ ρ ά ψ α ς τάδε (sequitur Preg. 109). Mandroclesne ipse carmen panxisse dici videtur an curasse inscriptionem picturae addendam? Hoc opinor. Apparet ἐπιγράφειν significare ***inscribere*** sc. inscriptionem vel causative inscribendam inscriptionem curare. Ab altera parte notionem 'epigrammatis condendi', quam plerique verbo ἐπι-γράφειν nostro loco tribuerunt, alienam esse luculentum est a verbo, quod proprie de lapicida dicitur [5]).

---

5) Apud posteriores scriptores demum verbum ἐπιγράφειν 'epigrammatis condendi' notionem habet e. g. ap. Dion. Chr. (= Favor.) 37. 18 (cf. § 53).

Non rectius aliud vocabulum vertisse viri docti mihi videntur sc. *ἐπίγραμμα*, cui significationem metricae inscriptionis (epigrammatis) tribuunt omnes. *Ἐπίγραμμα* autem id est, quod inscribitur, *inscriptio*. Antiquiore aetate homines in inscriptionibus referendis numquam orationis genus respicere solebant, neque hoc umquam apud Herodotum usu venit [6]; exeunte demum quinto saeculo *metrica* inscriptio peculiari vocabulo nempe *ἐλεγεῖον* indicari coepta est [7]. Ergo non licet nostro loco *ἐπίγραμμα* vertere per 'epigramma', quacum voce homines ligatae orationis notionem coniungere solent ex posteriore dicendi usu [8].

Itaque in priore parte sententiae nostrae legitur hoc: Amphictyones statuisse cippos in memoriam Peloponnesiorum Spartiatarum Megistiae (*Ἀμφ. εἰσί σφεας στήλῃσι οἱ ἐπικοσμήσαντες*), illorum (Pel. Sp.) autem tantum cippos inscriptione ornasse (*εἰσί σφεας ἐπιγράμμασι οἱ ἐπικοσμήσαντες ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα*). Quod hic, ut ita dicam, *negative* traditur de inscriptionis Megistiae dedicatore, id in altera sententiae parte *positive* exponitur: *τὸ δὲ τοῦ μάντιος* (sc. *ἐπίγραμμα*) *Σιμωνίδης ἐστὶ ὁ ἐπιγράψας*. Itaque *Simonides* fuit, qui cippo in Megistiae honorem ab Amphictyonibus posito inscriptionem inscribendam curavit [9].

Ergo Herodotus hoc tantum tradit: Amphictyones in honorem Peloponnesiorum, Spartiatarum, Megistiae statuisse tria monumenta, ex quibus ipsos duobus, uni propter hospitii familiaritatem Simonidem inscriptionem inscribendam curavisse. Nihil ultra. Acriter igitur tenendum est tantum abesse, ut Herodotus Simonidem epigrammatis auctorem dicat, ut ne metro quidem ligatam fuisse inscriptionem, vocabulum *ἐπίγραμμα* cum adhiberet, significare voluerit.

§ 10. *De sententiae structura.* Herodotum sententiam sic intellegi voluisse, ut superiore paragrapho exposui, docet structura sententiae ipsa. Consulto enim post *ἔξω ἢ* accusativum scrip-

---

6) Synonyma est vox *ἐπιγραφή*, qua de *metrica* inscriptione utitur Ephorus fr. 121 (FHG. I. 268 = Diod. XIII. 41), et iis locis, quos ex eo fluxisse aut constat aut verisimile est: Diod. XI. 62 (cf. § 48) et Plut. Mor. 870 e (cf. § 29).

7) Vetustissimus huius vocabuli de inscriptione metrica usus est apud Thuc. I. 132, in inscriptione donarii Lysandri § 24 laudata et in inscriptione donarii Lysandri nauarchi cuiusdam (Comptes rendus 1901, 670 n. 3). Cf. Critiae fr. 3.

8) Si quis posteriore aetate inscriptionem prosa oratione compositam denotare vellet, aliud enuntiatum, ne errarent lectores, erat usurpandum atque inveniendum; cuius rei lepidum habemus exemplum apud Aristidem 511 D. = 161 K., ubi legitur vox *παράγραμμα*, cf. § 55 n. 15.

9) Quae est igitur Kaibeliana explicatio, a Pregero in vocis *ἐπιγράφειν* et a me in vocis *ἐπίγραμμα* significatione correcta.

sisse mihi videtur, quem apparuit nonnullos viros doctos movisse, ut sententiunculam interpositam ἔξω — ἐπίγραμμα omnem pro scioli emblemate haberent. Quos autem ille accusativus non offendit, ii alii aliter explicaverunt. Editores de Herodoto optime meriti Stein et Abicht accusativum pendere rati sunt a verbo ἐπικοσμεῖν, quod verbum accusativum rei regere posse existimabant. Cuius usus exemplum neque afferunt neque, opinor, afferre poterant: dici enim nequit ἐπικοσμεῖν τινά τι pro τινά τινι [10]). Neque placet Sitzleri explicatio, qui hoc loco post ἔξω ἤ attractionem omissam esse putat, ut nonnumquam fit post comparativum cum particula ἤ atque post ὥσπερ. Kaibel Herodoti menti verbum ἐπιγράφειν, quod consequitur, iam obversatum esse arbitratur. Ut viro clarissimo assentiri mihi videor ea in re, quod verbum ἐπιγράφειν (vel potius inscribendi notionem) esse in causa iudicat, ita aliter rem explicandam neque Herodotum liberiore, ut ille vult, structura usum sed necessitate coactum accusativum pro dativo posuisse puto.

Mira sane res atque a consuetudine abhorrens Herodoto enarranda erat: alterum in vatis memoriam statuisse cippum, alterum inscriptionem inscribendam curavisse. Nam tam arte conexae erant actiones cippi statuendi atque inscriptionis inscribendae, ut vix quisquam cogitari posset, qui defuncti memoriam celebraret pila, cui inscriptionem insculpendam simul non curaret, neque quisquam, qui epitaphium columnae incidendum iuberet, quam ipse non posuisset [11]). Sic autem factum est, ut locutiones, quibus utraque denotabatur actio, paulatim primariam significationem extenderint ita, ut altera alterius notionem in se reciperet alterique synonyma facta mortuo monumenti dedicandi notionem assumeret.

Si cui igitur necessitas oboriebatur illas duas actiones divellendi et proprio sensu usurpandi locutiones, quibus illae actiones significabantur, periculum erat, ne parum intellegeretur. Pro certo est neminem Herodotum intellecturum fuisse, si dedicatorum miram condicionem proposuisset sic: Ἀμφικτύονές εἰσι οἱ ἀναθέντες σφι στήλας καὶ οἱ ἐπιγράψαντές σφι ἐπιγράμματα ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα. τὸ δὲ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα Σιμωνίδης ἐστὶ ὁ ἐπιγράψας. Itaque exquisitae locutiones duae ei excogitandae erant, quibus ita utraque actio notaretur, ut omne

---

10) Qua re accusativus adhibitus sit pro dativo, Stein sic explicare vult: 'das regelrechte τῷ . . . . ἐπιγράμματι würde eine unzulässige Beziehung auch dieser Inschrift auf σφέας bewirken'.

11) Haec ipsa res est, cur Hauvette verba tradita, quae integra esse ipse concessit, ita tractaverit, quasi emblemate essent inquinata, cf. § 7.

abesset periculum, ne praegnanter intellegerentur. Quocirca ex locutionum proprio sensu elicuit communem notionem *ornandi* deditque *ἐπικοσμεῖν τινα στήλῃ* pro *ἀνατιθέναι (ἱστάναι) τινὶ στήλην* et *ἐπικοσμεῖν τινα ἐπιγράμματι* pro *ἐπιγράφειν τινὶ ἐπίγραμμα*. Hanc igitur adeptus est sententiam: *Ἀμφικτύονές εἰσί σφεας οἱ ἐπικοσμήσαντες στήλῃσί τε καὶ ἐπιγράμμασι ἔξω ἢ τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα κτλ.* Accusativus *τὸ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα* post *ἔξω ἤ*, qui primitus pendebat a verbo *ἐπιγράφειν*, quamquam prior sententiae pars mutata est et verbum *ἐπιγράφειν* ipsum evanuit, integer permansit. Dativum, quem novum sententiae exordium flagitare videbatur, Herodotus scribere omnino non potuit, atque adeo si dedisset, Graece non scripsisset. Nam *ἐπικοσμεῖν τινα ἐπιγράμματι* numquam homo Graecus dixit pro *ἐπιγράφειν τινὶ ἐπίγραμμα*; cum *duobus* autem substantivis dativo casu positis copulaque *καὶ* coniunctis verbum *ἐπικοσμεῖν* Herodotus necessitate coactus usurpaverat, ut notiones statuendi cippi atque inscribendae inscriptionis enuntiato uno communi complecteretur.

Sententiam denique paulum invertit, ut pro *Ἀμφικτύονές εἰσί σφεας οἱ ἐπικοσμήσαντες στήλῃσι τε καὶ ἐπιγράμμασι* poneret *ἐπιγράμμασι τε καὶ στήλῃσι Ἀμφ. εἰσί σφ. οἱ ἐπικ.*, inscriptionibus, opinor, idcirco praemissis, quod in inscriptionum dedicationibus discrimen omne verteretur.

§ 11. *De fundamento, quod Herodoteae narrationi subesse videtur.* Quaestio nunc tractanda est, qui Simonides dedicator esse potuerit inscriptionis, quae inscripta sit in cippo ab aliis nempe ab Amphictyonibus statuto.

Quod carmen Simonides cippo hospitis insculpendum curavit, id a poeta ipso conditum esse necesse est. Nam multum abest, quin credamus fieri potuisse, ut in eiusmodi amicitiae officio poeta summus aliena opera uteretur. Quod recte omnes viri docti senserunt. Attamen carminis auctoritas Simonidea in causa esse nequit, cur poeta ipse inscriptionis *dedicator* vocatus sit. Nam ceterarum inscriptionum dedicatores sunt Amphictyones, nec tamen quod ipsi epigrammata condiderint sed quod inscriptiones lapidi inscribi iusserunt. Necessitudo igitur, quae est inter Simonidem atque carmen artior sit necesse est, quam ea, quae extat inter poetam ipsiusque poema. Quid igitur factum esse videtur? Simonides, opinor, praebuit Amphictyonibus versus in honorem hospitis *nulla pecunia accepta* [12]). Qui vero Simonides occasionem

---

12) Simonidem pro carminibus pretium non recusasse notum est. De *φιλαργυρίᾳ* eius testimonia vid. ap. Schneidewin. p. XXIV sq., Sternbach. Melet. Gr. I p. 138 sqq.

habuisse videtur carminis Amphictyonibus donandi? Quid, quod Amphictyones Simonidem invitaverant, ut pacta pecunia *omnibus*, quos statuerent, cippis carmina conderet, poeta autem pecuniam sibi debitam pro epigrammate in hospitis sui honorem recusavit? Sic factum est, ut poeta ipse huius inscriptionis dedicator vocaretur, ceterarum autem Amphictyones; quibus si Simonides pecuniam non remisisset, Megistiae quoque epigrammatis *οἱ ἐπιγράψαντες* dicti essent. Amphictyones igitur non, ut Kaibel voluit, cippum Simonidi donaverunt, sed hic illis epigramma [13]).

Itaque ex iis, quae disputavi, apparet Simonidem non solum poetam esse Megistiae epigrammatis, quocum nomen eius ut dedicatoris sit coniunctum, sed etiam epigrammatum Peloponnesiorum et Spartiatarum, quae pretio pacto Amphictyonum iussu condiderit.

Qua de causa apud Herodotum Simonides non omnium vel saltem Megistiae epigrammatis *auctor* vocetur, id demum videre poterimus (§ 19), cum in Herodoteae notitiae fontem atque fidem inquisiverimus.

§ 12. *De Herodoti fontis inquisitione.* Quoniam vidimus ex mea loci Herodotei interpretatione deduci posse omnia tria epigrammata condidisse Simonidem, nostra quam maxime interest investigare, num vera ac fide digna sit traditio, qua Herodotea nitatur narratio. Per se sane singularius est, quod alter cippum statuit, cui alter inscriptionem inscribendam curat, quam ut id confingi posse videatur. Attamen tum demum summo iure Herodoti notitiam esse veram (et porro quoque quae ex ea derivanda nobis videbantur) affirmare poterimus, cum constituerimus, qua et quali via ad eum ea pervenerit. Instituenda igitur est fontis Herodoti inquisitio; qua nobis praeterea duabus de causis valde opus est.

Iam supra § 3 n. 2 verbo tetigi difficultatem, cui Herodotea enarratio honorum, quibus ii, qui in Thermopylis ceciderunt, affecti sunt, locum dare videtur. Primum enim epigramma (91) in eorum memoriam esse scriptum ex versibus ipsis effeceris, qui *ex* quattuor, *quae cum Leonida fuissent*, milibus Peloponnesiorum, *cecidissent* [14]); ideo id hucusque Peloponnesiorum

---

[13]) *Invitatum* fuisse Simonidem ab Amphictyonibus iam recte Bergk viderat, qui tamen, ut iam dixi, Simonidem petivisse putabat ab Amphictyonibus, ut sibi *iuxta gentium monumenta* ab his statuta, *hospiti* cippum ponere liceret.

[14]) Epitaphium si sic explicas nullam habet difficultatem. Kirchhoff enim (Mon. Ber. Berl. Ak. 1878 p. 3 n. 2): 'Herodot hat das Monument wahrscheinlich irrthümlich als ein Denkmal für die Gefallenen aufgeführt, was es wenig-

epigramma vocare solebam. Herodotus autem ipse tradit hoc epigrammate laudari, qui in Thermopylis occubuerint, omnes (τοῖσι πᾶσι ἐπιγέγραπται); quos ipse bifariam dividit: eos (θαφθεῖσι δέ σφι αὐτοῦ ταύτῃ κτλ.), qui in ipso praeclaro proelio ad unum omnes interfecti sunt (Herodoto auctore Spartiatae et Thespienses), atque eos (καὶ τοῖσι πρότερον τελευτήσασι κτλ.), qui in prioribus pugnis ante Immortalium circuitum conciderunt (Peloponnesii, Thespienses, Thebani, Phocenses, Locrenses). Quaestiones igitur duae sunt, ad quarum solutionem Herodotei fontis indagatio fortasse ducere potest: 1) qui fieri potest, ut Herodotus hoc epigrammate eos quoque celebrari dicat, qui cum Leonida claram oppetiverunt mortem; 2) qua re in epigrammate tantum Peloponnesii laudati sunt, cum praeter eos quattuor gentes certamini interfuisse tradantur. [15])

Ex fontis Herodotei investigatione denique cognosci potest, quatenus Herodoteus epigrammatum textus genuinus sit. Ne lectoribus videar nodum in scirpo quaerere, eos monitos esse velim prorsus non affirmare nos posse, nisi in rem consulto inquisiverimus, epigrammatum textum ab Herodoto nobis integrum traditum esse. Epigrammatis enim 92 altera quoque traditio ad nos pervenit (cf. § 44 sq., § 137,6); itaque quaeritur, utra genuinum textum repraesentet.

§ 13. *De virorum doctorum opinionibus.* Preger unus fontem indicare conatus est, ex quo Herodotus notitiam de Simonide Megistiae inscriptionis dedicatore derivaverit. Communem fontem esse huic notitiae cum textu epigrammatum optimo iure

---

stens nach dem Inhalte des Epigramms zu urtheilen gar nicht hat sein sollen'. Virum cl. solus secutus est Preger, qui ep. a ceteris Thermopylensibus disiunctum inter titulos reliquos (i. e. nec sepulcrales nec dedicatorios) n. 200 attulit. Neque omnes Peloponnesios cecidisse inscriptio profitetur, ut Stein (ad loc.) et Welzhofer Fleck. Jb. 144. 1892 p. 673 putant. Sane Her. VIII. 25 τέσσερες χιλιάδες interfectae esse dicuntur, sed haec verba — sive pro insiticiis habentur, sive non habentur — ex epigrammate ipso male intellecto petita esse videntur: 'vermutlich handelt es sich aber nur um eine Übertragung der χιλιάδες τέτορες, welche nach der Grabinschrift ἐμάχοντο auf die Zahl der Gefallenen' (Busolt. II². 687 n. 2). Ex Herodotea narratione ipsa apparet Peloponnesios prioribus tantum interfuisse proeliis, summum autem cum instaret periculum, a Leonida dimissos esse praeter Spartiatas ipsos. De huius epigrammatis dicendi ratione mihi disputandum erit in altera parte huius commentationis. — Peloponnesiis 3100 quos enumerat Herodotus VII. 202 mille περίοικοι (Diod. XI. 4) accessisse videntur, quos ille neglexit; itaque epigrammatis numerus convenit (cf. Busolt. II². 674 n. 2 et Ed. Meyer. III. 380).

15) Quantum video, in virorum doctorum scriptis, quae consului, hae quaestiones nondum positae sunt.

sumpsit. Cum autem apud viros doctos nulla extaret dubitatio, quin Herodotus ex lapidibus epigrammata ipse sibi descripsisset, historicum legisse in cippo Megistiae ipso nomen Simonidis, ut inscriptionis dedicatoris, constituendum sibi putavit. Quae opinio, licet virorum clarissimorum Wilhelmi et Wilamowitzii [16]) plausum tulisse videatur, me a vero quam remotissimam iudicare iam dixi § 6, cum Pregeri loci Herodotei interpretationem referrem. Ne cetera argumenta nunc repetam: Herodotus, si Simonidis nomen lapidi insculptum invenerit — quod equidem praefracte nego — ex eo unice effecerit necesse est Simonidem monumentum posuisse.

Itaque, nisi ex traditione quadam, haec notitia Herodoto innotuisse non potest. Traditioni quoque, atque sine dubio eidem, Herodotum debuisse consentaneum est notitiam de gentibus, qui in 'Peloponnesiorum' epigrammate celebrati fuisse viderentur.

Nunc autem quaestio oritur, utrum ex eadem traditione historicus petiverit epigrammatum trium textum an ea ipse ex lapide cognoverit. Iam per se, opinor, probabile est eam traditionem, quae Herodoto notitias de cipporum inscriptionumque dedicatoribus atque de gentibus in primo epigrammate honoratis suppeditasse videatur, conservasse quoque epigrammatum ipsorum verba. At nihilominus concedendum est fieri potuisse, ut Herodotus epigrammata in cippis quoque legeret, si saltem constaret scriptorem Thermopylas visitasse.

Quamquam certum testimonium — quale habemus de aliis eius itineribus — deest, viri docti fere omnes [17]) non dubitaverunt, quin Herodotus ipse oculis suis locum pugnae praeclarissimae viderit. Vix enim credibile videbatur historicum, qui tot per tot gentes fecisset itinera, faucium Thermopylensium et locorum, quae circumiacerent, descriptionem aliis debere. Leake [18]) et Bursian [19]), qui totam regionem descripserunt, de Herodoti αὐτοψίᾳ

---

16) Wilhelm p. 235; Wilamowitz hoc epigramma spectare videtur cum scribit (Textg. p. 35): 'die poetischen Aufschriften aller Monumenten waren durchgehends namenlos, zum Teil von hohem poetischen oder geschichtlichen Werte, und dass die Dichter von Profession auch solche Aufträge erfüllt hatten, war an sich glaubwürdig, *vielleicht für einzelnes wirklich überliefert, und erhielt Nährung durch eigene Stiftungen z. B. von Simonides*, die natürlich den Stifter und zugleich Dichter nannten.' De priore huius sententiae parte cf. § 20.

17) Kaibel p. 437, Bergk p. 428, Wilamowitz p. 315, Wilhelm p. 235.

18) Northern Greece II p. 7 sqq.

19) Geogr. von Griechenland I p. 91 sqq.

dubitasse non videntur. Attamen ante aliquot annos Bury [20]), qui et ipse locum vidit, asseveravit talem esse pugnae Thermopylensis descriptionem, ut non solum non regionem sed ne eius tabulam quidem conspexisse Herodotum constituendum esset. Contra Grundy [21]), qui itidem locum se accurate examinasse profitetur, declarat haec: 'there is no reasonable doubt that the author's exceedingly accurate description of the topography of the district could only proceed from the pen of one who had seen the place, and had examined it with some care'.

In hac peritorum virorum certamine opinionum nos iudicium continere decet. Quod, opinor, disputationi nostrae valde nocere non poterit. Nam, utcumque res se habet, epigrammata cognovisse probabile est Herodotum etiam ex traditione, quae ei notitias duas supra commemoratas subministravisset, neque inscriptiones ipsas unicum eius fontem fuisse. Huc igitur redit quaestio: videturne Herodotus iuxta traditionem usus esse inscriptionibus ipsis necne. Praeterea cf. § 17.

§ 14. *De Thespiensibus.* Nunc inquirendum est, quae fuerit traditio, quam Herodotus secutus esse videatur. Proficiscendum est ab ea quaestione, quam iam § 12 significavi: qui fieri potest, ut Herodotus epigramma, quod nobis unice Peloponnesiorum memoriam celebrare videtur, in eos quoque conscriptum esse dicat, qui cum Leonida post ceterarum gentium discessum ceciderunt. Mitto in praesens alteram: qua de causa in epigrammate gentes ceterae, quae una cum Peloponnesiis proeliis prioribus interfuisse traduntur, sunt neglectae. Nam, si opus esset, facile sumeres brevitatis causa commune primariarum gentium nomen solum esse commemoratum (vid. tamen § 18).

Herodotus ipse narrat, postquam Hydarnis circuitum Graeci cognoverint, duas tantum gentes ne imminenti quidem morte

---

20) Annual of the British School at Athens 1895/96 p. 83: 'one must not exspect to be able to determine any topographical details (one of the chief difficulties seemed to me to be the determination of the exact position of the western gate of the pass). This is not due to the well-known fact that the natural features have changed within the last two thousand years . . . . The difficulty is due to the circumstance that Herodotus had not seen the place. His general description is wonderfully true, but when it comes to the position of the wall, or of the hill (κολωνός) on which the Greeks made their last stand, we are clearly liable to reach false conclusions if we press the words of one who had seen neither the place itself, nor a plan of it'.

21) G. B. Grundy. The great Persian war and its preliminaries; a study of the evidence, literary and topographical. Lond. 1901 p. 277. De hoc libro cf. Beloch Hist. Zeitschr. 1904 p. 279 sq.

deterritas esse, quominus stationem tenerent: Spartiatas atque Thespienses. Cum autem Spartiatae peculiari cippo atque inscriptione ab Amphictyonibus honorati sint, Thespiensium autem honor peculiaris apud Herodotum non commemoretur, Herodotus, Peloponnesiorum epigramma cum ad eos quoque pertinere dicat, qui cum Leonida ad unum omnes interfecti sint, sic tantum intellegi potest, ut illo epigrammate iuxta Peloponnesios Thespienses quoque ab Amphictyonibus celebrati esse videantur. Id autem revera factum esse mihi prorsus incredibile est. Quis enim tum Thespiensium nomen in epigrammate non desiderabit? Quis non mirabitur Amphictyones non dubitantes colere eorum — Peloponnesios dico — memoriam, qui Persis undique ingruentibus domum abscessissent, cum in horum ipsorum titulo generosae gentis, quae mori maluisset, honorem — nomine ne laudato quidem — comprehendissent? Exploratum est, opinor, Herodoti notitiam esse falsam.

Idem autem Herodotus Thespiensium virtutem virilem testatus est. Omnes enim socii cum Spartiatas deseruissent, Thespienses soli remanserunt idque libentissimi (*ἑκόντες μάλιστα*, quae verba addit propter Thebanos — vid. § 15 —, quos invitos retinuisse Leonidam tradit), *οἳ οὐκ ἔφασαν ἀπολιπόντες Λεωνίδεα καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ ἀπαλλάξεσθαι, ἀλλὰ καταμείναντες συναπέθανον* (cap. 222). Postquam Immortales advenerunt, se receperunt cum Spartiatis ad tumulum, ubi ad unum omnes praeclaram mortem oppetiverunt (cap. 225). Nomen eius quoque, qui inter Thespienses fortissimum se praestitit, memoratu dignum habitum est (cap. 227, cf. 226 init.). Num probabile est tales viros, quorum devotio Spartanae fortitudini fortasse praeponenda est [22]), ab Amphictyonibus nulla praedicatione honoratos esse, cum ab iisdem Peloponnesii, qui tuto domum abiissent, propter priores pugnas titulo digni iudicati sint? Non opinor. Sumendum erit Thespienses — ut Spartiatas, quos deserere noluissent — peculiari monumento celebratos esse [23]).

---

22) Grote H. of Gr. V p. 91 (Americ. ed.): 'they displayed even more than Spartan heroism, since they were not under that species of constraint which arises from the necessity of acting up to a preëstablished fame and superiority'. Cf. Delbrück infra laudatus.

23) Fuerunt, qui putarent (cf. Bergk p. 428) Thespiensium monumento inscriptos fuisse Philiadae Megarensis cuiusdam, poetae ceteroquin prorsus ignoti, versus, qui laudantur apud Stephanum Byz. v. *Θέσπεια*·

ἄνδρες θ' οἵ ποτ' ἔναιον ὑπὸ κροτάφοις Ἑλικῶνος,
λήματι τῶν αὐχεῖ Θεσπιὰς εὐρύχορος.

Stephanum usum esse Herodiani Prosodia Cathol. docuit Lentz (Herodian. I. 280, 18, cf. annot.), hunc autem epigramma sumpsisse ex Corona Meleagrea

Itaque in ea traditione, quam secutus est Herodotus, quartus cippus, in Thespiensium memoriam statutus, suppressus esse videtur, resque ita proposita, quasi in Peloponnesiorum epigrammate una cum illis Thespienses essent honorati. In ea traditione tantum servabantur epigrammata in Peloponnesios, in Spartiatas, in Megistiam, ὅς . . . . οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγεμόνας προλιπεῖν.

Iam tractandum mihi erat de altera gente, quam cum Leonida remansisse tradit Herodotus, nisi prius eliminanda esset difficultas in Thespiensium narratione, quae disputationem meam omnem subvertere videretur. Vir enim in strategicis peritissimus, H. Delbrück, qui imprimis copiarum numeris traditis quid tribuendum esset examinavit, negavit Thespienses omnino proelio, quod post ceterarum gentium receptum commissum esset, interfuisse censuitque Herodoteae narrationi fidem esse derogandam, quod septingentis (cap. 202) militibus gravis armaturae — ingenti numero — Thespienses affuisse ad Thermopylas dicuntur. Ecce viri cl. verba [24]: 'ist schon die Aufopferung der Spartiaten, die einen Kriegerstand bilden, eine That von ewig denkwürdigem Heroismus, so scheint die freiwillige Theilnahme der Bürgermiliz einer kleinen Stadt über menschliches Vermögen hinauszugehen. Dass eine ganze Stadt von solchen Helden bewohnt wird — mehr als 700 Hopliten kann ein Städtchen wie Thespiä garnicht gehabt haben — kann man auf das Zeugniss einer legendarischen Überlieferung hin nicht annehmen. Der Zusammenhang könnte der sein, dass die Perser die Thespier auf dem Rückzug noch eingeholt und hier, da sie sich wehrten, niedergemacht haben'.

At videamus, num hic saltem ingens numerus debeatur corruptelae Herodotusque ipse copias Thespiensium pauciores tradiderit. Quorum numeri sane alia traditio extare non videtur: tacet Diodorus, apud quem (XI. 4) in Ephorea Graecorum copiarum enumeratione infelici casu Thespiensium numerus excidit; tacent posteriores scriptores praeter Pausaniam (X. 20. 2), qui iam apud Herodotum ἑπτακόσιοι legit; tacent hodierni Busolt, Meyer,

puto (cf. § 64 n. 58). Nisi error subsit in nomine, Philiades ex iis erat poetis, quorum, quamquam eos in catalogo (AP. IV. 1) non commemoravit, epigrammata vel perpauca vel unum recepit Meleager. Carmen demonstrativum esse vel ex nomine poetae addito suspiceris (cf. quae de antiquo epigrammatis statu disputavi § 19); neque lectores monere necesse est epigrammatis exordium deesse. Brunckii enim coniectura τοί pro ϑ' οἵ prorsus reiicienda est. Mire autem Preger (23) ipse distichon prius huic posteriori affinxit recepta tamen Brunckii lectione. Carmen, quod revera Thespiensium cippo incidi iusserunt Amphictyones, Simonides composuit (cf. § 18).

24) Gesch. der Kriegskunst. Berl. 1900. I p. 67.

alii. Ephoreus vero numerus, quamquam in Diodoreo copiarum conspectu deest, in proelii ipsius descriptione, in qua Thespienses non neglexerat (Diod. XI. 9), latere mihi videtur: *ὁ δὲ Λεωνίδης . . . . ὀλίγων δ' ὄντων Λακεδαιμονίων, Θεσπιεῖς γὰρ μόνους παρακατέσχε, καὶ τοὺς σύμπαντας ἔχων οὐ πλείους τῶν πεντακοσίων, ἕτοιμος ἦν ἀποδέξασθαι τὸν ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος θάνατον.* Itaque Ephorus Thespienses ducentos — trecenti enim erant Spartiatae — fuisse aestimavit. Quem, cum et totus pendeat ab Herodotea pugnae descriptione et in reliquarum gentium numeris fere cum eo concinat [25]), legisse apud Herodotum constituendum est Thespiensium numerum integrum *διηκόσιοι.* Numero *HH*, proclivi in codicibus antiquis praesertimque in numerorum serie errore, signum *Ƥ* iam diu ante Pausaniae aetatem accessisse in Herodoti libro putaverim. Quo mendo sublato Delbrückii difficultas, opinor, soluta erit [26]).

§ 15. *De Thebanis.* Herodoto ipso teste (cap. 222) gens Thespiensis non unica fuit, quae in summo rerum discrimine Spartiatas non reliquisset: remanserunt quoque Thebani (*Θεσπιέες δὲ καὶ Θηβαῖοι κατέμειναν μοῦνοι παρὰ Λακεδαιμονίοισι*), hi vero inviti, *ἀέκοντες καὶ οὐ βουλόμενοι, κατεῖχε γάρ σφεας Λεωνίδης ἐν ὁμήρων λόγῳ ποιεύμενος.* Haec et quae deinde narrantur c. 225 et 233, Thebanos primo coactos adversus Persas dimicasse, postquam autem Immortales Graecos a tergo aggressi essent, se dedidisse Xerxi, cuius iussu plurimis inustae essent notae regiae, quam criminose dicta essent, et veteres et hodierni senserunt. Ephorus rem ita proposuerat, ut quadringenti illi Thebani inter eos fuisse viderentur, qui Persarum circuitu cognito domum rediissent (Diod. XI. 9); ut tamen et civitas Thebana *μηδίζειν* videretur et cives Thebani Graecis opem tulisse traderentur, hos venisse finxit *ἀπὸ τῆς ἑτέρας μερίδος* (Diod. XI. 4), a factione

---

25) Ed. Meyer G. d. A. III. 380: 'es ist völlig klar, dass Ephoros für diese Kämpfe überall nur Herodot benutzt hat'. De numeris cf. Busolt II². 674 n. 2 et 675 n. 2.

26) Rüstow—Köchly, Gesch. des gr. Kriegsw. p. 60 n. 5, qui Leonidam ideo tantum remansisse putant, ut reliqui exercitus receptum tutum ab hostibus redderet, Thespienses prorsus alia de causa eliminare voluerunt: 'sind hier nicht Thespier, sondern Malier [cf. Diod. XI. 4. 7] zu verstehen, so ist das freiwillige Bleiben leicht erklärt. Nach dem Isthmos mitzuziehen hatten sie schwerlich Lust. Zwischen ihnen und der Heimat aber stand der Feind'. Welzhofer p. 668, qui horum virorum doctorum de pugna Thermopylensi opinionem accepit, Thespienses remansisse non negavit, sed: 'das treue Ausharren der Thespier ist ganz unerklärlich, wenn man annimmt, dass sie sich ebenfalls dem Tode weihen wollten'. De Thebanis cf. § 15 n. 30.

populari, cum optimates Persarum rebus faverent. Herodotea autem narratio de Thebanis invitis a Leonida retentis quam esset absurda et aliis ostendit argumentis Plutarchus de Her. mal. 31 atque 33 et hisce (865 c): *λέγει τοὺς Θηβαίους ἄκοντας αὐτὸν κατασχεῖν, οὓς εἰκὸς ἦν ἀπελάσαι καὶ βουλομένους παραμένειν, εἰ μηδίζειν αἰτίαν εἶχον. ὅπου γὰρ οὐκ ἐδεῖτο τῶν μὴ προθύμων, τί χρήσιμον ἦν ἀναμεμῖχθαι μαχομένοις ἀνθρώπους ὑπόπτους; οὐ γὰρ δὴ φρένας εἶχε τοιαύτας ὁ τῶν Σπαρτιατῶν βασιλεὺς καὶ τῆς Ἑλλάδος ἡγεμών, ὥστε 'κατέχειν ἐν ὁμήρων λόγῳ' τοῖς τριακοσίοις τοὺς τετρακοσίους ὅπλ' ἔχοντας καὶ προσκειμένων ἔμπροσθεν ἤδη καὶ ὄπισθεν ἅμα τῶν πολεμίων· καὶ γὰρ εἰ πρότερον ἐν ὁμήρων λόγῳ ποιούμενος ἦγεν αὐτούς, ἔν γε τοῖς ἐσχάτοις εἰκὸς ἦν καιροῖς ἐκείνους τε Λεωνίδα μηδὲν φροντίσαντας ἀπαλλαγῆναι καὶ Λεωνίδαν δεῖσαι τὴν ὑπ' ἐκείνων μᾶλλον ἢ τῶν βαρβάρων κύκλωσιν. ἄνευ δὲ τούτων, πῶς οὐ γελοῖος ὁ Λεωνίδας, τοὺς μὲν ἄλλους Ἕλληνας ἀπιέναι κελεύων, ὡς αὐτίκα μάλα τεθνηξόμενος, Θηβαίους δὲ κωλύων ὡς ὑπ' αὐτοῦ φυλάττοιντο τοῖς Ἕλλησιν ἀποθνήσκειν μέλλοντος; εἰ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἐν ὁμήρων λόγῳ, μᾶλλον δ' ἀνδραπόδων, περιῆγε τοὺς ἄνδρας, οὐ κατέχειν ὤφειλεν αὐτοὺς μετὰ τῶν ἀπολουμένων, ἀλλὰ παραδοῦναι τοῖς ἀπιοῦσι τῶν Ἑλλήνων.*

Constituendum nunc est quid illi rumori veri subsit. Busolt (II[1]. 147) et Ed. Meyer (G. d. Alt. III. 379) eum inde ortum esse putant, quod Thebani inviti ad Thermopylas venissent. Quae coniectura ex Herodoto ipso reprobari posse videtur. Commemorantur enim cap. 202 nomina civitatum, quae *ἦσαν οἱ ὑπομένοντες τὸν Πέρσην*: fuerunt e Peloponneso hoplitae 3100, e media Graecia et e septentrionali tantum e Boeotis Thespienses 700 (200) et Thebani 400. Sequuntur autem (cap. 203), qui *πρὸς τούτοισι ἐπίκλητοι ἐγένοντο*, quos evocaverant Graeci missis legatis, qui ad eorum animos confirmandos nuntiarent reliquos socios cotidie expectari mareque classe custodiri: fuerunt Locri Opuntii et Phocenses. Cum deinde Herodotus se ad duces civitatum atque imprimis ad Leonidam vertat (cap. 204), lectoribus iam persuasum esse necesse est has duas gentes Graecis opem ferre dubitasse, ceteras — inter quas Thebani sunt — sua sponte ad Thermopylas contendisse. Quid autem? Postquam Leonidae enumeravit maiores (cap. 204) enarravitque, quo casu regnum adeptus esset (cap. 205), quasi corollarii loco addit Leonidam, cum ad Thermopylas proficisceretur, Thebanos sibi assumpsisse: *τοῦδε δὲ εἵνεκα τούτους σπουδὴν ἐποιήσατο Λεωνίδης μούνους Ἑλλήνων παραλαβεῖν, ὅτι σφέων μεγάλως κατηγόρητο μηδίζειν· παρεκάλεε ὦν ἐς τὸν πόλεμον θέλων εἰδέναι εἴτε συμπέμψουσι εἴτε καὶ ἀπερέουσι ἐκ τοῦ ἐμφανέος τὴν Ἑλλήνων συμμαχίην. οἱ δὲ ἀλλοφρονέοντες ἔπεμπον.*

Quae aperta fronte pugnant cum iis, quae ex copiarum conspectu deducenda esse vidimus. Luculentum, opinor, est apud Herodotum duas exhiberi traditiones diversas; quarum altera ea de causa excogitata esse videtur, ut apte Thebanis, cum se regi dedidisse dicerentur, subici possent haec verba: *ὡς ὑπ' ἀναγκαίης ἐχόμενοι ἐς Θερμοπύλας ἀπικοίατο* (cap. 233). Mihi nulla extat dubitatio, quin prior traditio vera sit. Si cui tamen errare videar duas traditiones apud Herodotum adesse ratus, ei nihilominus reicienda erit narratio de Thebanis invitis Leonidam secutis: quod si revera factum esset, fabula numquam esset nata eos *in summo rerum discrimine* obsides esse retentos [27]).

Verum perspexisse mihi videntur Grote l.l. n. 2 et Bury p. 99: non id fundamentum esse narrationis Thebanos *invitos remansisse*, quod *inviti* Leonidam secuti essent, sed quod post ceterarum gentium discessum *remansissent*. Numquam enim cum Thebani anno insequenti Persarum faverent partibus, Graeci calumniati essent, quod illi patriae proditores iam in Thermopylensis pugnae summo discrimine *coacti* remansissent, nisi certo certius constitisset eos revera Leonidam deserere noluisse. Ergo quadringenti Thebani eadem animi fortitudine imminentem mortem expectasse censendi sunt atque Spartiatae trecenti et ducenti Thespienses. Num verisimile est tales viros media in pugna se Persis dedituros fuisse? Non dubitavit Grote, quin hac in re Herodoto fidem haberet [28]). Sed Bury [29]) recte vidit narrationem de deditione aeque pro calumnia esse habendam, si *sua sponte* remansisse Thebanos constituendum esset [30]).

---

27) Ea de causa Ephorea quoque ratio, secundum quam Thebani cum ceteris abeunt Spartiataeque atque Thespienses soli remanent, non probanda est. Quam acceperunt Wecklein in praeclara commentatione 'Über die Tradition der Perserkriege' Sitzb. Münch. Ak. 1876 p. 309, Mor. Müller, Gesch. Thebens von der Einwanderung der Boioter bis zur Schlacht bei Koroneia (diss inaug. Lips. 1879) p. 40.

28) Grote p. 92: 'the Thebans remained by their own offer . . . . but when the moment of actual crisis arrived, their courage not standing so firm as that of the Spartans and Thespians, they endeavoured to save their lives by taking credit for medism, and pretending to have been forcibly detained by Leonidas'. Reicit autem p. 95 narrationem de stigmatis inustis: 'we may reasonably dismiss the story of this ignominious branding, as an invention of that strong anti-Theban feeling which prevailed in Greece after the repulse of Xerxes'.

29) Bury p. 100: 'if we accept the desertion, why should we reject the branding? . . . . we cannot avoid regarding *the whole tale* as an invention of "strong anti-Theban feeling" — a tale told with spiteful pleasure at Athens and, doubtless, at Sparta too'.

30) Mire rem proposuit Hauvette, 'Hérodote, historien des guerres médiques

Itaque illi quoque cum Spartiatis atque Thespiensibus ad tumulum se recepisse ibique ad unum omnes interiisse putandi sunt. Constituendum autem tum est eos quoque ab Amphictyonibus, ut Spartiatas et Thespienses, *peculiari* cippo honoratos esse. Cuius monumenti memoriam in traditione, quae Herodoto praesto esset, deletam esse, non miramur, qui viderimus in illa vel iustos Thespiensium honores fuisse neglectos. In ea autem traditione ex quinque cippis trium tantum memoria erat prodita, *Peloponnesiorum*, *Spartiatarum*, *Megistiae vatis*, ὅς τότε κῆρας ἐπερχομένας σάφα εἰδὼς οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγεμόνας προλιπεῖν. Eam fuisse *Sparta* oriundam vix lectores monendi sunt.

In paragraphis sequentibus nunc demonstrare conabor:

a. aliunde quoque constare *quinque* in Thermopylis fuisse cippos;

b. aliis argumentis comprobari posse Herodotum secutum esse traditionem *Spartanam*.

§ 16. *De quinque cippis.* Quod suspicati sumus in Thermopylis quinque extitisse cippos, qui in Spartiatarum, Thespiensium, Thebanorum, Megistiae, Peloponnesiorum memoriam statuti fuissent, id antiquo testimonio confirmatur. Strabo IX. 4. 2 p. 425, ubi de Locride Opuntia disserit, haec de Opunte urbe habet: ὁ δ' Ὀποῦς ἐστι μητρόπολις, καθάπερ καὶ τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ τὸ ἐπὶ τῇ πρώτῃ τῶν πέντε στηλῶν τῶν περὶ Θερμοπύλας ἐπιγεγραμμένον πρὸς τῷ πολυανδρίῳ (Preg. 20 = Sim. 93)·

τούσδε ποτὲ φθιμένους ὑπὲρ Ἑλλάδος ἀντία Μήδων
μητρόπολις Λοκρῶν εὐθυνόμων Ὀπόεις.

Quam annotationem literariam Strabonem hausisse constat ex Apollodori Commentario in Homericam navium recensionem (ad

---

Par. 1894: Thebanos fuisse inter eos, qui domum rediissent (cf. n. 27), attamen fidem non denegandam esse Herodoteae narrationi de proditione atque de stigmatis p. 364: 'nous ne voyons pas qu'il y ait lieu de récuser le fait d'une trahison des Thébains aux Therm., et d'un châtiment à eux infligé par les Perses. Mais, comme nous avons admis plus haut (p. 362) que les Thébains, amenés de force par Léonidas, n'avaient pas dû être retenus de force par lui au dernier moment, il faut supposer que l'événement ne se passa pas exactement comme le rapporte Herodote: ce qui nous paraît ressortir avant tout de cette anecdote, c'est d'abord le fait d'une méprise des Perses au moment où les Thébains s'avançaient vers eux comme amis, et ensuite celui d'un châtiment infligé par Xerxès aux Thébains, pour s'être joints à l'armée de Léonidas après avoir déjà fait acte de soumission'.

In pugnae expositione, quam praebent Rüstow—Köchly et Welzhofer (vid. § 15 n. 26), sane Thebanis invitis retentis (R.—K. p. 60: 'welche im höchsten Grade unzuverlässig waren, durch Anzettelung von Verrath und Zwietracht den Rückzug gefährden konnten, wenn sie mitzogen') atque ad Persas perfugientibus locus est. Cf. Welzhofer p. 668 et 671.

B 531) [31]. Redeunt hic *quinque* cippi, quot ab Amphictyonibus positos esse demonstrare conati sumus. Haec autem extat difficultas, quod epigramma, cuius exordium [32] laudaverat Apollodorus, *Locrensium* est, quos peculiari monumento honoratos esse non apparuit. Quae difficultas facile solvitur, si reputamus, quomodo Apollodori annotatio orta esse videatur. Grammaticus enim duas res diversas percepisse videtur, quas iniuria conciliavit: novit epigramma, quod in Locrensium, qui in Thermopylis interfecti essent, honorem conditum esse perhibebatur, novit ex scriptore geographo vel ex periegeta — quem accuratius indicare non possumus — in Thermopylis quinque cippos extare. Quid, quod non dubitavit duas illas res ita coniungere, ut in Locrensium memoriam *unum ex quinque illis cippis* positum esse putaret? Strabo, cum de Thermopylis ipsis IX. 4. 16 p. 429 dissereret, neque numerum cipporum neque praeter Spartiatas celebratarum gentium nomina adduxit. Ibi enim non Apollodoro sed alio fonte usus est (cf. § 46).

Quod Herodotus tres, Strabo (Apollodorus) autem quinque columnas commemoravit, id ex eo igitur explicandum est, quod illius auctores (sc. traditio Spartana) epitaphia, quae ipsos non spectabant, omiserunt, horum autem auctor omnes, quos viderat cippos, tradidit. Bergk, qui in prioribus editionibus Strabonis Herodotique testimonia inter se conciliare studuerat ita, ut 'Herodotum videri praecipua tantum delibavisse, omissis quae ipsi minus gravia viderentur' putaret, in quarta illam minime absurdam opinionem reiecit protulitque (p. 429), quae multo magis a vero abesse videntur: 'a principio praeter Megistiae monumentum duae tantum pilae Peloponnesiorum et Spartanorum memoriae fuerunt consecratae. Amphictyones igitur Spartanorum importunitati ac superbiae obsecuti Thespienses, quorum virtus Spartanis aequiparanda fuit, suo honore fraudaverunt: de hac iniuria merito conquesti Thespienses postea impetraverunt, ut sibi liceret colu-

---

31) Cf. Niese, Apollodors Commentar zum Schiffskataloge als Quelle Strabo's, Rh. Mus. 32. 1877 p. 267 sqq.; Schwartz PW. — RE. I. 2867, 60.

32) Epigramma, quod inter Simonidea (93) referri solet, viros doctos valde exercuit propter praedicatum quod deest. Iam in codices Strabonianos sciolorum irrepserunt coniecturae, qui verbum *κεύθειν* latere putabant in adjectivo *εὐθυνόμων*. Hodierni pedibus eunt in Meinekii sententiam in particula *ποτέ* verbum *ποθεῖ* quaerentis. Quae coniectura iam ideo est reicienda, quod *ποτέ* post pronomen demonstrativum epigrammatum est proprium. Verum iam viderat Bergk, quamquam Meinekii coniecturam recepit: Strabo (Apollodorus) eam tantum partem epigrammatis laudavit, qua ei opus erat, de altero disticho securus.

mellam in communi sepulcro excitare, neque iam poterant Amphictyones Locrensibus aut Phocensibus eum honorem invidere. Ita iuste petentibus satis factum, non vanitati aut arrogantiae Graecarum gentium obtemperatum. Sed Herodotus haec additamenta non curavit'. [33])

Quae commenta plane ficticia — sit venia verbo — consulto laudavi, ut lectores viderent Bergkium quinque cippos prorsus aliis tribuisse gentibus, quam quibus destinatos eos fuisse supra apparuit. Cum enim non dubitaret, quin iure Locrensium epigramma a Strabone inter quinque epitaphia Thermopylensia relatum esset, necessarium ei fuit alteri quoque genti *ἐπικλήτῳ* (Her. 7. 203) nempe Phocensi cippum unum adiudicare. Non negavit autem Thespienses quoque suum epigramma habuisse [34]). Itaque non quinque, sed sex recuperavit epigrammata; qua de re Strabonem Megistiae monumenti rationem non habuisse sumpsit. — Locrenses nimirum et Phocenses nullo erant titulo celebrati, cum et evocati Leonidam secuti essent neque praeterea quicquam perfecissent laude dignum. Immo Phocenses [35]), quibus callis, qui per montem fert, custodiendus erat, appropinquantibus Persis in summum montem fugerant (cap. 218).

Levis res expedienda manet: quaeritur enim, qui Apollodorus Locrensium epigramma inscriptum esse dicere potuerit in *primo* cippo. Frustra quaero, qualem ordinem hic spectet numerus. Nullus enim cipporum fuit ordo; atque si quidam ordo erat observandus, sine ullo dubio Spartiatarum epigramma primum dicendum erat. At vide num Apollodorus scripserit Straboque legerit *ἐπὶ μιᾷ τῶν πέντε στηλῶν*, quod a librario scriptum errore *ἐπὶ α'*, a tertio solutum sit in *ἐπὶ τῇ πρώτῃ*.

§ 17. *De fonte Spartano.* Herodotum fonte Spartano uti *potuisse*, inde constat, quod Spartae se commoratum esse ipse testatur III. 55 [36]).

Supra (§ 13) iam monui *probabile esse* Herodotum, ex quo fonte notitiam hausisset de Simonide Megistiae inscriptionis dedicatore, ex eodem cognovisse et epigrammatum ipsorum textum et quorum in memoriam cippi fuissent statuti. Ab altera parte nunc

---

33) Quae Preger p. 18 hac de re disputavit, ea sunt, quae iamdudum a viro d. ipso reiecta esse putem.

34) Thebanos nimirum honore indignos habuit.

35) Locrenses quid fecerint, non traditur; proclivis autem est coniectura eos se Phocensibus adiunxisse.

36) Kirchhoff, Über die Zeit von Herodot's Besuch in Sparta, Mon. Ber. Berl. Ak. 1878 p. 1.

certum est in illa traditione tria epigrammata ipsa fuisse tradita, cum apparuerit duarum gentium epitaphia consulto in ea neglecta fuisse. Textui autem epigrammatum atque notitiae de iis, qui in illis essent celebrati, annotationem adiunctam fuisse necesse est de dedicatoribus. Itaque ex uno eodemque fonte derivatum est Herodoteum de epigrammatis caput omne. Quod pro annotatione literaria, quam narrationi pugnae Thermopylensis intexuit, haberi potest.

Quod supra (§ 15) verisimile dicebamus, Spartano fonti debere Herodotum hanc annotationem, id pro certo habendum est reputantibus continere Herodoteam Thermopylensis pugnae descriptionem notitias literarias eiusmodi duas, quas Sparta oriundas esse negari nequeat. Sunt autem hae:

1. Cap. 224 scriptor narrat se cognovisse omnium trecentorum, qui cum Leonida cecidissent, nomina. Quae resciscere non potuit nisi Spartae; ubi Pausanias se vidisse tradit (III. 14. 1) ex adverso theatri *στήλην πατρόθεν τὰ ὀνόματα ἔχουσαν οἳ πρὸς Μήδους τὸν ἐν Θερμοπύλαις ἀγῶνα ὑπέμειναν* [37]).

Spartae quoque, opinor, audivit narrationes de eorum ex trecentis casibus, qui pugnae non interfuissent (cap. 229—232; 229 *λέγεται*, 230 *λέγουσι*, 232 *λέγεται*).

2. Cap. 220 praebetur oraculum, quod consulentibus Spartanis Pythia reddidisse perhibebatur: fore ut aut Sparta everteretur a barbaris aut rex ipsorum periret. Hoc, quod post eventum compositum est, oraculum, et factum Spartae et vulgatum fuisse videtur.

Itaque constare mihi videtur et has annotationes literarias et eam quae est de epigrammatis ab Herodoto Spartae perceptas esse. Sunt autem viri docti, qui alias quoque narrationis partes Spartanae origini deberi putent [38]); quam prae se ferre Thermopylensis pugnae descriptionem omnem adeo sunt, qui asseverent [39]).

---

37) Kirchhoff p. 5.

38) De iis, quae narrantur cap. 206 — Carnea impedivisse Lacedaemonios, quominus totum mitterent exercitum — Busolt II². 676 hoc fert iudicium: 'diese Erzählung zeigt die Lakedaimonier vom besten Willen beseelt und ist sichtlich bemüht, hauptsächlich die Bundesgenossen für die Katastrophe verantwortlich zu machen. *Sie trägt das Gepräge einer durch die spartanische Regierung verbreiteten Darstellung.* Contra Ed. Meyer Forsch. II. 205 sq. locum inter eos recenset, ubi 'Sparta mit leichter Ironie behandelt wird', cf. G. d. A. III. 379 sq.: 'von officieller Färbung der Berichte . . . . vermag ich bei Her. nichts zu finden'.

39) Bury p. 97 sq.: 'his narrative is laid out for the glorification of the Lacedaemonians, and this feature, taken along with the anecdotes which he introduces about Demaratus and Gorgo, enables us to attain a moral certainty that he gives mainly the Spartan account, which he learned at Sparta' et porro p. 103. Grundy p. 314: 'Herodotus' narrative . . . . is from beginning to

Quod equidem has quaestiones dirimendas aliis relinquo, spero fore ut lectores probent. Nam et fines huius disquisitionis nimis egrederer et quaestiones strategicas [40]), quas hucusque consulto evitandas duxi, tractare coactus essem. Etiamsi appareret Herodotum totum pendere ab auctoribus non Spartanis — quod, opinor, nemo arbitretur — vel sic constat eum in digressionibus literariis Spartanas tradere traditiones.

Difficillima est quaestio atque vix dirimenda, cognoveritne Herodotus textum epigrammatum *praeterquam ex Spartano fonte* ex ipsis marmoribus. Nam huc redire § 13 vidimus quaestionem de scriptoris *αὐτοψίᾳ*. Hoc saltem constat Herodotum, sepulcra si ipse vidisset, *quinque* tradere debuisse. Sed fieri potest, ut vel sic auctorum suorum indicia sequenda duxerit, praesertim cum Thebanorum honores aegre cum ignaviae eorum narratione conciliari possent, Thespiensibusque satisfactum videretur, si in Peloponnesiorum epigrammate eorum quoque virtus laudata esse traderetur. Herodotum enim etiam in iis rebus, quae ipsi parum probabiles viderentur, ab auctoribus suis recedere noluisse ex ipsius notissimo testimonio (VII. 152) scimus [41]).

Sive vero Herodotus Thermopylas visitasse videtur sive non videtur, hoc verisimile duco eum epigrammatum textum traditurum non fuisse, nisi in Spartana, quam secutum eum esse apparuit, traditione versus ipsi essent laudati.

Praeterea vid. § seq.

§ 18. *De Herodoteae notitiae fide.* Instituimus imprimis fontis Herodotei inquisitionem (§ 12), ut constitueretur, num fide digna esset eius notitia Simonidem Megistiae inscriptionis, Amphictyones autem eius cippi esse dedicatores; quam annotationem denique positam esse vidimus in hoc fundamento, quod

---

end drawn from Lacedaemonian sources'. *Atheniensem* autem fontem in Thebanorum calumniatione Ed. Meyer (Forsch. II. 209 sq., G. d. A. III. 380) deprehendere sibi visus est: 'eine attische Version, die eingestandenermassen von den Ereignissen von 431 beeinflusst ist' (cf. quoque Busolt II². 675 n. 1). Non nego Herodotum Atheniensium in gratiam talia recepisse, sicut Corinthios accusat ignaviae in pugna Salaminia; at origo Thebanorum calumniae inde quaerenda esse videtur (cf. Bury supra ann. 30), quod in pugna Plataeensi a partibus Persarum steterunt.

40) Quaecumque pugnae Thermopylensis strategica accipitur explicatio, in ea copiarum expositio mea valet. Nam nongentos (300 + 200 + 400) numero cum Leonida Persis restitisse puto Graecos, cum etiam iis, qui Thebanos aciem deseruisse indicant, mille (300 + 700) viros remansisse accipiendum erat.

41) *ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὲν οὐ παντάπασι ὀφείλω, καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα λόγον.*

poeta ab Amphictyonibus invitatus, ut epigrammatis celebraret occisorum memoriam, pro vatis, utpote hospitis sui, carmine donum accipere noluisset. Ex fontis autem investigatione didicimus duas alias quaestiones esse de Herodoti fide: 1) memoraveritne tot cippos, quot statuissent Amphictyones; 2) praebeatne genuinum epigrammatum textum.

Incipiamus a quaestione de cipporum numero. Iam satis superque apparuit Herodotum hac in re verum non tradere. Fuerunt quinque, non tres pilae. Peculiaribus honorati sunt titulis tres illae gentes, quae post ceterarum receptum solae Persis restiterunt: Spartiatae, Thespienses, Thebani. Peculiari quoque inscriptione celebrata est vatis memoria, qui alter Amphiaraus [42]) exploratam perniciem non effugit; unum commune epigramma nancti sunt omnes, qui in proeliis superioribus conciderant. Quod cur Peloponnesiis inscriptum sit, nunc (cf. § 12) facile apparet. Ceterarum enim gentium, quae illis interfuerunt pugnis, duae, Thebana Thespiensisque, peculiaribus titulis iam erant honestatae, duae, Locrensis Phocensisque, insuper evocatae, communi saluti parum consuluerant, quam ut neglectos se esse aegre ferre possent (§ 16). Hoc ep. praeterea in gentes praecipuae pugnae participes scriptum esse dicebatur, ne Thespienses iusto honore privati viderentur.

Notitiam de Simonide Megistiae inscriptionis dedicatore, quam iam per se vix falsam esse posse monui (§ 12), nunc, cum per Spartiatas eam servatam esse apparuit, non veram esse quis putaverit? Quae enim gens accuratiorem Spartiatarum honorum (atque in iis Megistiae laudes habebantur) traditionem coluisse censenda est, quam Spartana ipsa? Quae apud illos vigebat traditio, ea ad ipsam monumentorum extructionem recurrere videtur. Simonides quod pro Megistiae epigrammate pecuniam repudiavit, pro ceteris accipere non veritus est, homines movit, ut eum vatis inscriptionis dedicatorem proderent. Dixi pro *ceteris* epigrammatis ei praemium solutum esse. Nam hoc, opinor, nunc luce clarius est Simonidem non solum poetam fuisse epigrammatum Peloponnesiorum atque Spartiatarum, quorum memoria iuxta vatis epigramma servata est, sed etiam Thespiensium atque Thebanorum, quae periisse demonstratum ivimus. Amphictyones nimirum poetam invitaverant, ut *omnes*, quos statuerent cippos, i. e. *quinque* carmine exornaret [43]).

---

42) Wecklein p. 288.

43) Vel sic demonstratur Thespiensium epitaphium (Philiadae), de quo cf. ann. 23, genuinum epigramma non esse, sed demonstrativum; Locrensium autem carmen sepulcrale (cf. ann. 32) temere inter Simonidea (93) esse receptum.

Tum autem nulla potest extare dubitatio, quin in traditione Spartana genuinus epigrammatum textus servatus sit [44]. Iam sic demonstratur — id, quod aliis quoque argumentis probatur (cf. § 44 sqq.) — epigrammatis 92 traditionem alteram esse recentiorem.

Quod tria illa epigrammata aetatem tulerunt, mero casui tribuendum est. Si in traditionem Spartanam non transiissent, neque Herodoto praesto fuissent neque nobis superessent (excepta sane recentiore forma epigrammatis 92). Thespiensium autem Thebanorumque epigrammata interierunt, cum nulla, in quam reciperentur, extitisse videatur traditio, aut si umquam extitit, nullus fuerit scriptor, qui ea usus sit. Antiquissima autem illa traditio redit ad lapides ipsos. Haec solet esse via, qua apud antiquiores scriptores (Herodotum, Thucydidem, Ephorum, alios) inscriptiones genuinae servatae sint. Non ipsi accedere solent ad marmora, neque inscriptionum syllogis utuntur, sed hauriunt e fontibus, qui ad monumenta ipsa refluunt. Tales antiquae traditiones si non extabant, epigrammata ipsa exitio denique destinata erant, nisi forte posterioribus saeculis a periegeta quodam in inscriptionum syllogen recepta sunt. Qua via inscriptiones ad scriptores pervenerint, saepe latet, sed nonnumquam ea indicari potest, ut in Thermopylensibus epigrammatis vidimus et in aliis paucis postea videbimus [45]. Hoc constat epigrammata Thermopylensia 91 atque 94 et epigrammatis 92 formam vetustiorem ad nos ventura non fuisse, nisi recepta fuissent in traditionem Spartanam. Nam cetera testimonia (praeter recentiorem formam epigrammatis 92) ad unum omnia ad Herodotum recurrere postea videbimus.

§ 19. *De epigrammatis statu temporibus Simonidis.* Tractanda nunc nobis haec quaestio est, qui explicandum sit, quod in traditione ab Herodoto prolata Simonides non omnium epigrammatum vel saltem Megistiae carminis *poeta* traditus sit, sed tantum unius inscriptionis in vatem *dedicator*. Explicatio petenda est inde, quod iis, quibus monumenta Thermopylensia sunt extructa, temporibus, in inscriptionibus sive donativis sive funebribus dedicandis is vigebat mos, ut respicerentur unice dedicatio dedicatorque, neglegeretur autem prorsus, unde adeptus esset inscriptionem dedicator. Quis inscriptionis, sive ea erat ligata sive soluta oratione composita, esset auctor, utrum dedicator suis ipsius verbis pietatem

---

44) Dialectus sola apud Herodotum non integra est servata; qua de re vid. in alt. p. h. comm.

45) De traditione epigrammatum Corinthiacorum vid. § 29; de traditione epigrammatis Tegeatici (102) vid. alt. huius comm. part.

testificatus esset, an benevolus amicus vel mercede quidam conductus operam ei praestitisset, earum rerum homines non curiosi erant. Eius inscriptio dici solebat, qui dedicaverat. Itaque Simonidis temporibus inscriptio, nedum dicam inscriptionem metricam, quae praecipue postea ἐπίγραμμα vocata est, nondum cum auctoris vel poetae nomine coniuncta laudabatur [46]).

Talem fuisse antiquum epigrammatis statum confirmatur iis, quae de alia eiusdem fere aetatis dedicatione cognita habemus. Aeschines enim Ctes. 183, ut demonstraret quam modeste prae illorum temporum magnificentia atque liberalitate cives bene de patria meritos remunerari soliti essent maiores, populum admonuit, quid donum petentibus imperatoribus, qui Eionem (a. 476) expugnavissent, concessum esset: *οὗτοι δεῦρο ἀφικόμενοι τὸν δῆμον ᾔτησαν δωρεάν, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ δῆμος τιμὰς μεγάλας, ὡς τότ' ἐδόκει, τρεῖς λιθίνους Ἑρμᾶς στῆσαι ἐν τῇ στοᾷ τῇ τῶν Ἑρμῶν, ἐφ' ᾧ τε μὴ ἐπιγράφειν τὰ ὀνόματα τὰ ἑαυτῶν, ἵνα μὴ τῶν στρατηγῶν ἀλλὰ τοῦ δήμου δοκῇ εἶναι τὸ ἐπίγραμμα.* Itaque si imperatoribus in inscriptione profiteri licuisset se — quod verum erat — hermas posuisse, nimia laude affecti visi essent; quibus satisfactum videbatur, si populus eos hermae honore dignos iudicasse diceretur, ut est in altero, quod Aeschines laudat, epigrammate (Preg. 153): *ἡγεμόνεσσι δὲ μισθὸν Ἀθηναῖοι τάδ' ἔδωκαν | ἀντ' εὐεργεσίης καὶ μεγάλης ἀρετῆς κτλ.* In antiqua igitur traditione, quam per Ephorum [47]), opinor, propagatam servavit

---

46) Reitzenstein p. 116 fere eandem iam protulit opinionem, sed nullo argumento comprobatam: 'wenn Herodot und Thukydides zwar Epigramme citieren, deren Verfasser aber nicht nennen, *so beweist dies klar*, dass ihre Zeit das Epigramm nur als inschriftliches Zeugnis, nicht als Dichtwerk betrachtete'. Nihil autem de Herodoti vel Thucydidis aetate demonstratur, sed de tempore, quo inscriptiones, de quibus traditiones fluxerunt in illos scriptores, incisae sunt. Praeterea Herodoti locus, quomodo explicandus esset, in medio ipse relinquendum duxit p. 112. n. 1, neque expedire aggressus est, qui Herodotus Simonidis facere mentionem potuerit, si auctorem epigrammatis non respexisset Vir cl., si revera argumentis probasset, quae nunc — maximam partem sane recte — coniecit, fundamentum esset adeptus, quod iis, quae de Simonide dissereret, substruxisset (cf. § 23).

47) Ephoro usum esse Aeschinem ex eo efficio, quod epp. redeunt ap. Plut. Cim. 7; qui res apud Eionem gestas Ephoro (Busolt III². 101 n. 1) debet sive Theopompo (II¹. 362 n. 1) ad Ephorum opinor recurrenti. Eadem tum obtinet rerum condicio atque in epigrammate Corinthiaco 137 (in Ephoro ep. legit Plut., Theopompi ex Ephoro hausta memoria servata est in Schol. Pind. cf. § 36). Errant, qui *epigrammata* ex Aeschine Plutarchum petivisse putent (vid. ap. Bus. III²). Cf. § 29 n. 28.

Aeschines[48]), inscriptio cum eius nomine, genetivi possessivi forma posito, coniungitur eiusque esse dicitur, qui eam inscribendam vel quod idem est qui monumentum statuendum curavit. Neglegitur poeta, cuius nomen, genetivo casu, addere posterior solet aetas.

Ea aetate, qua antiquus vigebat mos epigrammatis poetae non respiciendi — atque vidimus Simonidis temporibus eum viguisse — fieri neque potuit, ut poetae nomen in lapide inscriptioni asculperetur, nec, ut versuum traditioni literariae adderetur. Itaque si cuius epigrammatis traditio ad posteros devenit, eam semper poetae nomine destitutam traditam esse scriptoresque, qui eam receperint, epigramma anonymum praebuisse necesse est. Quod scriptores antiquiores e.g. Herodotus et Thucydides numquam epigrammati poetae nomen adiciunt, ex antiqua igitur epigrammatis condicione explicatur [49]).

Non solum ii scriptores antiquiores, qui tales antiquas traditiones receperunt, nomen poetae epigrammatis non produnt, sed scilicet recentiores quoque, qui ex antiquioribus illis sua hauserunt. Qui destituta poetae nomine epigrammata laudant, postquam iamdudum complura epigrammata, anonyma antea, certo poetae — imprimis Simonidi nostro — vindicata sunt (vid. § 20). Hoc autem saepe accidit, ut scriptores illi primarii evanuerint, supersint autem qui illis usi sunt. Ex Ephoro imprimis multa bonae frugis in scriptores posteriores (Diod., Plut.) transiisse postea videbimus.

§ 20. *De ratione qua quaestio Simonidea tractanda sit.* Certam rationem ad quaestionem Simonideam tractandam adipiscimur ex iis, quae vidimus de antiquo epigrammatis statu. Nam nulla ad posteros devenire potuit memoria literis consignata, quae Simonidem epigrammatis cuiusdam testabatur poetam. Simonides

---

48) Res ceteroquin notissima erat; Demosthenes enim (Lept. 112) expectat fore ut Leptines hac maiorum sobrietate utatur, ut legem, ne quis publicorum munerum esset immunis, populo commendet: *ἔστι τοίνυν τις πρόχειρος λόγος, ὡς ἄρα παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῶν προγόνων πόλλ' ἀγάθ' εἰργασμένοι τινὲς οὐδενὸς ἠξιοῦντο τοιούτου, ἀλλ' ἀγαπητῶς ἐπιγράμματος ἐν τοῖς Ἑρμαῖς ἔτυχον· καὶ ἴσως τοῦθ' ὑμῖν ἀναγνώσεται τὸ ἐπίγραμμα.*

49) Preger suspicatus erat (N. Phil. R. 1897 p. 131) nomen poetae additum a stili rationibus abhorrere. Ita tantum de stilo quodam sermo esse potest, ut scriptores posteriores, qui epigrammatis ficticiis ac demonstrativis narrationem variare solebant — imprimis asseclae scholae Isocrateae Ephorus et Theopompus — ea nomine poetae destituta proferrent, ut mos erat in inscriptionibus genuinis. Neque recte morem omnibus historicis atque oratoribus tribuerat Bergk. De Reitzensteinii opinione cf. ann. 46. Praeterea conferendus Kaibel GGA. 1892 p. 96.

unius tantum epigrammatis (94) dedicator traditus est; qua ex re efficiendum esse vidimus eum et huius epigrammatis esse auctorem et eorum, quae una cum illis Amphictyonum rogatu condidisse eum apparuit, sc. Peloponnesiorum (91) Spartiatarumque (92) epigrammatum, quae aetatem tulerunt, Thespiensium Thebanorumque, quae perierunt. Si vero Simonides praemium sibi oblatum pro Megistiae epigrammate non repudiasset, ne cum huius quidem epigrammatis traditione nomen eius coniunctum esset neque ullo modo pro certo constituere possemus neque adeo suspicari eum epigrammata ea condidisse, quibus Amphictyones eorum celebraverunt memoriam, qui in Thermopylis pro patria ceciderant.

Cum autem postea complura epigrammata Simonidis auctoritate ornata occurrant eaque plerumque, quae apud scriptores antiquiores vel apud eos scriptores qui antiquioribus usi sunt anonyma praebentur, constituendum est concinnatum esse aliquando librum, in quem series epigrammatum recepta esset, quae a Simonide condita esse crederetur. Quam Syllogen exeunte quarto demum saeculo compositam esse postea me demonstraturum esse confido (§ 37). In qua licet permulta epigrammata perperam Simonidi vindicata fuisse consentaneum sit, negandum non est inter ea epigrammata inveniri *potuisse*, quae iure poetae ascripta essent, etiamsi in fontibus Collectoris traderentur Simonidis nomine destituta. Ea enim in re imprimis errasse mihi videntur viri summi Kaibel et Wilamowitz, quod ea *sola* de causa epigramma Simonidi abiudicari posse putaverunt, quod in fonte recentiore nomen poetae adiciatur, omittatur in antiquiore.

Itaque apparet historiam traditionis epigrammatum, quae Simonidea auctoritate munita inveniuntur, prorsus esse diversam a traditione ceterorum poetae carminum. Quae rerum condicio iam recte animadversa est a Wilamowitzio Textg. p. 37. At vide, num vir clarissimus minus recto sit usus argumento: non communem melicis carminibus et epigrammatis fuisse traditionem, quia epigrammata servata Simonidea a poeta aliena essent. Concessit igitur v. cl. fieri posse, ut epigrammata *Simonidis nomine instructa* ex Simonidis aetate tradita sint (cf. eius verba in ann. mea 16 laud.). At vidimus traditionem literis consignatam de Simonidea cuiusvis epigrammatis auctoritate omnino non extitisse; atque ea est causa, cur secernendae sunt melicorum carminum traditiones atque epigrammatum.

Eo temporis igitur momento traditionis historia eorum epigrammatum, quae Sylloge Simonidea complectebatur, bifariam est divisa, quo ipsa Sylloge est adornata. In hac commentatione traditionem *antiquiorem*, quae extabat *ante* Syllogen confectam propagataque

est in scriptores recentiores, qui antiquioribus scriptoribus, a quibus illa traditio accepta erat, usi sunt, litera A notabo, *recentiorem* autem *Sylloges Simonideae* litera S. Quae distinctio eo magis necessaria erit, quod postea nobis apparebit traditionem S non solum discrepare a traditione A ea re, quod epigrammatis in hac anonymis auctoritatem Simonideam adicit, sed etiam quod plerumque epigrammatum textum exhibet diversum ab eo, in quo comparent in traditione antiquiore.

Ut constituatur quid testimoniis iis, quae Sylloge innituntur, tribuendum sit, tres sunt solvendae quaestiones, in quibus omnis vertitur quaestionis Simonideae tractatio: 1) quando epigrammatum Sylloge Simonidis nomine inscripta extitit quique casus eius fuerunt; 2) ex quibus qualibusque fontibus epigrammata Sylloges Simonideae petita sunt; 3) quae epp., quae apud scriptores Simonideo nomine ornata leguntur, ad ipsam Syllogen Simonideam sunt referenda, quae autem habent aliam Simonidei nominis originem. His quaestionibus in hac priore huius commentationis parte operam dabimus.

Tum demum explorata traditionis historia omni in altera parte inquisitio institui poterit, qua constituatur, quaenam genuina sint inter ea epigrammata quae Simonideam auctoritatem nancta sunt, vel potius, quatenus inter epigrammata postea Simonidi vindicata quaedam inveniantur, quae iure poetae nomine videantur esse ornata. Etenim, cum postea demonstraturi simus fontibus potissimum usum esse Collectorem *scriptoribus* (Herodoto Thucydide Ephoro e.g.), qui epigrammata nullo praeberent nomine praedita, nulla epigrammata anonyma iure Simonidi adiudicari potuerunt, nisi ea, quorum forte fortuna traditio antiqua in scriptores, Collectoris fontes, transiisset, atque necesse est inter epigrammata Simonideae Sylloges perpauca tantum ab ipso poeta profecta affuisse. Ratio, qua epigrammatum Simonideorum fides tentetur, non ea igitur est, quae multis viris doctis [50]) placuit, ut a genuinis secernantur subditicia, sed ut in epigrammatum congerie deprehendantur quaedam, quae posterior aetas merito Simonidis auctoritate instruxisse putanda sit. Qua in disquisitione tenendum est numquam licere epigramma quodcumque (exceptis Thermopylensibus tribus 94, 91, 92) propter cuiuscumque auctoritatem cum Simonide coniungere. Accedere necesse est alia argumenta, ut epigramma quoddam putemus iure Simonidi attributum a Collectore, quippe quem unice rationes, quae a proprio iudicio pendeant, inducere potuerint, ut Simonidi anonymum epigramma vindicaret.

---

50) Bergk, Hauvette, alii.

Num epigramma quoddam recte Simonidi assignatum videatur, id demum discernere poterimus, si κριτηρίῳ quodam dignoscere licebit, quaenam epigrammata Simonideam indolem atque naturam prae se ferant. Quam distinguendi rationem adipisci, opinor, possumus instituta comparatione inter epigrammata, quae Simonidem composuisse constat, tria et quinti saeculi inscriptiones metricas vulgares. Adhibendum scilicet est nostrum κριτήριον in iis tantum epigrammatis — idque in eorum forma antiquissima — quae propter argumentum a Simonide condi potuerunt quaeque per antiquam traditionem in Collectoris fontes transiisse vel certum vel probabile est. Traditionis autem natura ea est, ut *concedamus* necesse sit *fieri posse*, ut nullum epigramma — praeter tria illa — Simonidis auctoritatem iure adeptum esse disquisitio nostra doceat. Quamquam lectóres monere velim meam quidem disceptationem eo negationis non pervenisse: licet perpauca epp. (octo, cf. § 144) poetae nostro vindicaturus sim. Nullius epigrammatis tamen tam certo eius auctoritas constitui poterit, quam Thermopylensium.

Eorum praeterea epigrammatum, quae iniuria Simonidis nomine ornata videbuntur, quantum poterit, constituenda est origo.

Fieri potest, ut etiam hodie extent inter inscriptiones quinti saeculi sive in marmoribus sive apud scriptores servatas epigrammata anonyma, quae revera a Simonide profecta sint, quibus autem, quia in Collectoris fontes non pervenerunt, numquam a posteris Simonidea auctoritas est annexa. Ea de causa intra disquisitionem nostram trahendae sunt inscriptiones metricae Simonidis aetatis.

Quoniam epigrammata a Simonide ipso condita, si qua ad posteros pervenerint, nonnisi anonyma tradi potuisse vidimus, apparet quaestiones, quae sint de Simonide epigrammatico de eiusque poeseos epigrammaticae indole atque in Graeca epigrammatica poesi auctoritate usuque — nam etiam de iis denique iudicium ferendum erit — plane esse divellendas et ab aestimatione epigrammatum postea in Sylloge Simonidea atque in eius excerptis poetae adiudicatorum et ab auctoritate, qua Sylloge fructa esse videatur. Qua de causa cum Kaibelium (§ 21) Wilamowitziumque (§ 21 et ann. 55—57) errasse puto, qui, cum omnia fere epp. Simonidea a Simonide aliena esse viderent, negaverint eum et principem poetam epigrammaticum fuisse et summa apud aequales floruisse gloria, quam posteriorum demum hominum fraude ac credulitate nanctus esset, tum Reitzensteinium (§ 123 sqq.), qui poetas epigrammaticos Alexandrinos, Peloponnesiacae Scholae asseclas ante omnes, quos Simonideae Sylloges epigrammata imitatos esse — atque id iniuria — putaret, a Simonide pendere ratus sit.

Etiam de his quaestionibus in altera parte huius commentationis disputabo speroque me ibi demonstrare posse *Simonidem epigrammaticum*, quamquam epigrammata eius nomine ornata ei abiudicanda sint paucis exceptis omnia, et revera extitisse et vim adiecisse epigrammaticae poeseos fertilitati atque progressui.

§ 21. *De virorum doctorum studiis.* Postquam exposui, quo nitendum fundamento atque quae ineunda sit via ei, qui Simonideam quaestionem tractandam sibi sumat, disseram de historia quaestionis.

Junghahn (1869), a quo Simonideorum epigrammatum fidei originisque inquisitionem § 1 dixi cepisse exordium, quaestionis tractandae rationem secutus erat prorsus negativam, ut in singulis epigrammatis deprehenderet indicia singula, quibus recentior argueretur origo. Cuius commentatione e tenebris, in quibus scholasticae scriptiones solent delitescere, protracta Kaibel (1872/3) non solum singulis in rebus nova protulit argumenta, sed imprimis ei rei magnam vim esse tribuendam docuit, quod multa epigrammata apud alios traduntur Simonidea, apud alios laudantur anonyma. Praeterea Kaibel iam inquisivit in Sylloges Simonideae aetatem atque originem. Simonidem denique non epigrammatici laude fructum esse apud aequales arbitrabatur, sed eius 'gloriam inde fluxisse, quod eum celebratissimis carminibus seu *μελικῶς* sive *ἐλεγιακῶς* Graecorum contra Persas bella cecinisse sciebant' (p. 460).

Haec studia his demum annis, qua par est observantia, sunt aestimata. Bergk enim in quarta Poetarum Lyricorum editione (1878/82) epigrammatis ipsis praemisit prooemium, in quo Simonidi gloriam epigrammatici principis a Kaibelio ereptam reddere conabatur. Atque eo facilius Bergk persuasit hominibus, quod nullo negotio demonstrari poterat in indiciis posterioris originis designandis manifestos commissos fuisse errores[51]). Non ea autem in re summa Kaibelii commentationis vis erat posita, quod singulis argumentis singulorum epigrammatum fidem negavit neque ea in re, quod Simonidem iniuria pro summo habitum esse epigrammatico censuit, — iam apparuit (§ 20) haec concludere Kaibelio non licuisse —, sed quod viros doctos coegit — vel potius cogere debuerat — investigare, quaenam fides esset traditionum, quae nobis Simonideam auctoritatem epigrammatum testantur. Atque hoc Bergkium prorsus effugit. Epigramma quoddam si

51) E. g. quae Junghahn p. 6 sqq. approbante Kaibelio disputaverat de pronomine *οὗτος*, quod a genuinis epigrammatis alienum esset; cf. Bergk p. 432 sqq. Kaibel agnovit errorem GGA. 1892 p. 94 n. 1.

alibi poetae auctoritate insignitum alibi legeretur destitutum, Bergk rem sic expedivisse videtur, quasi altero loco casu quodam auctoris nomen esset omissum.

Secuta sunt Pregeri studia (1889/91). Qui intellexit singulorum epigrammatum originis constitutioni praecedere debere traditionis historiae investigationem. Qua de causa ante omnia in Sylloges Simonideae aetatem inquisivit. Duae autem obstabant causae, quominus ipse quaestionem solvere posset. Nam propter miram eius libri rationem [52]) omnia extra disquisitionis eius fines posita erant epigrammata Simonidea, quae unice in Anthologiis (Palatina et Planudea) occurrunt. Tum in Sylloges aetate definienda eam amplexus est opinionem, qua ad exitum pervenire nullo modo posset. Ei enim, qui ut Preger arbitratur Simonidem ipsum aut certe post mortem eius familiares epigrammatis colligendis navasse operam, agnoscendum est inter Simonidea epp. servata perpauca tantum inveniri posse, quae iniuria poetae auctoritatem occupaverint (cf. Kaibel in censura p. 95).

Post Pregerum nemo epigrammatum tractationi fundamentum ex traditionis historia petitum subiecit. Reitzenstein (1892), qui unus post eum aetatem Sylloges circumscribere conatus est, de epigrammatum origine disserere non potuit propter libri indolem. De huius v. cl. Simonideae quaestionis tractandae ratione dixi § 23, § 38 n. 54, §§ 123 sqq.

Neque apud Hauvettium (1896) prooemium, quod epigrammatis ipsis tractandis praemittitur, textus historiam enarrat,

---

52) Recipiendas enim non putavit v.d. inscriptiones metricas, quae unice in Anthologiis leguntur; qua re et parte laboris supersedit et hanc miram rerum paravit condicionem, ut epigrammata revera quondam lapidi incisa, quae tantum in Anthologiis (Palatina et Planudea) inveniantur ex libro exclusit, demonstrativa autem multa, quae praeterquam in Anthologiis forte a scriptore quodam laudentur, ascivit. Ex Simonideis duo exempla afferre licet. Duo extant epigrammata gemella (eaque demonstrativa) in Anth. Pal. VII. 251 et 253 *εἰς τοὺς* [*αὔτοὺς*, cf. § 101] *μετὰ Λεωνίδου πεσόντας* (Simon. 99, 100), quorum Pr. illud neglexit, hoc autem recepit (Pr. 8), quia etiam affertur in Scholiis Aristideis. Ex epigrammatis Eurymedontiacis illud, quod mihi cum E. Meyero (cf. alt. p. h. c.) genuinum esse constat, non respicitur (unice AP. VII. 258 ≐ Simon. 105); quod demonstrativum (AP. VII. 296 = Simon. 142), assumitur, utpote a scriptoribus quoque allatum (Pr. 269). Quin etiam genuinae inscriptiones, quarum lapides sunt reperti, procul habitae sunt (e. g. AP. VI. 138 = CIA. I. 381; AP. XIII. 13 = CIA. I. 403, Kaib. 751, Loewy Inschr. gr. Bildh. 47, Hoffm. 269; AP. XIII. 16 = Loewy 99, Hoffm. 381); quas asciscere non dubitasset, si insuper a scriptore nescioquo — atque adeo maxime ignobili vel mediocri — essent adductae. — De huius libri praeterea haud magna fide, cf. Kaibel in censura, Wilamowitz p. 306, Preger ipse N. Phil. Rsch. 1897 p. 130 n. 1.

secundum quam carminum singulorum originis disputatio dirigenda sit. Ille enim v.d., qui ut fuse disseruit de Simonideis ita infeliciter materiem pertractasse mihi videtur. Neque de Sylloge ipsa neque de eius origine quicquam dicere necesse habuit. Sed hanc simplicem mehercle iniit rationem, ut ea epigrammata iam statim ab initio pro genuinis atque a Simonide ipso confectis reciperet, quae traduntur a scriptoribus a se ipso *fide dignis* iudicatis; atque ex norma, quam ea ratione nanctus est, cetera sive reiceret sive admitteret. Qua de causa in prooemio scriptorum *fidem* temptare instituit, nec tamen, quod putaveras omnium. Alios neglexit testes e.g. eum, qui nusquam epigrammatis, quae laudat, Simonideis poetae adicit nomen, Diodorum dico, quem, cum in iis operis partibus, ubi Simonidea leguntur, repraesentet Ephorum, testem nobis esse locupletissimum apparebit, alios uno versu dimittit, e.g. Diogenem Laertium atque Pollucem. Neque omnia epigrammata Simonidea vocavit in examen. Ea e.g. epigrammata, quae apud Bergkium II⁴. 260 sub Empedoclis nomine leguntur, quae vero in alia traditione Simonidi tribuuntur, ne novisse quidem videtur (Emped. fr. 156, 157 Diels). A Bergkio alia quoque in re pendet, quod scilicet vix quicquam tribuit ei rei, quod multa epigrammata Simonidea etiam auctoris nomine carentia inveniuntur. Neque in singulorum epigrammatum origine constituenda eius disputatio magni est pretii. Quae carmina statim ut spuria secrevit, quippe a scriptoribus exhibita, quos ipse fide destitutos censuit, ea amplius respicere non magis necesse habuit quam inquirere in plurimorum eorum epigrammatum originem, quae in altera disquisitione putat ut subditicia abicienda. Nec denique respexisse aut novisse videtur Wilamowitzii (1885 et 1889), Keilii (1885), Reitzensteinii scripta [53]).

Hauvettii vestigiis institit Setti (1900), qui a minore numero [54]) indubiae fidei epigrammatum proficiscendum censuit ad cetera diiudicanda. Hanc scriptionem hoc iam loco afferendam putavi, cum v.d. ea, quae post Hauvettium de quaestione disputata sunt, ignorasse videatur.

Ἐποχὴν in quaestione Simonidea tractanda designat lapis Salamine inventus (1897), in quo epitaphii (ep. 96) Corinthiorum in pugna Salaminia interfectorum prius tantum distichon legitur.

---

53) Hic liber ab aliis ingenti praeconio elatus (e.g. Setti), ab aliis suo pretio aestimatus est (e.g. Preger N.Ph.R. 1897 p. 129 sqq., H. Stuart Jones Class. Rev. 1897 p. 170 sq.). Wilamowitz ne respiciendum quidem duxit.

54) Sunt epp. 94, 111, 130, 131, 136, 137, 145, 147, 157, quibus undecim alia (inter quae epp. 91 et 92) addiderat Hauvette.

Quae inscriptio, ab inventore ac sospitatore, St. Dragumi, non ab omni parte enucleata Wilamowitzio occasionem dedit scribendae praeclarae commentationis, quae 'Simonides der Epigrammatiker' insigniter inscripta est. Qua vir clarissimus demonstrare studuit Kaibelianas commentationes immerito diu neglectas iacuisse, cum hac inscriptione splendidissime confirmaretur, quod Kaibel iam suspicatus erat, nempe alterum distichon deberi arti rhetoricae (quae res Kaibelio sane causa fuerat, cur totum epigramma generi demonstrativo adiudicaret). Wilamowitz in hac commentatione singulis exemplis ostendere conatus est duas res imprimis in quaestione Simonidea esse animadvertenda: omissionem nominis poetae apud testes nonnullos et textus traditi diversitatem in nonnullis epigrammatis obviam. Quoniam non id egisse videtur vir clar., ut plenam exponeret epigrammatum Simonideorum traditionis historiam — nam neque de Sylloge ipsa disseruit neque igitur de eius aetate origine fontibus, factum est, ut in hac commentatione, ex qua meum opus identidem magnum accepit emolumentum, nonnumquam in singulis rebus a vero aberrasse virum summum constituere necesse sit. Quae autem de Simonide epigrammatico censuit Wilamowitz (p. 320: 'wir können auf dem Boden der Überlieferung nichts von einer besonderen Bedeutung des Simonides als Epigrammatikers behaupten') [55], ea opinor non conclusisset, si in antiquum epigrammatis statum inquisivisset [56].

Post Wilamowitzium qui de Simonideis disputaverunt, peculiaria tantum epigrammata sibi tractanda sumpserunt. Auxerunt materiem nostram Homolle (1898), qui crepidines Dinomenis filiorum

---

55) In annotatione quadam ad censuram Bacchylidis Kenyoniani (GGA. 1898 p. 158 n. 2) vir cl. Simonidem non solum epigrammaticum poetam mediocrem, sed etiam malum fuisse dixit: 'dass ihn (sc. Simonides) die Schlichtkeit der wirklichen Epigramme gar nichts angeht, habe ich kürzlich dargethan. Bei dem Vorläufer Ions ist daher eher an künstlichen Schmuck zu denken, wie ihn auch die lyrischen Fragmente zeigen .... Ich hatte aber übersehen, dass gerade für seine Epigramme das *tadelnde* Urteil eines Fachgenossen aus dem dritten Jahrhundert vorliegt'. Commemorat tum v. cl. Theodoridae epigramma *σκωπτικὸν* (AP. XIII. 21) in Mnasalcam poetam, cuius musa *τᾶς Σιμωνίδα πλάθας* (non *πλάτας* ut v. cl. laudat) *ἀποσπάραγμα* vocatur. Cuius loci sententiam virum cl. non recte perspexisse ostendam, cum de condicione inter Simonidem (i. e. Syllogen Simonideam) atque Alexandrinos poetas epigrammaticos, imprimis Mnasalcam, mihi disputandum erit (§ 124).

56) Wilamowitzii, qua est auctoritate, sententiam hodie viri docti complures amplectuntur, e. g. Wilhelm, Ed. Meyer G. d. A. III. 420, Leo in vita Kaibelii *τοῦ μακαρίτου* Nachr. Gött. Ges. Geschäftl. Mitt. 1902 p. 32 n. 1. Cf. praeterea annot. seq. Sitzler (in Bursiani Jahresber. 104. 1900 p. 128 sqq.) a Bergkianis Hauvettianisque rationibus nondum recessit.

donariorum Delphis effodit, **Wilhelm** (1899), qui lapides repperit epigrammatum 107 et 150 [57]) atque epigrammatis 108 fragmenti apographum agnovit in CIA., **Stadtmüller** (1895, '99), cuius accurata codicis Palatini descriptione complurium quaestionum diiudicandarum facultas demum data est.

Nondum autem conscripta est commentatio, in qua omnium, quotquot extant, epigrammatum Simonideorum aetatis atque originis inquisitioni substruitur fundamentum, quod in traditionis historia nititur. Quo opere suscipiendo ac perficiendo si Simonidi litterisque quicquam profuisse lectoribus visus ero, operam atque oleum me non prorsus perdidisse putabo.

---

57) Iniuria Wilhelm hoc lapide Wilamowitzii de Simonideis sententiam confirmatam esse putavit (quae quoque Wilamowitzii ipsius est opinio Textg. p. 37 n. 1). Herma a Wilhelmo inventus ep. 150 sane prius continet distichon. In hoc autem epigrammate praesertim apparet, quantopere nocuerit viris doctis parum accurata traditionis historiae notitia. Demonstrabitur enim § 91 hoc epigramma a Meleagro petitum ex Sylloge Anacreontea aetate demum Romana cum Simonide librariorum errore esse coniunctum.

CAPUT II.

DE SYLLOGES SIMONIDEAE AETATE ORIGINE HISTORIA.

§ 22. *Kaibel.* Antequam ipse in aetatem Sylloges atque in eas, quae cum ea cohaerent, quaestiones inquisitionem instituam, examinandae sunt virorum doctorum de Sylloge sententiae. In disquisitionem autem solae vocandae sunt Kaibelianae atque Reitzensteinianae. Preger enim — cui Sitzler Burs. Jb. 75. 1893 p. 225 et 92. 1897 p. 132 assentitus est — epigrammata a Simonide ipso collecta esse (p. XXII = diss. p. 5) vel brevi post mortem a cognato quodam esse edita (cf. N. Ph. R. 1897 p. 130) censens errasse putandus est, cum antiqui epigrammatis status rationem non haberet, si quidem recte se habent, quae § 19 disputavimus (cf. praeterea § 34). Wilamowitz autem (Comm. p. 5) de origine Sylloges tantum asseveravit: 'fuisse iam ante Alexandrinos grammaticos epigrammatum conlectionem certum est'.

Kaibel [1]) ad Sylloges Simonideorum epigrammatum aetatem definiendam duorum scriptorum adhibuit locos: *Thucydidem*, qui VI. 59 epigramma in Archedicam (111) anonymum laudat, *Aristotelem*, apud quem Rhet. I. 9. 31 eiusdem epigrammatis versus tertius Simonidis auctoritate ornatus legitur [2]). Ex qua auctoritatis discrepantia conclusit v.c. Thucydidis aetate nondum fuisse collecta Simonidis epigrammata, fuisse autem Aristotelis aetate.

---

1) Kaibelii sententiam ita proposui, ut virum cl. eam daturum fuisse credidi, si novis curis hanc quaestionem tractare ei licuisset. Cum non animadvertisset antiquitus epigrammata sine nomine auctoris tradita fuisse, explicatio ei invenienda erat, cur scriptores ante Syllogen conditam epigrammata Simonidea anonyma laudarent. Thermopylensia epigrammata (91, 92) Herodotum ideo Simonidis nomine non ornasse putabat, quia poetae non esse videbantur (cf. § 5). Quod idem de ep. 138 (Thuc. I. 132) iudicavit. Ep. 111 autem, de quo nunc sermo erit, Thucydidem Simonidi non attribuere, quod 'videtur ipsius lapidis apographo usus esse, in quo nomen additum non erat'. Hoc autem ep. Simonidi certo adiudicare non dubitat auctore Aristotele, 'qui cum non soleat inexplorata pro certis vendere nobis testis esse debet locupletissimus'.

2) Locum Aristoteleum excripsi orationisque contextum exposui § 37.

Eam opinionem etiam quattuor fere lustris post Kaibel tutatus est [3]). Quamquam eum non latuisse videtur, quid huic sententiae obstaret. Quae enim Thucydidem inter et Aristotelem extat condicio, ea denuo adest inter eundem locum Aristoteleum et *Aristophanis Byzantii* vocis ἄσιλλα testimonium, quod Eustathius 1761, 16 (ad ξ 350) ex grammatici λέξεων libri περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς [4]) servavit. Aristoteles enim praeter Simonideum versum laudaverat fragmentum distichi (πρόσθε . . . τραχεῖαν) — quod ipse paulo ante I. 7. 32 totum adduxerat — nullo poetae nomine adiecto; quod eo magis in oculos incurrit, quod Simonidis nomen versui insequenti adiecerat. Eustathius [5]) habet haec: Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς καὶ ἄλλας ἐκτίθεται καινοφώνους λέξεις, οἷον ἄσιλλαν, σκεῦός τι ἰχθυηρόν, οὗ χρῆσις παρὰ τῷ Σιμωνίδῃ (ep. 163) ἐν τῷ ‘πρόσθε μὲν ἀμφ᾿ ὤμοισιν ἔχων τρηχεῖαν ἄσιλλαν, ἰχθῦς ἐξ Ἄργους εἰς Τεγέην ἔφερε’. Aristophanes igitur distichon totum, ut Aristoteles ipse paulo ante, praebet idque Simonidis nomine instructum. Ex hac altera auctoritatis discrepantia Kaibel coniecit post priorem syllogen, quam ante Aristotelem concinnatam fuisse censuerat, alteram esse compositam, qua Aristophanes usus esset. Recentioris sylloges editorem unum ex Alexandrinis grammaticis fuisse arbitratus est cogitandumque ei visum est de eo, cuius operae Aristophanes fuit amplificator, sc. de Callimacho. Quod autem in ea ep. 163 Simonideis accensitum erat, cum non legeretur in vetustiore epigrammatum Simonideorum corollario, inde repetendum putavit v.c., quod ‘Callimachus non ea tantum, quae ab omni suspicione libera essent, in tabulas suas rettulisse videtur’.

Kaibelianae circumscriptioni aetatis Sylloges hoc imprimis obstat, quod *duas* syllogas, alteram vetustiorem, recentiorem alteram constituere cogitur, ut demonstret, quo tempore primum collecta sint epigrammata, quae Simonidis esse videbantur. Praeterea qualis condicio inter priorem atque posteriorem syllogen cogitanda esse videtur? Siquis enim, postquam aliqua ratione semel collectio epigrammatum facta est atque Sylloge Simonidea adornata, novam comparare cuperet editionem, ei aut illa Sylloge adhibenda erat, aut, quod veri est dissimile, prorsus nova instituenda erat conquisitio. Posteriorem igitur epigrammatum Simonideorum syllogen,

---

3) GGA. 1892 p. 97: ‘die Sammlung hat, wie ich auch jetzt noch behaupte, im 4ten Jahrhundert existiert’.

4) Fr. 22 Nauckii, qui tamen originem testimonii non recte perspexit; qua de re cf. § 116.

5) De Eustathii Aristotelisque textus discrepantia cf. § 37 n. 49 et § 116.

si umquam concinnata esse visa erit, non simillimam priori non fuisse concedendum erit; neque, opinor, id fugit Kaibelium ipsum scribentem GGA. 1892 p. 97: 'die zweite Ausgabe musste im wesentlichen mit der ersten identisch sein'. Tum vero alteram Sylloges editionem umquam extitisse negandum est. Kaibel sane addidit 'im wesentlichen', ut discrimen, quod inter Aristotelem atque Aristophanem extat, explicationem suam haberet.

Quodsi ea via, quam ingressus est Kaibel, ut Sylloges aetatem constitueret, nihil proficimus, alia tentanda est. Quod perhibetur apud PW.-RE. I. 2380 Syllogen Simonideam adornatam esse 'sicher vor Aristoteles', id nullo itaque nititur fundamento. Ad locos autem laudatos redibo § 37.

§ 23. *Reitzenstein.* Nunc inquirendum est, num Reitzenstein (p. 108—116) sequendus videatur in ea quam iniit via. Cum habeat sibi persuasum [6]) v.c. diu post poetae aetatem Syllogen esse compositam, terminum quaesivit, ante quem collectio facta esse videatur. Quam inquisitionem cum investigatione coniunxit de ratione, qua epigrammata conquisita essent. Primum probare studuit Collectorem epigrammata ex lapidibus ipsis petivisse, deinde illius transitus vestigio utitur ad terminum, ante quem origo Sylloges ponenda videatur, constituendum. Priori thesi haec affert argumenta. Ep. 148 conditum esse videtur ab Antigene (Wilamowitz Herm. 20. 68 sqq.), quamquam titulus AP. XIII. 28 ambigit inter Bacchylidem atque Simonidem. Unde effecit v.c. epigramma *ex lapide* pervenisse in Collectoris manus, qui auctorem fuisse alterutrum poetam Ceum coniceret. At ante omnia Reitzensteinio demonstrandum fuerat hoc tituli *dubii* epigramma lectum fuisse in ea Sylloge, quae epigrammata *Simonidi* ascripta contineret. Quod eo magis ei necessarium erat, quod nondum constitutum erat, quae decimi tertii Anthologiae Palatinae libri esset origo [7]). Sed fac Reitzensteinium recte sumpsisse epigramma affuisse in Sylloge Simonidea. Quis autem demonstrare potest Collectorem ipsum epigramma ex lapide descripsisse? Epigrammata sane, quae revera quondam marmori insculpta in Syllogen Simonideam recepta sunt, aliquando ab homine aliquo vel a pluribus hominibus descripta esse necesse est. Unde tamen

---

[6]) Nititur auctoritate Kaibelii atque Wilamowitzii (quorum alter ea tantum, quae § 22 init. laudavi, affirmaverat, alterum iustis non usum esse argumentis demonstrare studui in eadem §): 'dass des Simonides Epigramme erst später gesammelt wurden, steht längst durch Wilamowitz und Kaibel sicher'.

[7]) De hoc AP. libro quid sentiam exposui § 94. De epigrammatis tituli dubii cf. § 96.

deduci nequit talia epigrammata a descriptore ipso in Syllogen esse illata, nedum dicere liceat totam Syllogen illi debere originem. Minime igitur luce clarius est ('zeigt *recht deutlich*' R.) Collectorem, ut epigrammata Simonidea conquireret, lapides adiisse. Quamquam igitur et recte contendisse v.c. mihi videtur alterum, quod attulit, epigramma 105 lapidi inscriptum fuisse (qua de re vid. alt. h. comm. part.), et recte dixisse receptum fuisse in Syllogen Simonideam (cf. §§ 101, 103), haud licuit ei concludere: 'das Eindringen auch dieses Epigrammes in die simonideische Sammlung *erklärt sich leicht*, wenn dieselbe später von den Denkmälern zusammengetragen ist'.

Tertium argumentum petivit ex ep. 188. Quod apud Hephaestionem (cf. § 54) Simonidi attributum vel ideo a Ceo est alienum, quod Aristodemum Eleum, cuius victorias epigramma celebrat, vicisse constat Ol. 98 (= a. 388). 'Es hatte dem Sammler, *welcher an derselben Stelle noch andere "Simonidea" zusammensuchte*, den Eindruck höheren Alters gemacht und kam darum zu irgend einer Zeit in die Sammlung.' Temere hoc quoque epigramma Simonideae Syllogae accensetur. Sed fac — quod equidem praefracte nego (cf. § 96) — ep. aliquando in Syllogen receptum esse, ne tum quidem quicquam probari supra iam vidimus. Accedit autem peropportune, quod textus huius epigrammatis, qualis apud Hephaestionem praebetur, ex lapide propagari omnino non potuit. Elei enim a ludis Isthmicis exclusi erant, vicit Aristodemus Pythicis (cf. § 54).

Neque minus debile argumentum Reitzensteinio suppeditavit ep. AP. VII. 508 (a Bergkio inter Simonidea non receptum, est ap. Schn. p. 223, Preg. 40) in Pausaniam medicum, quod apud Diog. Laert. VIII. 60 tribuitur Empedocli, in AP. autem Simonidi (Bergk. vol. II[4] p. 260). Cum viro cl. constet epigramma revera fuisse inscriptionem ('vom Stein stammt VII. 508 *sicher*'), putat Diogenis auctorem ep. anonymum Empedocli utpote Siciliotae tribuisse, Collectorem autem Simonidi, quippe qui in aula Hieronis commoratus esse tradatur. Quoniam vulgo neglegi solet inter Simonidea epigramma, monuit Reitzenstein id in AP. non temere vocari Simonidis, cum alterum quoque Empedoclis epigramma, quod apud Diogenem consequitur VIII. 65, ibidem ab aliis Simonidi adiudicari dicatur [8]). Etiamsi autem cuncta recte constituisset v.c., non demonstrasset epigramma a Collectore ipso de lapide descriptum esse. Si vero epigrammatis textum apud utrumque auctorem comparasset, Anthologiam textum praebere animadver-

---

[8]) Schn. p. 224, Bergk II[4]. 260. Hoc ep. etiam apud Pregerum deest.

tisset prorsus diversum a Diogeniano. Revera hoc epigramma unum est ex illis, quae in textibus duobus diversis, vetustiore (A) et recentiore (S), nobis servata esse dixi § 20. Qua de re vid. § 75. Neque umquam lapidi insculptum fuit; sed formam vetustiorem eamque demonstrativi generis exhibet Diogenes Laert., recentiorem ex antiquiore formatam genuinique epigrammatis speciem imitantem Anthologia Palatina ex Sylloge Simonidea propagatam (cf. § 139) [9]).

Hoc debili fundamento nisus in uno epigrammate se observasse putavit vestigium, quo terminum, ante quem Collector epigrammata ex lapidibus in librum transtulisset, adipisci sibi visus est. Epigrammatis 92 versus alter apud Lycurgum Strabonem Diodorum (coll. Phaenno AP. VII. 437) habet *πειθόμενοι νομίμοις*, cum praebeant Herodotus atque Anth. Pal. VII. 249 lectionem, quae videtur genuina: *ῥήμασι πειθόμενοι.* Qua ex discrepantia v.c. conclusit haec: '*Es ist denkbar*, dass beim Übergang in die Buchsammlung der unklare Ausdruck durch einen allgemein verständlichen ersetzt wurde und schon Lykurg aus dem Buch citiert' [10]). At Anthologia Palatina, quam v.c. ipse Sylloges Simonideae rudera continere iure (cf. § 38) iudicat, non eam lectionem, quam pro genuina reposuisse Collectorem credidit, exhibet, sed Herodoteam. Praeterea non animadvertisse videtur v.c. versu priore Anthologiam non cum Herodoto (*ἀγγέλλειν*) facere, sed cum Lycurgo ceterisque (*ἄγγειλον*); tum parum est verisimile Lycurgum usum esse Sylloge Simonidea, non enim adicit epigrammati Simonidis nomen. Terminus denique antiquior ea sane via constitui poterat; nam lectiones Lycurgeae cum Diodoreis consentiunt, quae ad *Ephorum* recurrunt (§ 48). De epigrammatis 92 textu cf. §§ 44 sqq. [11]).

Tum termino a se invento (Lycurgo) antiquiorem aetatem Sylloges constituit hunc in modum. Animadvertit — idque iure — inter Simonidea circumferri epigrammata nonnulla ad bellum Medicum pertinentia demonstrativa. Qua ex re conclusit eos, qui Syllogen concinnavissent, fuisse rhetores. Exempla affert haece. Ep. 142 (Eurymedontium) numquam lapidi fuisse incisum dicit [12]).

---

9) Molesto negotio facile mehercle v.c. defungitur. Nam quattuor tantum epigrammatis examinatis patientioribus quam ipse est laborem exantlandum reliquit: 'ein "geduldige Feder" mag leicht mehr Beweise zusammentragen'.

10) Haec verba v.c. ipse distracta excudenda curavit.

11) Nihil huc faciunt, quae sententiae suae corroborandae causa affert v.c. de ordine inverso (cf. Fleck. Jb. 93. 30 sq.) epigrammatum trium Preg. 153 (sunt ea quae commemoravi § 19). Simonidea enim non sunt.

12) Recte sane, cf. § 21 n. 52. De hoc ep. de eiusque imitationibus vid. §§ 60 et 122.

Attamen anno 376/5 imitatio huius epigrammatis comparet in ep. 844 Kaib. et in altera quarti saeculi parte [13]) in Xanthia Columna (768 Kaib.). 'Wie kannte es der lykische Dichter, für welchen wir doch wohl die Benutzung einer buchmässigen Sammlung annehmen müssen? .... *Welch zwingender Grund liegt vor zu bestreiten*, das dies Epigramm und diese Sammlung nach Lykien gelangt sind?' Alterum, quod exempli loco laudat, epigramma 97 (Corinthiacum), quod demonstrativum additamentum nanctum est, huc non facit, quoniam versus reprehensi in ipsis Sylloges reliquiis (AP. VII. 250) desunt; comparent enim demum apud Aristidem 512 D. = 163 K. De ep. cf. §§ 34, 61, 141. Tertium exemplum ep. 106 (Eurymedontium), quamquam in AP. legitur atque demonstrativum id esse concedo, tamen numquam in Sylloge ipsa affuisse demonstrabitur § 127.

Talia epigrammata demonstrativa cum non aversaretur schola Isocratea, res Reitzensteinio in aprico est: '*es hindert nichts* die älteste Sammlung simonideischer Epigramme oder Sammlungen von Epigrammen aus den Perserkämpfen bis in die erste Zeit des Isocrates hinaufzurücken und mit ihr die ältesten epideiktischen Zuthaten'.

Doleo in hac parte libri aeque venusti ac festivi virum clarissimum tantopere abuti ingenio atque plectere artem logicam. Attamen duae res in illa commentatione insunt, propter quas multa ei condonanda sunt. Primum quod sensit disquisitionem de aetate Sylloges artissime cohaerere cum quaestione de eius origine, tum quod primus omnium locos Diogenianos VIII. 60 et 65 in *Simonideae* quaestionis fines vocavit; qui loci ab omnibus (praeter Schneidewinum, qui eos notavit, at non usurpavit) ante Reitzensteinium neglecti, ne ab iis quidem sunt respecti, qui post eum Simonideam quaestionem tractandam sibi sumpserunt, Hauvettium volo atque Wilamowitzium.

§ 24. *De mutata epigrammatis condicione.* Quae vero argumenta in Sylloges Simonideorum epigrammatum aetate definienda certissima ac tutissima esse possint, exponam, postquam paucis dixi de mutato epigrammatis statu. Nam concedendum est Syllogen ea demum aetate concinnari potuisse, cum antiqua epigrammatis condicio, qua auctor neglegeretur, evanuisset. In inscriptionibus autem mutationis illius vestigia vix ostenduntur, cum nihilo magis quam antea marmori inscribi soleat poetae epigrammatis nomen. His demum annis publici iuris facta est inscriptio satis antiqua et

---

13) Sic aetas inscriptionis definitur CIG. 4269; at hodie constat eam multo esse antiquiorem, cf. § 122.

aliis de causis insignissima et quod carmini nomen poetae subscriptum est. Volo inscriptionem Delphis effossam [14]), quam statuae suae Lysander Atheniensibus ad Aegospotamos devictis Apollini dedicatae inscripsit. Quod epigramma ab Homollio promulgatum Comptes rendus de l'acad. des inscr. 1901 p. 681, quia quantum scio non repetitum est nisi a Pomtowio Berl. Ph. W. 1901 p. 734 atque a Bormanno Jahresh. öst. arch. Inst. VI. 1903 p. 243, hic iteratum esto:

Εἰκόνα ἑὰν ἀνέϑηκε[ν ἐπ' ἔργ]ω[ι τ]ῶιδε, ὅτε νικῶν
ναῦσι ϑοαῖς πέρσεν Κε[κ]ροπιδᾶν δύναμιν
Λύσανδρος, Λακεδαί[μο]να ἀπόρϑητον στεφανώσα[ς]
Ἑλλάδος ἀκρόπο[λιν, κ]αλλίχορομ πατρίδα.

Subsequitur autem illa disticha pentameter dactylicus hic:

Ἐξάμο (= ἐκ Σάμου) ἀμφιρύτ[ου] τεῦξε ἐλεγεῖον Ἴων.

Non solum quod novum cognoscimus poetam Ionem eumque Samium [15]) neque quod epigrammatis notio voce *ἐλεγεῖον* indicatur, haec subscriptio quam maximi est pretii, sed praesertim quod poetae nomen epigrammati subicitur [16]).

Hoc autem carmen nos in aetate Sylloges definienda nihil adiuvat, quia lapidi inscriptum est multo ante ea tempora, quibus demum — ut infra apparebit — Simonideorum epigrammatum *συναγωγὴ* cogitari potest.

Quod autem dixit Reitzenstein (cf. § 19 n. 46), scriptores, qui Simonidem auctorem epigrammatis non adicerent, vixisse, cum antiquus vigeret mos, — unde terminum, post quem concinnata esset Sylloge, acquiri potuisse quis efficiat — ea in re errasse virum cl. iam l.l. significavi. Nam scriptores qui epigrammata exhibent anonyma, ea non nomine auctoris destituta laudant, quod *ipsi* antiquam epigrammatis observent condicionem, sed

---

14) 'Sur l'esplanade du temple d'Apollon, vers l'angle Nord-Est, non loin des ex-voto de Gélon et de Hiéron (de quibus donariis in alt. h. c. p. dicendum est), fut découverte en deux morceaux, l'année 1894, une dalle de calcaire gris écornée aux deux angles, mais complète à bien peu près.' Homolle loco infra laudato. Praeter hanc crepidinem inventae sunt reliquiae inscriptionum statuarum, quas Lysandrum nauarchis suis statuisse tradit Plut. Lys. 18 (une série de dalles à inscriptions [cf. § 9 n. 7] réparties sur les deux côtés de la voie sacrée), cf. l.l. p. 670 sqq. et Bull. Corr. Hell. 1897 p. 285 sqq.

15) Io Samius unus ex iis poetis fuisse videtur, quos Lysander in comitatu suo habebat teste Duride (fr. 65, FHG. II. 484) apud Plut. Lys. 18; cf. Homolle p. 684. — De voce *ἐλεγεῖον* cf. § 9 n. 7.

16) Inscriptiones, quibus poetae nomen adiectum est, composuit Wilhelm p. 239 n. 48; cui tunc antiquissimum exemplum notum erat in lapide Larissae invento (Mitt. arch. Inst. Ath. VIII. 23) alterius ante Chr. n. saeculi.

quod iis temporibus, quibus epigrammata illa condita sunt, ea sine poetae auctoritate vulgabantur ac propagabantur. Ceterum epigrammata auctoris nomine non munita adeo apud Suidam occurrunt.

Ea praesertim in re epigrammatis condicio commutata conspicitur, quod fuerunt poetae, qui epigrammatis demonstrativis condendis se applicarent epigrammatumque ederent corollaria suo nomine inscripta. Poesis illa epigrammatica epidictica cum floreret, fuisse videntur, qui epigrammatici poetae principis aliorumque prisci aevi poetarum summorum (Sapphus, Anacreontis, Archilochi, Bacchylidis, AP. IV. 1. 6, 35, 38, 34) requirerent epigrammatum eiusmodi collectiones, quales aequalium circumferebantur. Cui desiderio ut satisfacerent, fuerunt, qui componerent in singulis syllogis epigrammata anonyma, quae iis antiquorum illorum poetarum esse videbantur. Sylloge Simonidea igitur ante Alexandri Magni aetatem omnino concinnari non potuit.

Ab altera autem parte Syllogen in Bibliotheca Alexandrina affuisse affirmari licet. *Alexandrinam* editionem epigrammatum Simonideorum Meleagro praebuisse probabile est *νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω* (AP. IV. 1. 8), — quod cur iniuria negasse putem Wilamowitzium dicam § 38. Confidenter praeterea Daubio auctore (Fleck. Jb. XI. Suppl. Bd. 1880 p. 427) *ἐπιγραμμάτων* mentionem apud Suidam v. *Σιμωνίδης* ad Callimachi tabulas referre possumus (cf. § 132).

Nimis autem debili niteremur fundamento si his finibus (Alex. Magn. aet. — Callim.) aetatem Sylloges circumcludere vellemus. Certum autem terminum, *ante* quem Sylloges origo ponenda videatur, adipiscemur, si scriptor indicari poterit, qui Sylloge usus est; certum terminum, *post* quem Syllogen concinnatam esse constituendum sit, si fontis cuiusdam, quem Collector usurpasse videtur, aetatem definire poterimus. Nam disquisitionem, quae sit de Collectoris fontibus, artissime coniunctam esse cum investigatione, qua constituatur Sylloges aetas, iam in praecedentis § fine monui.

Cum Aristotelis Aristophanisque locos nullam operam polliceri viderimus (§ 22) inquirentibus, *ante* quem terminum Sylloge ponenda sit, nullus scriptor nostro usui inservire posse videtur, — nam Aristodemus Aristarcheus (§ 77) recentior est quaestionesque, quae sunt de condicione inter Simonidem Syllogenque Simonideam atque poetas Alexandrinos epigrammaticos, procul sunt habendae, quoad traditionis historiam omnem cognoverimus.

Attamen unus est scriptor, a quo Syllogen Simonideam usurpatam esse demonstrare me posse confido, sc. *Timaeus*. Quamquam non ipsius Timaei testimonium nobis superest, sed erui

potest ex aliis. Quod cum conabor facere, simul nascetur occasio termini cuiusdam indicandi, *post* quem Sylloge orta sit (§ 35). Quamquam postea (§ 37) terminum recentiorem ut inveniamus operam dabimus. Erit disquisitio nostra de epigrammatis 137 testimoniis eorumque relatione.

§ 25. *Testimonia epigrammatis 137.* Pindarus cum Xenophontis Corinthii victoriam Olympiae Ol. 69 (a. 504) partam celebraret carmine Olympico XIII, victoris patriam cum aliis extulit laudibus tum hisce (v. 30 sqq.):

ἐν δὲ Μοῖσ' ἀδύπνοος
ἐν δ' Ἄρης ἀνθεῖ νέων
οὐλίαις αἰχμαῖσιν ἀνδρῶν.

Ad horum versuum medium duplex extat Scholion, cuius pars prior uberius continet exordium partis alterius, quam hic habes (Boeckh p. 272, Drachmann p. 364; codd. BCEQ.): *τὸν Ἄρην φησὶν ἐν Κορίνθῳ λάμπειν τείνων εἰς τὰ περὶ Περσίδα, ἐν οἷς ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας ἠνδραγάθησαν οἱ Κορίνθιοι. Θεόπομπος* (fr. 170, FHG. I. 306) *δέ φησι καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν εὔξασθαι τῇ Ἀφροδίτῃ ἔρωτα ἐμπεσεῖν τοῖς ἀνδράσιν αὐτῶν μάχεσθαι ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος τοῖς Μήδοις, εἰσελθούσας εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὅπερ ἱδρύσασθαι τὴν Μήδειαν λέγουσιν Ἥρας προσταξάσης. εἶναι δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν ἀριστερᾶς χειρός·*

αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ ἀγχεμάχων πολιηтᾶν
ἔστασαν εὐχόμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐβούλετο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν δόμεναι.

Cum Theopompus epigramma praebeat *anonymum*, constituendum est eum accepisse antiquam huius epigrammatis traditionem (A) ex ea aetate propagatam, cum antiquus mos vigeret epigrammatis poetam non respiciendi.

Alterum testimonium invenitur apud Plutarchum de Her. mal. 871 a. Qui ut Herodoteam (VIII. 94) narrationem impugnet de Corinthiorum ducisque Adimanti in pugna Salaminia ignavia, et alia affert argumenta et quinque laudat epigrammata, quae proelio partim supparia aut partim aliquanto post incisa Corinthiorum res gestas testentur. Quorum quattuor anonyma exhibet, quae omnia alibi Simonidi ascripta inveniuntur (epp. 96, 97, 134, 98); quintum autem, quod idem est ep. 137, quo anonymo Theopompum usum esse vidimus, id ille laudat *Simonidis nomine praeditum.* In quattuor igitur illis epigrammatis Plutarchus quoque refert antiquam traditionem (A), quinti autem

praebet traditionem recentiorem (S), in qua huic epigrammati antea anonymo Simonidis auctoritas adiuncta est. Ecce eius verba: *καὶ μὴν ὅτι μόναι τῶν Ἑλληνίδων αἱ Κορίνθιαι γυναῖκες εὔξαντο τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ δαιμόνιον εὐχὴν ἔρωτα τοῖς ἀνδράσι τῆς πρὸς τοὺς βαρβάρους μάχης ἐμβαλεῖν τὴν θεόν, οὐχ ὅπως τοὺς περὶ Ἡρόδοτον ἀγνοῆσαι πιθανὸν ἦν, ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἔσχατον Καρῶν. διεβοήθη γὰρ τὸ πρᾶγμα καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν ἐπίγραμμα, χαλκῶν εἰκόνων ἀνασταθεισῶν ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀφροδίτης, ὃν ἱδρύσασθαι Μήδειαν λέγουσιν, οἱ μὲν αὐτὴν παυσαμένην τἀνδρός, οἱ δὲ ἐπὶ τῷ τὸν Ἰάσονα τῆς Θέτιδος ἐρῶντα παῦσαι τὴν θεόν. τὸ δ' ἐπίγραμμα τοῦτ' ἐστίν·*

αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ ἰθυμάχων πολιητᾶν
ἑστάθεν εὔξάμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήδετο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Tertium testimonium suppeditat Athenaeus 573 c, qui in libro XIII, in quo praesertim de meretricibus disserit, antiquum morem Corinthium commemorat nostro epigrammate illustratum. Epigrammati adiectum est *nomen Simonidis*, qua re Athenaeus recentiorem traditionem (S) repraesentare videtur. Quorum scriptorum niteretur auctoritate, lectores incertos esse noluit; nam non minus trium tradit auctorum nomina, qui de eadem re scripserant. Quorum alterum iam cognitum habemus ex Scholio Pindarico sc. Theopompum. Praeterea laudantur Chamaeleontis Heracleotae liber *περὶ Πινδάρου* et Timaei liber septimus. Testimonium Athenaei in aliis rebus cum Theopompo (Schol. Pind.) conspirans, in aliis cum Plutarcho, in aliis autem ab utroque discrepans, hoc est: *νόμιμόν ἐστιν ἀρχαῖον ἐν Κορίνθῳ, ὡς καὶ Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης* (fr. 16 Koepke) *ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Πινδάρου, ὅταν ἡ πόλις εὔχηται περὶ μεγάλων τῇ Ἀφροδίτῃ, συμπαραλαμβάνεσθαι πρὸς τὴν ἱκετείαν τὰς ἑταίρας ὡς πλείστας, καὶ ταύτας προσεύχεσθαι τῇ θεῷ καὶ ὕστερον ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς παρεῖναι. καὶ ὅτε δὴ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν στρατείαν ἦγεν ὁ Πέρσης, ὡς καὶ Θεόπομπος* (fr. 170, FHG. I. 306, vid. supra) *ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος* (fr. 57, FHG. I. 204) *ἐν τῇ ἑβδόμῃ, αἱ Κορίνθιαι ἑταῖραι εὔξαντο ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας εἰς τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐλθοῦσαι νεών. διὸ καὶ Σιμωνίδης ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ θεῷ τὸν ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα καὶ τὰς ἑταίρας ἰδίᾳ* ('i. e. solas e toto populo' Wilam. Comm. p. 4) *γραψάντων τὰς τότε ποιησαμένας τὴν ἱκετείαν καὶ ὕστερον παρούσας* (sc. *ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς* vel *ἐπὶ ταῖς θυσίαις*, quorum alterutrum fort. addend. cens. Kaib.) *συνέθηκε τόδε τὸ ἐπίγραμμα·*

αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ εὐθυμάχων πολιητᾶν
ἑστάθεν εὔχεσθαι Κύπριδι δαιμονίᾳ·

οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ' Ἀφροδίτα
Πέρσαις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

καὶ οἱ ἰδιῶται δὲ κατεύχονται τῇ θεῷ τελεσθέντων περὶ ὧν ἂν ποιῶνται τὴν δέησιν ἀπάξειν αὐτῇ καὶ [τὰς del. Wil.] ἑταίρας.

In tribus 17) his testimoniis tria sunt elementa, quae in alio aliter coniuncta habemus. Simonidis nomen adest apud Athenaeum et Plutarchum, deest in Scholio Pindarico (Theopompo). Mulieres, quae precationem fecerunt, Theopompo atque Plutarcho Corinthiorum sunt matronae, Athenaeo meretrices. Quod denique ad donarii genus attinet, Plutarchus simulacra aenea commemorat, Athenaeus autem tabulam pictam. Quam itidem tradidisse Theopompum, cuius memoria hac in re periit, infra (§ 27) demonstrabitur.

Epigrammatis textum aliter alius praebet. Quamquam, ut videbimus §§ 31 et 33, textus Athenaei Plutarchique similitudinem quandam prae se ferunt, qua a Theopompeo differunt.

§ 26. *Virorum doctorum opiniones.* Ad constituendum terminum, ante quem Sylloge composita esse videatur, maxime sciri interest, quonam ex auctore in Athenaeum et in Plutarchum pervenerit epigramma nostrum in *recentiore* condicione (S). Quocirca investigandum est, quomodo tria illa testimonia cohaerere triumque elementorum discrepantiae ortae esse videantur.

Necesse non habeo fuse referre omnes virorum doctorum opiniones de horum testimoniorum cognatione. Plerique enim neque antiquae epigrammatis condicionis neque omnium elementorum discriminum rationem habuerunt. Quantum a vero recesserit Bergk p. 481, cum in Scholio Pindarico Simonidis nomen intercidisse putaret, quod Plutarchus iam invenisset cum commentarios Pindaricos adhiberet, luce clarius est. Neque respiciendus est Hauvette, cuius expositio (p. 19 sq., 55 sqq.) tam confusa est, ut aegre expedias, quid ille sit consecutus 18). Kaibel p. 446 pauca tantum de his locis profert. Mirum in modum Preger (68 = diss. p. 12 sqq.) cognationem constitui posse existimavit: ex epigrammatis enim textibus diversis efficere conatus est, qui auctor de donario Corinthiorum verum traderet; nullum autem

17) Neglegi potest quartum testimonium (Lascaris ap. Ir. p. 263 col. 2), quod ex Scholio Pindarico haustum esse vidit Preger p. 54 n. 1. Continet textum epigrammatis praemissa nota hac: ἐπίγραμμα Ἀριστοτέλους ἐλεγεῖον ἐν ναῷ τῆς Κορίνθου. Explicare conatus sum § 120, — id quod Preger non explanavit —, qui huic epigrammati Aristotelis auctoritas adici potuerit.

18) Wilamowitzii Commentariolum, ex quo quantum emolumentum percipi potuerit infra (§ 30) apparebit, suis oculis inspicere v.d. necesse non habuisse videtur (p. 20 n. 4 et 5).

scriptorem cum genuinum textum praebere putaret, versu altero coniectura tentato indicare voluit, quomodo testimonia inter se essent conexa.

Neque nodum solvisse mihi videtur Wilamowitz (Comm. p. 3—7, NGG. p. 310), quamquam uni imprimis rei splendide lucem attulit (cf. § 30). Viri clarissimi iudicio Athenaeus totus pendet a Chamaeleonte, nisi quod in huius notitiam intrusit verba *ὥς καὶ Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ζ*. Vereor ne ea via, qua Theopompus atque Timaeus e quaestione eliminantur, cuiquam placere non possit. Recte virum cl. vidisse arbitror Chamaeleontem Athenaei fontem fuisse primarium, sed erravit, nisi ego fallor, cum negavit Athenaeum in Chamaeleontis libro iam laudatos invenisse Theopompum atque Timaeum (cf. §§ 30, 31). Neque Wilamowitzii explicatio satisfacere potest in condicione Theopompi atque Plutarchi designanda. Iure (§ 28) eum reiecisse priorem (Comm. p. 3) opinionem existimo, Plutarchum usum esse Theopompo ipso; cuius notitiam potius per alium scriptorem quendam eum cognovisse constituendum videtur. Sed mire nos inquirere vetat, quinam auctor inter utrumque medius sit ('nach den Namen der Mittelsmänner zu suchen ist ganz müssig'). At ea ipsa de causa omnis nostra investigatio instituitur: ille enim scriptor, quamvis ex Theopompo antiquiorem epigrammatis condicionem cognoverit, Plutarcho recentiorem tradidisse videtur. Quales praeterea Timaei fuerint partes se affirmare non posse v.c. ipse profitetur (p. 4). Nec denique enucleavit donariorum discrimen neque textuum discrepantiam.

§ 27. *De Theopompo.* Testimoniorum cognationem indagaturo ab eo proficiscendum est scriptore, cuius verba tradita sunt alienis frustulis non intermixta, sc. a Theopompo. Qui nobis occasionem dat statuendi, quid in Athenaei testimonio non ipsi sed sive Chamaeleonti sive Timaeo debeatur (cf. § 30).

Constituenda iam est condicio Theopompeae in Scholio notitiae. Quam integram servasse Scholiastam Pregeri est sententia (diss. p. 13). Hoc equidem praefracte nego. Primum enim haud verisimile est tacuisse Theopompum de *donario* atque de eius genere. Deinde in verbis *εἶναι* (*ἔστι* Bergk!) *δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον κτλ.* Scholiasta vel eius auctor in brevius contrahens relata cernitur. Neque verba *ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν ἀριστερᾶς χειρὸς* eiusmodi sunt, ut a bono scriptore ea data esse credam. Qua de causa Theopompum scripsisse puto non *inscriptionem* fuisse templum intranti ad sinistram, sed *donarium*, cui illud *ἐλεγεῖον* esset subscriptum. Quae coniectura ex Athenaeo confirmari potest; apud eum enim leguntur verba *ἀναθέντων τῶν*

Κορινθίων πίνακα τῇ θεῷ τὸν ἔτι νῦν διαμένοντα, in quibus notitiam Theopompi, quam quoque in Athenaeum fluxisse vidimus, servatam esse docet similitudo ultimorum vocabulorum atque Scholiastae Pindarici dicti *καὶ νῦν* [19]). Hac ex re simul apparet Theopompo fuisse donarium *tabulam pictam* neque eum, ut fit apud Plutarchum, de *statuis aeneis* fecisse verba.

Etiam alterum adest indicium Theopompea verba in Scholio in brevius contracta legi. Iam primo obtutu manifestum est Plutarchi testimonium quodammodo cum Theopompeo cognatum esse (quae cognatio qualis sit in proxima paragrapho videbimus). Templum Veneris apud utrumque a Medea conditum esse dicitur. In Scholio autem legitur *τὸ ἱερὸν ὃ ἱδρύσασθαι τὴν Μήδειαν λέγουσιν Ἥρας προσταξάσης*, apud Plutarchum tamen *ὃν* (sc. *ναὸν*) *ἱδρύσασθαι Μήδειαν λέγουσιν, οἱ μὲν αὐτὴν παυσαμένην τἀνδρός, οἱ δ' ἐπὶ τῷ τὸν Ἰάσονα τῆς Θέτιδος ἐρῶντα παῦσαι τὴν θεόν.* Scholii verba absoluta non sunt, nisi addatur, qua de causa Iuno Medeam fanum condere Corinthiacum iusserit, quae duplici fabula de templi origine apud Plutarchum enarrata continetur. Theopompus ipse igitur scripsisse censendus est *ὃ ἱδρ. τὴν Μήδ. λέγουσιν Ἥρας προσταξάσης, οἱ μὲν . . . τἀνδρός, οἱ δὲ . . . θεόν.* Ex illis autem Plutarchus vel eius auctor omisit verba *Ἥρας προσταξάσης.*

§ 28. *De Plutarcho.* Investiganti, qua nitatur Plutarchus auctoritate, duae quaestiones diligenter distinguendae sunt:

1) ex quo fonte hausit Plut. ea, quae de ep. 137 habet; qualisque extat condicio inter eum atque Theopompum;
2) num quo fonte usus est in ep. 137 Plut., idem ei suppeditavisse videtur epigrammata quattuor Corinthiaca quae praecedunt.

Plutarchea notitia epigrammatis 137, quamquam manifesto cognata est cum Theopompea, ex hac ipsa hauriri non potuit, quoniam haec repraesentat traditionem epigrammatum antiquiorem (anonymam A), illa autem recentiorem (Simonideam S). Hoc igitur sumendum est Plutarchum non Theopompo ipso usum esse, sed scriptore quodam, a quo Theopompus esset adhibitus. Qui auctor, quem littera X designabo, quis fuerit, cognoscere nostra quam maxime interest, cum eum iuxta traditionem epigrammatis antiquiorem, quam apud Theopompum invenisset, recentiorem traditionem aliunde arcessitam laudasse necesse sit.

Quaeritur autem, num fons ille X fuerit idem, ex quo cetera

---

19) Verba *τὸν ἔτι νῦν διαμένοντα* non Athenaei ipsius esse, sed ex antiquiore fluxisse scriptore iam ex eo apparet, quod Veneris templum anno 146 dirutum est. Cf. § 29 n. 26.

epigrammata Corinthiaca (96, 97, 134, 98) petivit Plutarchus. Sumpsit hoc Wilamowitz. Attamen vel ex ea re constat Plutarchum non in eodem fonte quattuor illa epigrammata invenisse in quo epigrammatis 137 traditionem *recentiorem*, quod illorum epigrammatum praebet traditionem antiquiorem (anonymam). Quamquam horum quoque epigrammatum recentior traditio (Simonidea) et extabat et ad nos pervenit [20]). Constituendum igitur est Plutarchum in epigrammatis Corinthiis laudandis duobus usum esse fontibus, quorum alter, qui unice epigramma 137 contineret, recentiorem (S), alter, ex quo quattuor cetera epigrammata Corinthia accepisset, antiquiorem (A) repraesentaret traditionem. Hunc fontem littera insigniam Y [21]).

Quae autem res retinuit viros doctos, quominus duos usurpasse Plutarchum fontes diversos agnoscerent, ea est arta, quae inter quattuor epigrammata et quod ea sequitur quintum interesse videtur necessitudo. Tantum autem abest, ut equidem quinque illa epigrammata divelli posse concedam, ut nullum scriptorem fuisse putem, qui quattuor epigrammata proderet, quinti autem — quod praeterea multo est gravius quam ep. 134 [22]) —, nullam faceret mentionem. Inde autem non est concludendum Plutarchum, quam epigrammatis 137 praebeat traditionem, eam invenisse apud eundem scriptorem, cui debeat quattuor epigrammata praecedentia, sed hunc scriptorem praeter quattuor illa quoque exhibuisse quintum, at id, ut cetera, *in traditione antiquiore anonyma* (A). Hanc epigrammatis 137 extitisse traditionem atque proditam fuisse didicimus ex Scholio Pindarico.

Itaque quintum epigramma Plutarcho apud fontem utrumque (Y et X) praesto erat, in hac autem in traditione recentiore Simonidea (S), in illa in antiquiore anonyma (A). Cui qua de causa alteram praetulerit facile perspicitur. Huic enim adiecta erat auctoritas *Simonidis*, qui testis locuples Herodoti refutationi haud parum inserviebat. Quantopere Plutarchum iuverit, quod hoc epigramma instruere posset poetae auctoritate, qua in quattuor praecedentibus careret, inde apparet — si recte vidi — quod in enarratione epigrammati Simonideo praemissa ad S i m o n i d i s hymnum in eam ipsam pugnam alludere videtur, in qua Corin-

---

20) Cf. §§ 34, 38 et 138.

21) Si quis putat unum tantum fontem adhibuisse Plutarchum, ei sumendum erit illum Plutarchi auctorem usum esse duobus scriptoribus, quales fuisse dixi fontes X et Y.

22) Privatorum enim donarii inscriptionem (ep. 134) qui documento afferebant, publicam dedicationem omisisse non videntur.

thios ignave fugisse insimulasse videbatur Herodotea malignitas. Verba enim *ὅτι μόναι τῶν Ἑλληνίδων αἱ Κορίνθιαι γυναῖκες εὔξαντο τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ δαιμόνιον εὐχὴν* spectare mihi videntur Simonidis oden in proelium Salaminium, cuius fragmentum servavit idem Plutarchus Them. 15: *οἱ δ' ἄλλοι τοῖς βαρβάροις ἐξισούμενοι τὸ πλῆθος ἐν στενῷ κατὰ μέρος προσφερομένους καὶ περιπίπτοντας ἀλλήλοις ἐτρέψαντο μέχρι δείλης ἀντισχόντας, ὥς εἴρηκε Σιμωνίδης, τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ περιβόητον ἀράμενοι νίκην, ἧς οὔθ' Ἕλλησιν οὔτε βαρβάροις ἐνάλιον ἔργον εἴργασται λαμπρότερον κτλ.* 23).

§ 29. *De Plutarchi fonte Y.* Epigrammata quinque Corinthia, quae arto vinculo conexa esse dixi, ea ipsa de causa coniuncta fuisse necesse est, quod erant Corinthia i. e. quod omnia testabantur Corinthios pugnae Salaminiae interfuisse. *Athenienses* enim narrasse tradit Herodotus (VIII. 94: *λέγουσι Ἀθηναῖοι*) Corinthiorum ducem Adimantum iam in pugnae initio aufugisse atque tantum ostento quodam permotum, ut naves converteret, re peracta in Graecorum castra pervenisse. Quae calumnia sine dubio ab Atheniensibus prolata est, ut odium suum Corinthiorum, quod inde a Megaris occupatis (460) acerbissimum erat, explerent 24). Valde igitur verisimile est Corinthios ipsos fuisse, qui virtutis suae collegissent testimonia genuina 25). Eos Atheniensium falsam criminationem non passos esse sed impugnasse ex Herodoto ipso efficere licet: *οὐ μέντοι αὐτοί γε Κορίνθιοι ὁμολογέουσι, ἀλλ' ἐν πρώτοισι σφέας αὐτοὺς τῆς ναυμαχίης νομίζουσι γενέσθαι.* Praeterea vix alibi epigrammatum conquisitio potest esse facta. Corinthiis enim facilis erat aditus ad monumenta, in quibus epp. 97, 98, 134, 137 26) incisa erant, iique soli textum servasse censendi

23) Hoc Simonideum fragmentum haud feliciter a Bergkio (fr. 83) tractatum est. Neque Bernardakis, si quo spectarent verba *εὔξαντο — εὐχὴν* scivisset, ea alludere putasset ad *epigrammatis* versum secundum; in quo pro *δαιμόνιαι* scripsit *δαιμόνια* (interpretatus *εὐξάμεναι δαιμόνιον εὐχὴν*) neglecta vera lectione ab Athenaeo atque in Schol. servata *δαιμονίᾳ*, cf. n. 40.

24) Cf. Ed. Meyer Forsch. II. 202 sqq.

25) Epigrammatum seriei inesse consilium defendendi iam intellexit Schwartz Herm. 35. 1900 p. 120 ('korinthische Apologetik'); quamquam iniuria eius rei documentum indicare voluit in additamento, quod postea ep. 97 est adeptum (§ 61). Id sane in Corinthia traditione non extabat (§ 34).

26) Sic clarior lux affunditur verbis Theopompeis *καὶ νῦν* in Schol. Pind. et quae cum iis convenire vidimus § 27 *τὸν ἔτι νῦν διαμένοντα* apud Athenaeum. Quae, ut statim apparebit, ex Ephoro fluxerunt. Is autem ea iam acceperat ex defensione Corinthiorum, qui quasi invitabant cavillatores, ut rerum gestarum testes superstites oculis aspicerent. Quae impune repeti potuerunt apud Ephorum atque Theopompum, ea fontem antiquum sapiunt apud Athenaeum, cf. § 27 n. 19.

sunt epigrammatis 96, quod (epigrammatis 97 gemellum) Salamine Corinthiorum in pugna Salaminia occisorum sepulcrum ornabatur[27]).

Epigrammata illa quinque a Corinthiis nimirum anonyma (in tradit. A) exhibebantur. Plutarchus autem epigrammata Corinthiaca (volo omnia quinque quae hausit ex fonte Y) non ipse invenit in defensione Corinthiaca, sed recepit per scriptorem, qui ipse, vel per plures scriptores, quorum primus ea usus erat. Talis autem scriptor iam vixit ante Theopompum. Etenim is unum epigramma 137, quippe quod non ut Corinthios infamia liberaret, sed ut miram matronarum comprecationem commemoraret adduxisse videatur, non in Corinthiorum apologia, fonte abstruso, sed in omnium quinque epigrammatum serie apud scriptorem antiquiorem, qui illa usus esset, legisse censendus est. Theopompi autem auctor nemo, opinor, esse potuit, nisi Ephorus, quem cum ab Herodotea narratione deflectere non dubitasse tum ex epigrammatis in rebus dubiis argumenta petivisse illisque orationem variasse [28]) satis constat. Ephorus hoc igitur egisse videtur, ut materie Corintho oriunda usus Corinthiis redderet honorem ab Atheniensibus atque ab Herodoto, qui fabula de Adimanti fuga relata illorum odiis inserviisset, dereptum. Apud Diodorum (XI. 15—19) quidem nihil ex hac Ephorea defensione Corinthi-

---

27) Haec ipsa est inscriptio, quam ante aliquot annis Salamine repperit Dragumis. Cf. §§ 21, 34, 41.

28) Cuius rei Ephori ipsius disertum testimonium extat apud Strabonem X. 3. 4 p. 464 [quod deesse videtur in FHG. I; nam neque in fr. 29, cui adiungendum fuerat, legitur neque alibi invenire potui]: *ταῦτα* (sc. *τὰ ἐπιγράμματα*) *καὶ τὰ τοιαῦτα διακριβοῦν εἰώθαμεν, ὅταν ᾖ τι τῶν πραγμάτων ἢ παντελῶς ἀπορούμενον ἢ ψευδῆ δόξαν ἔχον.* Cf. Unger Philol. 40. 1880 p. 66 n. 9, et praeterea Busolt Gr. Gesch. III² p. 21, Schwartz Herm. 35. 1900 p. 122. Ex Ephoro propagata esse constat ep. Preg. 82 (Diod. XIII. 42 = Eph. fr. 121, FHG. I. 268); epp. Pr. 147 et 164 (Strab. X. 3. 2 p. 463: *παρατίθησι δὲ καὶ τὰ τούτων μαρτύρια τὰ ἐπιγράμματα* [verba supra excripta paulo post] = Eph. fr. 29, FHG. I. 241; ep. Pr. 83 = Simon. 141 (Schol. Pind. P. I. 155, quod Scholiastam indidem arcessivisse atque scholion ad v. 146 = Ephor. fr. 111, FHG. I. 264, cum quo olim cohaereret, demonstrabitur § 76). Praeterea apud scriptores multa laudantur epigrammata, quae ad Ephorum recurrere videntur. Imprimis epp., quae laudantur in Diodori libro XI (cf. § 48): ep. Preg. 86 (cap. 14); epp. Preg. 85, 200, 21 = Simon. 139, 92, 91 (cap. 33); ep. Pr. 269 = Sim. 142 (cap. 62). Tum epp. tria Preg. 153 (Aeschin. Ctes. 184, Plut. Cim. 7, cf. § 19 n. 47). Apud Plutarchum (cf. § 50) denique ep. Preg. 103 = Sim. 135 (de Her. m. 34 et Them. 8), ep. Preg. 78 = Simon. 140 (de Her. m. 42 et Arist. 19). Quibus nunc ex eodem libello de Her. mal. accedere videntur quinque epigrammata Corinthiaca.

Alia poetarum fragmenta, quae in Ephori reliquiis inveniuntur, afferre huius non est loci.

orum servatum est. Ea vero facile omnis a Diodoro transmitti potuit, si Ephorus Herodoti (VIII. 94) exemplum secutus de Corinthiis disseruit in digressione post pugnam omnem enarratam. At, dixeris, Herodotus in iis quoque, quae de Graecorum consiliis tradit, hic illic Corinthios oblique perstrinxerat: Corinthiorum dux Adimantus in consilio Themistoclem verba facientem acerbissimis dictis interfatur (c. 59, 61); Aristides, cum Themistocli nuntiat Graecos ab hostibus esse circumclusos, haec dicere fingitur (c. 79): *ὅτι νῦν οὐδ' ἢν ϑέλωσι Κορίνϑιοί τε καὶ αὐτὸς Εὐρυβιάδης οἷοί τε ἔσονται ἐκπλῶσαι.* Ne haec levia quidem Atheniensis odii documenta leguntur apud Diodorum. Quod equidem non ipsius neglegentiae sed Ephoreae defensioni imputaverim collatis Plutarcheis locis Them. 11, ubi Adimanti in Themistoclem dictum tribuitur Eurybiadi [29]), atque Arist. 8, ubi Aristidis verba sic commutata praebentur: *ὥστε καὶ τοὺς μὴ ϑέλοντας ἀνάγκη κατείληφεν ἀγαϑοὺς ἄνδρας εἶναι καὶ μάχεσϑαι.*

Ephorum cum auctorem fuisse viderimus, qui ex scriptione minime vulgata prodidisset quinque illa epigrammata, ex eo quoque ea in Plutarchum propagata sint necesse est. Ephoream autem materiem saepius a Plutarcho in libello 'de Herodoti malignitate' oppugnationi subiectam esse certum videtur: in cap. 32 de Thermopylis coll. Diod. XI. 10 atque Iustin. II. 11 (vid. Volquardsen, Unters. üb. Diodor 1868 p. 31), in cap. 40, quod ut nostrum cap. 39 est de pugna Salaminia, coll. Diod. XI. 27 (vid. Holzapfel, Philol. 46. 1884 p. 30 n. 25), in cap. 36, in quo contra Herodotum Naxiorum suscipit defensionem, ubi certum est eum, ut in illis capitibus, Ephori nomen neglecturum fuisse, nisi Ephorus ipse indicasset se in numero navium Naxiarum, quae Graecis auxilio venissent, ab Hellanico recedere [30]).

Utrum autem Ephoro ipso usum esse censeamus Plutarchum — eum omnino non cognovisse Ephorum E. Meyeri est opinio Forsch. I. 261, II. 67 — an per fontem derivatum, id parum nostrae disquisitionis interest.

Quoniam Theopompum ep. 137 ex Ephoro petivisse vidimus, eum et eundem habuisse epigrammatis textum atque illum necesse est et eadem narrationis elementa (nomen poetae omissum, uxores,

---

[29]) *Corinthius* autem est Cleocritus, qui Plut. Ar. 8 Themistoclem oratione carpit.

[30]) *τῶν μὲν πρεσβυτέρων Ἑλλάνικος* (fr. 81, FHG. I. 56), *τῶν δὲ νεωτέρων Ἔφορος* (fr. 113, FHG. I. 265), *ὁ μὲν ἕξ, ὁ δὲ πέντε ναυσὶ τοὺς Ναξίους ἐλϑεῖν τοῖς Ἕλλησι βοηϑοῦντας ἱστορήσας.* Hellanici notitia Plutarcho nimirum ex Ephorea nota erat. Cf. § 49.

tabulam pictam). Unde nobis datur occasio constituendi, quae fuerint narrationis elementa scriptoris X, quem in epigrammate 137 laudando Plutarchum Ephoro (Y) praetulisse apparuit. Cum Plut. habeat nomen Simonidis epigrammati adiectum, uxores, statuas aeneas, elementa ab Ephoreis diversa (nomen Simonidis, statuae) igitur fonti X attribuenda sunt, qui in altero elemento cum Ephoro convenisse videtur.

Quaerenti de epigrammatis textuum diversorum condicione apud scriptores Y (Ephorum) et X hoc acriter tenendum est diligenter esse distinguendas epigrammatis textus diversas traditiones. Certum est Plutarchum, si unice usus esset scriptore Y (Ephoro), eundem textum epigrammatis laudaturum fuisse, quem Ephorum habuisse vidimus: scilicet talem, qualis nunc legitur in Scholio Pindarico. Quod ab hoc textu discrepat Plutarcheus, ex eo explicandum est, quod iuxta fontem Y usurpavit fontem X. Qui igitur non solum, quod attinet ad narrationis elementa, sed etiam in textu epigrammatis a traditione A, quam Ephorum Theopompumque repraesentasse apparuit, differt. Accuratius de condicione epigrammatis apud Ephorum (et trad. A) atque in fonte X textuum mihi dicendum erit, cum de ratione textus epigrammatis apud Athenaeum viderimus (cf. §§ 31, 33).

§ 30. *De Athenaeo atque Chamaeleonte.* Quoniam ex Scholio Pindarico scimus, utram traditionem repraesentaverit quaeque elementa narrationis continuerit unus (Theopompus) ex tribus scriptoribus, quibus niti videtur Athenaei testimonium, nobis datus est locus statuendi, quid apud istum non Theopompo, sed sive Chamaeleonti debeatur sive Timaeo. Theopompum autem cum nomen poetae omisisse (trad. A) constet ceteraque elementa habuisse *matronas* atque *tabulam*, necesse est Athenaeo sive Chamaeleontem sive Timaeum sive utrumque suppeditasse traditionem S atque *meretrices* deae supplices. In Athenaei praeterea narrationis elementis hoc mirum accidit, quod unum (tabula) cum Scholio Pindarico ei est commune, alterum (nomen Simonidis) cum Plutarcho, tertium ab utroque discrepat. Unde iam statim sequitur hoc elementum, quo *meretrices* non *matronae* Corinthiae precationem fecisse significantur, neutrius epigrammatis traditionis esse proprium, ut § 31 in donarii elemento, quod in trad. A tabula sit, in trad. S statuae, fieri videbimus. Inquirendum igitur est, quae extet condicio inter huius elementi indicia diversa. Haec quaestio una cum altera, quae est de condicione inter Athenaeum atque tres, quos laudat, scriptores, tractabitur.

Quaestionem, ex quo de tribus illis auctoribus hauserit Athenaeus, iam maximam partem solvit Wilamowitz. Quamquam una in re

virum cl. a vero aberravisse puto, cum Athenaeum in notitiam eius scriptoris, quem primarium eius fontem fuisse accepit, scil. Chamaeleontis, intulisse sententiam censeret *ὡς καὶ Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ζ'*, 'quibus ille nihil dicere vult nisi de eadem re praeter auctorem antea nominatum, quem sequitur, etiam hos duos verba fecisse; quatenus cum Chamaeleonte conspiraverint, ecquid novi habuerint, usine fuerint alter altero, nihil curat'. Sed illud cuivis primo obtutu apparet primarium Athenaei fontem fuisse Chamaeleontem. De Theopompi Timaeique partibus postea videbimus.

Wilamowitzio, cum quaereret, quaenam Chamaeleonti fuerit occasio in libro de Pindaro Simonidei epigrammatis commemorandi morisque Corinthii enarrandi, iam praesto erat quaestionis solutio huius, matronaene an meretrices Corinthiae Venerem pro patriae salute comprecatae esse viderentur. Perspexit enim vir clar. verba Chamaeleontis ab Athenaeo laudata non solum ea complexa esse, quae de epigrammate Simonideo attulit, sed etiam ea, quae verba supra (§ 25) excripta subsequuntur: *ὑπάρχοντος οὖν τοῦ τοιούτου νομίμου περὶ τὴν θεὸν Ξενοφῶν ὁ Κορίνθιος, ἐξιὼν εἰς Ὀλυμπίαν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα, καὶ αὐτὸς ἀπάξειν ἑταίρας εὔξατο τῇ θεῷ νικήσας, Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν ἐγκώμιον, οὗ ἡ ἀρχή* (Ol. XIII. 1)·

τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων οἶκον

ὕστερον δὲ καὶ σκόλιον (fr. 122 Schr.) *τὸ παρὰ τὴν θυσίαν ᾀσθέν, ἐν ᾧ τὴν ἀρχὴν εὐθέως πεποίηται πρὸς τὰς ἑταίρας, αἳ παραγενομένου τοῦ Ξενοφῶντος καὶ θύοντος τῇ Ἀφροδίτῃ συνέθυσαν. διόπερ ἔφη* (ib. v. 14 sqq.)·

ὦ Κύπρου δέσποινα, τεὸν δεῦτ' ἐς ἄλσος
φορβάδων κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον Ξενοφῶν τελέαις
ἐπάγαγ' εὐχωλαῖς ἰανθείς.

ἤρξατο δ' οὕτως τοῦ μέλους (ib. v. 1 sqq.)·

πολύξεναι νεανίδες, ἀμφίπολοι
Πειθοῦς ἐν ἀφνεῷ Κορίνθῳ,
αἵ τε τᾶς χλωρᾶς λιβάνου ξανθὰ δάκρη
θυμιᾶτε, πολλάκι ματέρ' ἐρώτων οὐρανίαν πτάμεναι
νοήματι πρὸς Ἀφροδίταν,
ὔμμιν ἄνευθ' ἐπαγορίας ἔπορεν,
ὦ παῖδες, ἐρατειναῖς ⟨*ἐν* Bkh.⟩ *εὐναῖς*
μαλθακᾶς ὥρας ἀπὸ καρπὸν δρέπεσθαι.
σὺν δ' ἀνάγκᾳ πᾶν καλόν . . . .

ἀρξάμενος θ' οὕτως, ἑξῆς φησιν (ib. v. 10 sqq.)·

ἀλλὰ θαυμάζω, τί με λέξοντι Ἰσθμοῦ
δεσπόται τοιάνδε μελίφρονος ἀρχὰν εὑρόμενον σκολίου
ξυνάορον ξυναῖς γυναιξίν.

δῆλον γάρ, ὅτι πρὸς τὰς ἑταίρας διαλεγόμενος ἠγωνία, ποῖόν τι φανήσεται τοῖς Κορινθίοις τὸ πρᾶγμα. πιστεύων δέ, ὡς ἔοικεν, αὐτὸς αὑτῷ πεποίηκεν εὐθέως (ib. v. 13)·

διδάξαμεν χρυσὸν καθαρᾷ βασάνῳ.

Itaque acri acumine intellexit vir summus Chamaeleontem, cum disputaret de Xenophonte Corinthio deque meretricibus a Pindaro celebratis, quas Veneri pollicitus esset, si voti compos victoria Olympiae reportata in patriam rediret, recordatum esse ex antiquiore aetate sacrificium Corinthium, cui aeque affuissent mulieres atque eum perspexisse eas non fuisse *matronas*, sed *meretrices*. Hac in re tantum erravit Chamaeleo, ut praeterea vidit Wilamowitz, quod 'perperam e suae rursus aetatis more quasvis intellexit puellas Corinthi artem meretriciam exercentes', cum fuissent servae Venereae, *ἱερόδουλοι*, 'quae in templo erae suae stipendium corporis faciunt et in sacris haud aliter atque Deliades Deli apparent' (Wilam. Comm. p. 4). Cum supra vidimus (§ 29) Ephorum fuisse, qui et epigrammata Corinthia cetera et hoc epigramma ex Corinthio fonte litteris intulisset, is errorem commisisse videtur, quo mulieres illae uxores Corinthiorum significatae essent. Qui error propagatus est ex Ephoro in Theopompum, in Plutarchi fontem X, in Plutarchum ipsum.

Hoc splendidissimo Wilamowitzii invento [31]) mihi utendum erit ad condicionem inter Athenaeum atque tres scriptores ab eo laudatos designandam; quae mihi aliter ac viro cl. constituenda videtur. Etenim Chamaeleo, cum ex scolio Pindarico intellexisset meretrices fuisse quoque eas, quae belli Medici temporibus Venerem precibus adiisse traderentur, narrationem ipsam ex antiquiore scriptore cognitam habuerit necesse est. Quem sive Ephorum fuisse dicendum est sive Theopompum sive alium quendam, qui rem ex illo vel hoc scriptore derivatam exhiberet. Ea de causa iam per se valde est verisimile Theopompum, qui laudetur in Athenaei notitia, illum fuisse scriptorem eumque iam a Chamaeleonte ipso adductum fuisse. Quae coniectura certiore argumento probari potest.

Non enim forte fortuna factum esse videtur, quod Theopompi fragmentum uberius in Scholiis servatum est ad eundem hymnum Olympicum (XIII), cuius exordium laudaverat Chamaeleo. Quo accedit, quod ad priorem partem sententiae, ad cuius partem posteriorem extat Scholion laudatum, explicatio in Scholiis legitur,

---

31) Quod a Pregero atque Hauvettio acceptum non esse satis mirari nequeo. Preger praeterea finxit matronas ipsas donarium dedicasse, non Corinthios. Legit enim *αἵδ'* . . . . *ἕστασαν* (quod poetam pro *ἔστησαν* dixisse censet, cf. § 120) putavitque inscriptioni adiectam fuisse seriem 'nominum mulierum *dedicantium*'.

in qua *Simonidis* versus quidam respicitur (fr. 215 B.): *ἐν δὲ Μοῖσ' ἀδύπνοος*] a. . . . . b. *ἀντὶ τοῦ μουσικοί εἰσι· παρόσον καὶ ποιηταὶ διασημότατοι ἐν Κορίνθῳ ἐγένοντο, ὧν ἦν καὶ Αἴσων, οὗ μέμνηται Σιμωνίδης.* Valde igitur probabile est Chamaeleontem sententiae partes concinnas (*ἐν δὲ* . . . . , *ἐν δὲ* . . . .) versibus illustrasse *Simonideis*. Quod in eo, qui ipse de Simonide librum conscripsit, non miramur. Qua ex re simul apparet iam apud Chamaeleontem nomen Simonidis epigrammati adiectum invenisse Athenaeum, neque eum illud aliunde petitum in Chamaeleontis notitiam intrusisse.

Haec denique res testari mihi videtur Theopompum adductum iam fuisse apud Chamaeleontem, quod Athenaeus Theopompei libri numerum adicere supersedit. Quod sane in quovis scriptore apud eum laudato ferremus, sed in Theopompo, quem cotidie terebat manibus, fortunae tribuendum non videtur, idque eo minus, quod Timaei libri numerus non neglegitur. Cum Theopompo ea erat Athenaeo, cui magnam partem eius fragmenta accepta referimus, consuetudo, ut fere numquam librorum eius numeros addere omittat [32]). Si Theopompum iam neglecto libri numero a Chamaeleonte allatum fuisse putamus — neque in Scholio Pindarico liber Theopompeus accuratius indicatur — res facile expeditur.

§ 31. *De Chamaeleonte atque Timaeo.* Chamaeleontem, si unice Theopompo usus esset, eadem narrationis elementa praeter meretrices eandemque atque illum epigrammatis traditionem (A) exhibiturum fuisse necesse est [33]). Praebet autem traditionem epigrammatis S; unde sequitur eum praeter Theopompum usurpasse fontem, ex quo nomen Simonidis derivaret. Quod undenam petiverit, in promptu est. Ex eo scilicet scriptore, quem tertio loco

---

[32]) Laudatur Theopompus apud Athenaeum, ut ex Kaibeliano indice (p. 670 sqq.) apparet, septuagies quater. Praeter nostrum locum omnesque (quattuor) librorum I et II locos, quorum indices omisit epitomator, quattuor tantum inveniuntur loci, ubi numerus libri neglegitur. Quorum nonnullis iusta adest excusatio.

[33]) Chamaeleonti sane nulla erat causa, cur epigrammati anonymo Simonidis adiceret auctoritatem, quod eum fecisse putat Wilamowitz p. 310 sq.: 'dass Simonides in dieser Überlieferung [sc. quae in Plutarchum propagata est] im allgemeinen nicht für den Verfasser der Gedichte aus der Perserzeit galt, ist wichtig festzuhalten, nur das Gedicht der Hierodulen ward ihm gegeben, weil in dieser Zuteilung Chamaileon mit gewohnter Weitherzigkeit vorangegangen war'. Quae non scripsisset, opinor, vir cl., si in commentatione sua Sylloges Simonideae habuisset rationem. Quod huic epigrammati Simonidis nomen adiunctum est, eidem debetur causae, propter quam cetera quattuor Corinthiaca in traditione S alibi (§§ 34, 38) laudata Simonideam auctoritatem assecuta sunt. Ea a Chamaeleonte non laudata erant. Itaque Chamaeleo non est, qui Simonidis nomine ep. 137 ornaverit.

laudavit Athenaeus: ex Timaeo. Itaque apparet Timaeum quoque ab Chamaeleonte iam allatum fuisse; testimonium ergo omne ex Chamaeleonte descripsisse Athenaeum constituendum videtur.

At antequam in Timaei narrationis elementa inquiram, expedienda est quaestiuncula chronologica. Dixerit enim quis temporum obstare rationem, quin Chamaeleontem, qui Heraclidis Pontici aemulus fuisse perhibeatur, Timaei septimum librum adhibuisse putemus. Iamdudum autem viri docti[34]) illam traditionem, quae Heracleotam vetustioribus Peripateticis accensebat, in dubium vocaverunt suspicatique sunt grammaticum fuisse eundem Chamaeleontem Heracleotam, qui auctore Memnone Heracleota (ap. Photium cod. 224 p. 226) anno 281 ad Seleucum Nicatorem a civibus legatus missus est. Quam suspicionem iustam fuisse eo nunc demonstratur, quod supra constitui necesse erat Chamaeleontem usum esse Timaeo.

Unum Timaei narrationis elementum cognovimus (nomen Simonidis), videamus de ceteris. Quoniam Chamaeleo primus perspexit meretrices fuisse mulieres eas, quae sacris Corinthi adesse solerent, Timaeus 'uxores' praebuisse censendus est. Donarium et Theopompus et Chamaeleo 'tabulam' fuisse perhibent. Num cum iis hoc in elemento consensisse Timaeus videtur? Demonstrari posse puto eum habuisse 'statuas aeneas'. At prius necesse est, ut de epigrammatis textibus diversis, de quibus iam paucis dixi § 29, accuratius videamus.

Proponam lectoribus lectionis varietatem in traditionibus epigrammatis diversis obviam omissis vel correctis librariorum erroribus[35]). Denuo moneo in tali disquisitione, in quali nunc versemur, sedulo distinendas esse traditiones epigrammatum diversas easque diligenter segregandas ab iis mutationibus, quibus textus obnoxii sunt propter errores a librariis commissos. Ecce:

	Schol. Pind. (Theopompus) trad. A integra.	Athenaeus (Chamaeleo)	Plutarchus
		qui utuntur scriptoribus cum ad trad. A tum ad S pertinentibus.	
1. v. 1.	ἀγχεμάχων	εὐθυμάχων	ἰθυμάχων
2. v. 2.	ἔστασαν	ἐστάθεν	ἐστάθεν
3.	εὐχόμεναι	εὔχεσθαι	εὐξάμεναι
4. v. 3.	ἐβούλετο	ἐμήσατο	ἐμήδετο
5.	Μήδοις	Πέρσαις	Μήδοις
6. v. 4.	δόμεναι	προδόμεν	προδόμεν

34) Wendling PW.—RE. III. 2103, Kaibel ad Sophronis fr. 59 (Dor. Com. etc. p. 163), Wilamowitz Textg. p. 15 n. 4, Leo gr.-röm. Biogr. p. 104 n. 2.

35) De quibus vid. § 33.

Comparanti textum traditionis A integrum cum eorum scriptorum textibus, qui utriusque traditionis auctores usurpaverunt, iam primo obtutu apparebit hos textus coniunctim illi esse oppositos. Integra haec oppositio servata est in lectionibus his:

var. 2. Schol. Pind. *δόμεναι* ⟨ Ath. et Plut. *προδόμεν* atque
var. 6. » » *ἔστασαν* ⟨ » et » *ἐστάθεν*.

In duabus varietatibus quamquam leviter inter se differunt Athenaeus et Plutarchus, tamen eadem adest condicio inter eos atque Schol. Pindaricum:

var. 1. Sch. Pind. *ἀγχεμάχων* ⟨ Ath. *εὐθυμάχων* ∾ Plut. *ἰθυμάχων* et
var. 4. » » *ἐβούλετο* ⟨ » *ἐμήσατο* ∾ » *ἐμήδετο*.

Alia ceterarum lectionum est ratio; in quinta inversus obtinet ordo, ut Schol. Pind. cum Plutarcho consentire videamus in voce *Μήδοις* contra Athenaei lectionem *Πέρσαις*. In tertia mire diversa atque simul coniuncta est varietas, nam verbi *εὔχεσθαι* alius aliam habet formam: participium Schol. et Plut., at alterum praesentis alter aoristi; praesentis autem infinitivum Athenaeus.

Non a vero aberrare mihi videor constituens textus Athenaei atque Plutarchi ideo esse simillimos (ut de discrepantiis 3 et 5 nunc taceam, quarum altera § 33 altera statim explicanda est) atque a Theopompo diversos, quia eorum auctores non solum ut hic traditionem A adhibuerunt, sed etiam traditionem S. Unde sequitur traditionem epigrammatis S non ea tantum in re deflexisse a traditione A, quod anonymo epigrammati adiceret nomen Simonidis poetae, s e d e t i a m, q u o d t e x t u m c o m m u t a t u m p r a e b e r e t. Nolo hic insistere iis, quae mihi postea exponenda sunt de condicione atque ratione traditionum A atque S, sed hoc in praesens lectores monitos esse velim complura epigrammata (cf. § 138) — quorum in numero sunt fere omnia epp. Corinthiaca — non integra in traditionem S recepta esse, sed demum postquam in eorum textum ars quaedam critica esset exercitata. De integra forma S epigrammatis nostri disputabitur § 33.

Ut nunc ad quaestionem de donarii elemento redeam, concedendum est textum traditionis A optime quadrare cum eo donario, quod in illa traditione commemoratum esse vidimus (§§ 27, 29). Mulieres *ἔστασαν εὐχόμεναι*, hae mulieres 'stabant precantes'. Quae verba spectant precationem ipsam, quam nimirum in *tabula* ipsa depingendam curaverunt Corinthii. Plutarchus autem habet *ἐστάθεν εὐξάμεναι*: 'positae sunt, postquam precatae sunt'. Quae unice conveniunt ei donario, quod ex fonte X hausit Plutarchus: harum mulierum *simulacra* statuta sunt. In traditione S igitur hunc in modum textus mutatus est, ut non simpliciter tabula picta deae a Corinthiis dedicata esse videretur, sed donarium

multo nobilius: omnium matronarum Corinthiarum, quae precationi interfuissent, *statuae aeneae.*

Videamus nunc de Timaeo. Eum praebuisse vidimus Chamaeleonti textum a Theopompeo (A) diversum S. Traditionis autem S proprium fuisse elementum statuarum (non tabulae) paulo ante apparuit. Qua ex re sequitur Chamaeleontem apud Timaeum invenisse *statuas.* Id quoque ex illius textu epigrammatis apparere potest. Non habet ut Theopompus *ἔστασαν εὐχόμεναι* (A) neque ut Plutarchus (S) *ἐστάθεν εὐξάμεναι*, sed quasi mediam inter utramque lectionem *ἐστάθεν εὔχεσθαι.* Neutram lectionem recepit; quod qua de causa fecerit in aprico est. Vidit unice hoc donarii genus recte indicatum esse quod legeretur apud Theopompum. Absurdum enim erat fingere seriem fuisse statuarum omnium meretricum. Textum autem praetulit, qui praebebatur apud Timaeum, quippe qui Simonideo nomine munitus ei maiorem habere auctoritatem videretur. Qua de causa ipse Zenodotea aetate condignam coniecit coniecturam, qua Timaei textu leviter mutato Theopompei sententiam se adepturum putaret: *ἐστάθεν εὔχεσθαι* 'positae sunt, ut precarentur' [36]).

§ 32. *De Timaeo atque de Plutarchi fonte X.* Timaeus, cum de precatione illa dissereret, notitiam suam aut Ephoro aut Theopompo debuerit necesse est. Itaque apud eum eadem narrationis elementa eandemque epigrammatis traditionem expectaveris atque apud illos (trad. A: nom. poetae omissum, uxores, tab. pict.). At eum traditionem S exhibuisse iam vidimus in § praecedenti. Itaque is quoque duos adiit fontes, quorum alterum, qui traditionem S repraesentaret, praetulisse videtur alteri, in qua epigramma anonymum circumferretur. Ex S recepit epigrammatis textum, nomen poetae, statuas aeneas. In tertio elemento (in matronis) utraque traditio consentiebat.

Plutarchi fontes cum examinarem, dixi duobus eum usum esse auctoribus, quorum alter pertineret ad traditionem A, quem littera Y designatum Ephorum fuisse apparuit § 29, alter ad traditionem S, quem littera X indicatum nondum certo scriptori attribuere potuimus. Fontem illum X Plutarcho praebuisse vidimus Simonidis nomen, statuas, epigrammatis textum ab Ephoreo diversum. Eundem fontem debuisse notitiam precationis constituimus Theopompo vel (quod nunc idem esse scimus, quia Theopompeae narrationi elementa eadem fuerant quae Ephoreae) Ephoro [37]).

---

[36]) FHG. I. 204 Timaei fr. 57 priorem tantum Athenaei loci partem complectitur usque ad verba *ἐλθοῦσαι νεών.* Omissa igitur sunt ea quae revera Timaeo debet Chamaeleo sc. nomen Simonidis et epigrammatis textum.

[37]) Nostrae sane disquisitioni perinde est, Theopompone an Ephoro Timaeum

Cum igitur viderimus Timaei ac fontis X eandem fuisse rationem (uterque enim iuxta Ephorum vel Theopompum traditionem S adhibuit), nulla potest extare dubitatio, quin Timaeus fuerit fons ille X, quo nititur Plutarchus, sive constituendum videtur Plutarchum ipsum Timaeo usum esse — cui opinioni nihil obstare putaverim —, sive per aliorum manus eius notitiam Plutarcho innotuisse.

Quaeritur nunc, ex quo qualique libro petiverit Timaeus epigrammatis traditionem S. Quid, quod illius fontem fuisse censemus Syllogen Simonideam, quae est ea collectio epigrammatum antea anonymorum, quae Simonidis auctoritate insignita erat? In ea textus quoque epigrammatis mutatus extabat atque ex ea novum donarii genus acquisiverat Timaeus. *Timaeus* igitur scriptor est, quali nobis opus esse diximus (§ 24) ad terminum constituendum *ante* quem Sylloge Simonidea concinnata esse videretur. Librum Timaei, quem inter primos fuisse sciamus — tradit enim Athenaeus eum fuisse septimum [38] —, circa annum 300 vel haud multo post conscriptum esse rati a vero non aberravisse videmur. Syllogen Simonideam igitur iam *initio saeculi tertii* fuisse constituere possumus.

§ 33. *De epigrammatis 137 forma S.* Epigrammatis nostri textus constituendi ratio non ea igitur est, ut interpretationis via genuinam adipiscamur formam, sed ut inde ab initio duas distinguamus traditiones, alteram antiquiorem (A), quae integra servata est ex Theopompo in Scholio Pindarico, alteram recentiorem (S), quam iuxta A adhibitam invenimus apud Athenaeum atque Plutarchum. Reicienda igitur est ea textus tractandi ratio, quam amplexi sunt viri docti omnes, ut ex omnibus varietatibus, quas diversarum traditionum esse proprias vidimus, unam componerent

---

usum esse putemus. Cum autem stemmatis delineandi causa (§ 36) optio esset facienda, in eo accipiendum esse iudicavi Theopompum Timaei fuisse auctorem. Uterque enim unum tantum ex quinque epigrammatis Corinthiacis laudasse videtur. Certiore argumento uteremur, si constaret duplicem de Veneris templi origine fabulam a Theopompo Ephoreis verbis esse adiunctam, 'quam apponi non dedecet Theopompi φιλομυθίαν' (Wilamowitz Comm. p. 3 n. 1). Si quis igitur Ephorum esse usurpatum a Timaeo accipere malit, equidem non repugnabo.

[38] Septimus liber nimirum liber septimus est. Quod dico propter eorum commenta, qui in Timaei librorum numeris duos ordines diversos inveniri putaverunt. Quae postquam explosa sunt a Belochio Fleck. Jb. 123. 1881 p. 697 sqq., denuo emerserunt in eodem diario 137. 1888 p. 815 sqq. Cf. qui novissime de Timaei operis oeconomia disputavit Schwartz Herm. 34. 1899 p. 481 sqq. De Timaei libris primis circa annum 300 publici iuris factis cf. Susemihl Alex. Litt. I. 566 et 274 n. 28, Schwartz l.l. p. 482.

formam [39]. Atque adeo coniecturis ea, quae iis obscuriora videbantur, eliminare conati sunt [40]. Post textus constitutionem demum — atque haec lex valet in omnibus epigrammatis utraque in traditione servatis — interpretatio sequi potest.

Epigrammatis traditio A (*sine nomine* propagata) [41] haec est (correcto librarii errore v. 2 ἔστασαν codd. BCQ, recte c. spir. asp. cod. E):

αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ ἀγχεμάχων πολιητᾶν
ἕστασαν εὐχόμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισι ἐβούλετο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν δόμεναι.

Traditio vero S, qualis fuerit, demum constituatur necesse est [42], nam nullum scriptorem habemus, qui hanc formam epigrammatis *solam* usurpaverit. Lectores moneo hoc unicum exemplum esse recentioris traditionis epigrammatis cuiusdam, cuius textus eruendus est. Ceterorum autem epigrammatum, quae habemus in trad. S, recentior forma, quoniam integra ad nos pervenit, ab antiquiore facile dignoscitur [43].

Antequam textibus ipsis utamur, apud Athenaeum atque Plutarchum haec librariorum vitia corrigenda sunt, quae iam correcta exhibui § 25: v. 1 Ath. Ἑλλήνων (at v. 4 recte Ἑλλάνων); v. 2 Ath. ἔσταθεν, Plut. ἔσταθεν; ib. Plut. δαιμόνιαι.

Iam statim traditioni S attribuere possumus eas lectiones, in

---

39) Apud neminem textus epigrammatis talis praebetur, qualis in traditione A erat. Alii ex aliis lectionibus textum epigrammatis conflatum exhibent. Atque adeo ne diligenter quidem lectionum habent rationem viri docti nonnulli; sic apud Bergkium ἐμήσατο tribuitur Scholio, ἐβούλετο Athenaeo; Hauvette ἐμήδετο (Plut.) et δόμεναι (Schol.) non respexit, Wilamowitz praeteriit gravissimam lectionem ἔστασαν.

40) Imprimis vocem δαιμονίᾳ sollicitaverunt coniecturis; quas non omnes referam (cf. § 28 n. 23). Non adverbium est, quae opinio est Wilamowitzii, sed Venus vocatur δαιμονία, quia in rerum discrimine divina potestate Graeciam patrocinata est. Hoc epitheto cur poeta Venerem celebret, sententia declarat sequens: οὐ γὰρ ἐβούλετο — ἀκρόπολιν δόμεναι. — Wilamowitz cum ἐβούλετο tum ἐμήδετο ex verbo difficili ἐδήλετο non intellecto derivare voluit (cf. § 140 n. 13).

41) In dialecto nihil mutandum censui. Cautius me acturum putavi, si talem praeberem traditionem A, qualis Collectori (ex Ephoro § 34) praesto fuisse videtur. In traditione S utique πολιητᾶν scribendum est, etiamsi non dubitari possit, quin tabulae subscriptum fuerit πολιατᾶν. Wilamowitz p. 7: 'de dialecticis . . . . certum iudicium praeter Fickianos vix quisquam ferre audebit'.

42) Eundem in modum epigrammatis 142 traditio A² eruenda est ex ceteris eiusdem epigrammatis traditionibus, quibus subiecta (§ 60) fuisse videtur.

43) Omnia epigrammata, quae habemus cum in traditione A tum in S enumerata sunt § 138.

quibus Athenaeus atque Plutarchus uterque a Theopompo (A) recedunt; quae sunt in conspectu meo (§ 31) lectiones

2. Th. ἕστασαν — Ath. Pl. ἐστάϑεν
6. » δόμεναι — » » προδόμεν
1. » ἀγχεμάχων [44] < Ath. εὐϑυμάχων ∾ Pl. ἰϑυμάχων
4. » ἐβούλετο < » ἐμήσατο ∾ » ἐμήδετο.

In var. 1 formam εὐϑυμάχων traditioni S tribuendam esse demonstrabo § 128 ex imitatione huius loci in epigrammate Simonideo 103 (quod numquam in Sylloge lectum esse, sed esse imitationem Mnasalcae, quae postea Simonidis auctoritatem acquisiverit, ibidem probabitur). Quamquam formam ἰϑυμάχων genuinam fuisse haud immerito quis coniecerit [45]). Illata esse videtur haec forma a Plutarcho. Collectorem in var. 4 ἐμήδετο (Plut.), non ἐμήσατο (Ath.) pro ἐβούλετο (A) reposuisse certum mihi videtur. Nam nulla est causa, cur eum tempus imperfectum, quod ceteroquin legatur apud Plutarchum, commutasse credamus in aoristum; ἐμήσατο sine dubio sive Athenaeo ipsi sive librario imputandum est.

Alia est condicio lectionum 4, in qua et Ath. (εὔχεσϑαι) et Plut. (εὐξάμεναι) ab A (εὐχόμεναι) differt, et 5, quae huic cum A commune est (Μήδοις), cum ille solus habeat Πέρσαις. Iam prioris discrepantiae rationem vidimus § 31: traditioni S assignanda est lectio εὐξάμεναι, cum εὔχεσϑαι pro Chamaeleontis coniectura habenda esse videatur; altera autem facile expeditur. Nam, cum in hac lectione Plut. cum A conspiret, Chamaeleontem traditionem S integram conservasse constituendum est, Plutarchum autem, cum assonantia verborum ἐμήδετο et Μήδοις delectaretur, pro Πέρσαις (S) ex A reposuisse Μήδοις.

Forma S ex forma A nata neque apud Athenaeum neque apud Plutarchum integra servata haec igitur fuit:

Σιμωνίδου
αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ εὐϑυμάχων πολιητᾶν
ἐστάϑεν εὐξάμεναι Κύπριδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισι ἐμήδετο δῖ' Ἀφροδίτα
Πέρσαις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Nunc demum interpretatio suscipi potest atque inquisitio institui, num iure in trad. S huic epigrammati Simonidis nomen sit

44) Interpretationis via iam vidit Wilamowitz genuinam esse lectionem ἀγχεμάχων, quod 'praestare demonstrant oppositi τοξοφόροι Μῆδοι, quippe iam aequalibus certamen esse videbatur inter hastam cominus et arcum eminus pugnantem; ἰϑύμαχοι vero sunt qui terga non vertunt'. De huius oppositionis ratione apud imitatorem Simonideorum epigrammatum Mnasalcam cf. § 127 sqq.

45) Cf. Wilamowitz p. 6.

adiunctum. Nam quamquam a Corinthiis sine nomine auctoris epigramma propagatum est, fieri tamen posse vidimus (§ 20), ut revera Simonides carmen condiderit. Utraque autem res reservanda est alteri huius commentationis parti (cf. § 144).

§ 34. *Qualibus fontibus Collector usus sit.* Unum tantum vinculum deest in testium auctorumque epigrammatis 137 contextu, quem componere conatus sum. Haec enim quaestio dirimenda restat, undenam Collector petiverit epigrammatis traditionem A, quam textu commutatam in Syllogen Simonideam reciperet. Qui fons demum indicari poterit, cum in universum viderimus, qualibus fontibus Collector uti solitus sit.

Viri docti, qui hanc quaestionem attigerunt, Collectorem cum Polemone Philochoro Cratero periegetis aliis comparandum putaverunt, qui Graeciam inscriptionum colligendarum causa peragrabant. Quae opinio tam vulgaris erat, ut Preger ex ea deducendum sibi existimaret Syllogen Simonideam concinnatam esse Simonidis temporibus aut brevi post mortem eius, utique cum quid Simonidis esset dignosci posset [46]). Nam aegre ex lapidibus, quibus nomen poetae non esset incisum, epigrammata, postquam auctoritas eius in oblivionem venisset, conquiri potuisse perhibebat. Quae conclusio tam simplex est, ut non mireris etiam post Kaibelii (GGA. 1892 p. 96 sq.) Wilamowitzii (Comm. p. 5) aliorum oppugnationes Pregerum eam missam facere noluisse (NPhR. 1897 p. 130). Non autem falsa erat conclusio, sed fundamentum, quo nitebatur. Vel eo, quod inter Simonidea feruntur tot epigrammata, quae numquam lapidi inscripta fuisse videntur, demonstratur Pregeri sententiam reiciendam esse. Unum epigramma (138), quod celeberrimo Graecorum omnium de Persis donario Delphico Pausanias privatim, qua erat superbia, inscribi iusserat, omnino non in crepidine legere potuit Collector; nam *τὸ μὲν οὖν ἐλεγεῖον οἱ Λακεδαιμόνιοι ἐξεκόλαψαν εὐθὺς τότε ἀπὸ τοῦ τρίποδος τοῦτο* Thuc. I. 132. His quoque annis (1894) a Francogallis Delphis effossa est basis donarii, quod post pugnam Himeraeam Gelo Delphico Apollini dedicavit, in qua tamen non legitur epigramma 141 (quod anonymum in trad. A invenitur in Schol. Pind. P. I. 155, Simonideum in trad. S AP. VI. 214, cf. §§ 76, 101, 138, 139), sed inscriptio prosa oratione confecta. Iniuria viri docti Collectorem periegetam fuisse crediderunt. Periegetae enim inscriptiones, quaecumque in manus venerant, in collectionem suam recipiebant. Contraria autem ratio observanda erat, si quis certi poetae epigrammatum collectionem adornare cupiebat. Is non totam Graeciam perscrutari

---

46) Cf. etiam Hiller p. 245 n. 33.

potuit, si qua forte inter inscriptiones innumerabiles poetae sui carmina deprehenderentur, sed fontes adire debuit litterarios. Hac iam ratione evinci potest Sylloges Simonideae epigrammata petita fuisse ex scriptoribus. Ex *lapidibus* conquisita esse epigrammata Simonidei corollarii Reitzensteinium omnino non demonstrasse iam § 23 monui.

Scriptoribus usum esse Collectorem tum vero optime probare possumus, si eiusdem epigrammatis habemus:

1) formam pristinam in lapide ipso (A^1);
2) formam apud scriptorem obviam, qui quidem traditionem A repraesentat, sed epigramma praebet ab A^1 diversum (A^2);
3) formam traditionis Simonideae ex mutatione formae A^2 natam (S).

Ex omnibus epigrammatis unum est, quod praebet gravissimum illud argumentum omnibus partibus absolutum. Eo autem pretiosius est, quod unum est ex quinque epigrammatis Corinthiacis.

Epigramma 96 legitur in traditione A apud Plutarchum de Her. m. 870 e, a quo adhibitum esse vidimus (§ 29) Ephorum, quem rursus verisimile duximus materiem hausisse ex scriptione quadam apologetica Corinthiaca. Epigrammatis textus apud Plutarchum vitiis librariorum maculatus est: in v. 2 legitur vox nihili *ἀνάματος*, quam ex *ἄμ'* (= *ἁμὲ*) *Αἴαντος* corruptam esse collata traditione S iam vidit Valckenaer; v. 4 *ῥυόμεθα* itidem collata traditione S in *ῥυσάμεθα*, quod praeterea sententia flagitat, correxit Jacobs (cf. § 137, 1). Integra forma Ephorea, quae littera A^2 signanda est, sic audit:

ὦ ξένε, εὔυδρόν ποτ' ἐναίομεν ἄστυ Κορίνθου
νῦν δ' ἅμ' Αἴαντος νᾶσος ἔχει Σαλαμίς.
ἐνθάδε Φοινίσσας νῆας καὶ Πέρσας ἑλόντες
καὶ Μήδους ἱερὰν Ἑλλάδα ῥυσάμεθα . . . . . . A^2.

Eiusdem epigrammatis traditio extat Simonidis auctoritate munita eaque tribus locis diversa ab anonyma apud Favorinum [= Ps.-Dion. Chr.] XXXVII. 18 (in oratione Corinthiaca); unde concludendum est hanc esse traditionem S, inter quam ac traditionem A eadem intercedat condicio atque inter epigrammatis 137 (Corinthiarum sacrarum puellarum Venerearum) trad. A et S. Praeterea demonstravi §§ 53, 101 — quod h.l., ne nimis longus fierem, omisi — ex Corona Meleagrea (quae particulam Sylloges Simonideae complexa est) epigrammatis formam S a Favorino receptam esse, atque adeo in Anthologia Palatina (in quam transiit Meleagreae Coronae fragmentum) epigrammatis locum in ordine Meleagreo designari posse. Forma S in codicibus Dioneis integra servata est; Arnim quidem ex optimi codicis M(eermanniani) auctoritate *ὦ ξεῖν'* recepit pro eo, quod apud Ephorum et deinde in Sylloge traditum

erat et in ceteris codicibus Dioneis praebetur ὦ ξένε (ex ὦ ξεῖνε, sine elisione scripto, non intellecto ortum, cf. Wilam. p. 307 n. 1); optimus autem scriba sagaciter Herodoteum epigrammatis 92 exordium recordatus (ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν) hiatum eliminare studuit (cf. § 139). Neque pro praepositione μετ', quae est mutatio Collectoris, ex trad. A ἄμμ' daturum fuisse virum cl. puto, si traditionum A et S condicionem cognovisset. Ecce:

ὦ ξένε, εὔυδρόν ποτ' ἐναίομεν ἄστυ Κορίνθου,
νῦν δὲ μετ' Αἴαντος νᾶσος ἔχει Σαλαμίς.
ῥεῖα δὲ Φοινίσσας νῆας καὶ Πέρσας ἑλόντες
καὶ Μήδους ἱερὰν Ἑλλάδ' ἱδρυσάμεθα. . . . . . S.

Lapidem ipsum anno 1897 repperit atque agnovit Dragumis. In quo epigramma priore disticho absolutum legi eximio acumine perspexit Wilamowitz [47]):

ὦ ξεῖνε, εὔυδρ]όν ποκ' ἐναίομες ἄστυ Ϙορίνθο
νῦν δ' ἁμὲ Αἴα]ντος [νᾶσος ἔχει Σαλαμίς . . . . . . A¹.

Itaque apparet Collectorem in Syllogen Simonideam non recepisse epigramma, quale revera in lapide extaret (A¹), sed eius formam noviciam, quam in traditione *litteraria* (A²) induisset. In eam exercuit artem criticam (cf. § 139). Quod ipsi illi epigrammati Corinthio pannus assutus est facile explicatur. Corinthiis ad ceteras inscriptiones, quas ad virtutem suam testandam contra Atheniensium criminationes attulerunt, quattuor, cotidie patebat aditus; epigramma autem quod *Salamine* marmori inscriptum erat eo magis rhetorico additamento augeri potuit, quod habebat gemellum ep. (97) cenotaphio in *Isthmo* inscriptum, ex quo supplementi materies peti posset; quod revera factum est, nam Ἑλλάδα ῥυσάμεθα (non ῥυόμεθα!) ad epigrammatis 97 verba Ἑλλάδα ῥυσάμενοι ficta esse videntur. Huic epigrammati gemello itidem postea augmentum idque duorum distichorum est adiunctum, sed neque apud Corinthios (cf. § 61 n. 49 et § 29 n. 25) neque apud Ephorum (Plut. l.l.) neque in Sylloge (AP. VII. 250, Stadtmüller enim iniuria dedit carmen ex tribus distichis constans), sed demum apud Aristidem de paraphth. 163 K. (cf. § 61). Inscriptionem Corinthi, ubi ab unoquoque conferri potuerat, interpolare vix quisquam ausus esset [48]).

---

47) Kaibel iam propter distichi alterius rhetoricam indolem totum epigramma posterioris temporis esse putaverat. Quare Preger (6) duo epigrammata unius distichi diversa in eodem lapide extitisse erat arbitratus. Qua de causa rursus lapidis inventor, Dragumis, desideravit alterum lapidem, in quo versus 3—4 legerentur. Verum vidit Wilamowitz: inscriptionem uno disticho fuisse absolutam.

48) Epigramma 150, quod itidem in traditione litteraria altero disticho est

§ 35. *Quo ex fonte Collector epigrammatis 137 traditionem A petiverit.* Quoniam *scriptoribus* usum esse apparuit Collectorem in Sylloge Simonidea adornanda, videndum, ex quonam auctore (defensione Corinthiaca, Ephoro, Theopompo) epigrammatis 137 traditionem A haurire potuerit. Ex his tribus scriptoribus iam statim Theopompum dimittere possumus. Omnia enim epigrammata Corinthiaca quinque in traditione A extitisse vidimus (transierunt enim omnia ex Corinthiaca defensione in Ephorum) omniaque in traditione S apud scriptores inveniuntur (cf. §§ 38 et 138). Praeter ep. 137 et ep. 96, de quorum traditionibus textibusque A et S diversis iam disputavi, ep. 97 quoque in trad. S legitur (AP. VII. 250, textus A = S), epigrammatis 98 Simonidea traditio laudatur et AP. VII. 347 et apud Favorinum l.l. (utroque loco in eodem textu eoque ab A discrepanti), ep. 134 in tradit. et textu S AP. VI. 215. Communem igitur historiam quinque illa epigrammata habuisse coniunctimque in Syllogen transiisse videntur. Theopompum igitur, qui unum epigramma servarum Venerearum exhiberet, fontem Collectoris fuisse negandum est. Restant defensio Corinthiaca et Ephorus. Quae autem causa antea (§ 29) nos monuit, ne fontem abstrusiorem Theopompum adiisse putaremus, eadem nunc nos retineat necesse est, quominus Collectorem eo usum esse censeamus. Accedunt autem rationes haud leves, propter quas *Ephorus* fons Collectoris habendus sit. Non solum in epigrammatis Corinthiis, sed etiam in aliis, quae ex Corinthia defensione omnino non arcessi potuerunt, Collectori apud Ephorum traditio A praesto fuisse videtur. Sic epigrammatis, quod iam commemoravi supra § 34, 141 (cf. § 76), ep. 140 (cf. § 50) et aliorum epp. (cf. § 134) traditio A ad Ephorum recurrit. Ephorus praeterea is erat auctor, apud quem haud parva epigrammatum messis quaerenti expectanda erat, quippe qui Isocrateae scholae assecla epigrammatis orationem ornare adamabat (cf. § 29 n. 28). Alios denique praeter Ephorum adiisse historicos scriptores constat Collectorem, e.g. Herodotum atque Thucydidem (cf. praeterea § 134), ut eum Ephorum neglexisse parum verisimile videatur. Omnia igitur eo ducunt, ut Ephorum Collectoris fontem cum ceterorum epigrammatum Corinthiorum tum nostri epigrammatis 137 fuisse putemus.

Itaque Ephorus praebet terminum, *post* quem Sylloge Simonidea

---

longius quam in lapide (AP. VI. 144 = 213*), hic argumenti loco afferre nefas est, quoniam epigramma numquam affuisse in Sylloge Simonidea demonstrari potest (cf. § 91). Praeterea logicam artem plectere mihi viderer, nisi concederem fieri posse, ut nonnulla epigrammata, quae Simonideae Syllogae insereret, a Collectore non ex scriptoribus acquisita essent.


adornata esse videtur, quippe qui auctor a Collectore usurpatus is sit, quali nobis opus esse diximus (§ 24) ad aetatem Simonideae Sylloges circumscribendam. Origo Sylloges iam nunc inter Ephorum atque Timaeum (vel accuratius inter Ephori narrationem pugnae Salaminiae ac Timaei librum septimum) poni potest. Quod temporis spatium etiam in artius redigi posse mox videbimus.

§ 36. *Epigrammatis 137 testium stemma.* Antequam ad Sylloges Simonideae aetatem intra terminos inventos (Ephorum—Timaeum) accuratius definiendam progrediar, componam epigrammatis 137 testium stemma (vid. pag. 71), quemadmodum nobis in paragraphis praecedentibus constituendum videbatur. Elementa tria notata sunt notis n(omen) o(missum) — S(imonidis nomen adiectum); u(xores) — m(eretrices); t(abula picta) — s(tatuae). Hoc unum in stemmatis capite indicare non potui — quod in altera huius commentationis parte demonstraturus sum — hoc epigramma revera a Simonide esse conditum. Testes superstites distractis, auctores apud eos laudati *currentibus*, ii autem scriptores, quos epigramma commemorasse coniecimus, 'vulgaribus' litteris scripti sunt. Litterae A et S nominibus praemissae traditionem indicant. De Lascari cf. quae dixi § 25 n. 17.

§ 37. *De Sylloges aetate accuratius definienda.* Artioribus finibus aetatem Sylloges circumscriptum iri puto, cum in eorum locorum rationem inquisitum erit, quos Kaibelium ad Sylloges aetatem definiendam adhibuisse vidimus (§ 22): Aristotelis Rhet. I. 9. 31 et Aristophanis Byzantii fr. 22 N. apud Eustath. 1761, 16. Hic ep. 163 Simonidea auctoritate ornatum exhibet, qua caret apud illum; qui tamen huic epigrammati ep. 111 Simonidi attributum adiungit. Quod discrimen Preger (144) hunc in modum explicare conatus est, ut Aristophanem neglegenter inspexisse Aristoteleum librum arbitraretur. Reitzenstein p. 136 quamquam bono usus argumento Pregerum refutavit — Aristophani Byzantio talem stultitiam imputari non posse —, tamen ipse Aristotelis silentium male usurpasse mihi videtur ad ficticiam (§ 38 n. 54) suam Peloponnesiacam Sylloges Simonideae recensionem tuendam.

Quod alter scriptor ea aetate, qua iam Syllogen extitisse vidimus, epigramma Simonidis nomine instructum profert, alter, a quo hic pendere videtur, anonymum, sic, opinor, explicatur, quod ille hausit carmen ex eo libro, qui inter utrumque intercessit, sc. ex Sylloge Simonidea, in quam a Collectore ex hoc scriptore receptum est. Itaque Aristophanes non Aristotele usus est, sed Simonideorum epigrammatum synagoge, quae aderat in Bibliotheca Alexandrina. Quod iam recte viderunt Kaibel et quodammodo Reitzenstein. Neglegentia igitur, quam Aristophani Preger ascripsit, imputanda

Testium ep. 137 stemma.



est Collectori. Etenim is, cum Syllogen adornaret, recordatus esse videtur apud Aristotelem praeberi versum epigrammatis in Archedicam (111) *cum Simonidis nomine coniunctum*, quod, quoad sciamus, nisi in celeberrimo loco Herodoteo, nusquam usu veniebat. Cum epigramma, quod totum ex Thucydide (VI. 59) sumere poterat, recepisset, etiam Simonideis inserendum duxisse videtur epigramma in Olympionicen quendam, cuius unus hexameter ne absolutus quidem Archedicae epigrammati apud Aristotelem praecedebat, sed cuius totum distichon paulo ante (I. 7. 32) legi non ignorabat.

Itaque terminus, *post* quem Sylloge adornata esse videatur, quem iam supra (§ 35) post Ephori pugnae Salaminiae enarrationem ponendum esse apparuit, nunc post Aristotelis Rhetoricorum librum primum defertur. Restat autem, ut explicem, qui fieri potuerit, ut eodem loco, ex quo argumentum petivimus Syllogen Aristotele esse posteriorem, hic epigrammatis 111 versui tertio adicere potuerit nomen Simonidis, quo caret epigramma totum apud Thucydidem VI. 59. Iam vidimus § 22 Kaibelio aliis (Schmidt—Reitzenstein PW. — RE. I. 2380) ipsam condicionem inter utrumque locum talem esse visam, ut Syllogen *ante* Aristotelem concinnatam esse constituerent.

Aristoteles, postquam Rhet. I. 9. 1 sqq. disseruit de honesto et turpi, utpote quae materiem dicendi praebent iis, qui laudandi vel vituperandi causa verba faciunt, definiitque singulas virtutes et vitia, praecipit oratori cum alia, quae in laudatione ei animadvertenda sunt, tum memorandum ei esse, si quis melius et pulchrius rem gesserit quam ipsi convenire videbatur: ut, si quis in prosperis quidem rebus moderatus, in adversis vero magno et excelso animo est, *aut potentior factus tanto aequior et placabilior* (*ἢ μείζων γιγνόμενος βελτίων καὶ καταλλακτικώτερος*). Hoc tribus illustrat exemplis: *τοιοῦτον δὲ*

τὸ τοῦ Ἰφικράτους *ʻἐξ οἵων εἰς οἷαʼ* *καὶ*
τὸ τοῦ Ὀλυμπιονίκου *ʻπρόσθε .... τραχεῖανʼ* *καὶ*
τὸ τοῦ Σιμωνίδου *ʻἢ .... τυράννωνʼ*.

Quamquam condicio inter dictum carmenve atque nomen proprium ter genetivo casu est indicata, tamen alia aliter est explicanda. Nam cum verbis *τὸ τοῦ Σιμωνίδου* significetur Simonidem auctorem esse epigrammatis in Archedicam, *τὸ τοῦ Ἰφικράτους* intellegenda sunt de Iphicratis dicto de se ipso, *τὸ τοῦ Ὀλυμπιονίκου* respiciunt cuiusdam versum in Olympionicen quendam. Aristoteles autem numquam dicto Iphicratis versuique Olympionicae genetivum latiore sensu adiunxisset, nisi paulo ante (I. 7. 32) ipse in eiusmodi argumentatione epigramma in Olympi-

onicen atque Iphicratis de se ipso dictum et diligentius indicasset et fusius exhibuisset: ὅθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα τῷ Ὀλυμπιονίκῃ 'πρόσθε . . . . τραχεῖαν [quibus nunc adduntur cetera:] ἄσιλλαν, ἰχθῦς ἐξ Ἄργους εἰς Τεγέαν ἔφερον'. καὶ ὁ Ἰφικράτης αὑτὸν ἐνεκωμίαζε λέγων 'ἐξ ὧν ὑπῆρξε ταῦτα' [quae conferantur cum obscurioribus 'ἐξ οἵων εἰς οἷα']. Aristoteles igitur liberiore genetivi casus usu exprimere voluisse videtur condicionem quodammodo similem extare inter Iphicratem, Olympionicen, Simonidem atque verba cuiusque allata. Itaque auctoribus uti voluit, apud quos exemplum regulae rhetoricae invenitur; cum unius tantum ex locis laudatis, Iphicratei, auctor ei esset praesto, ipse utrique *epigrammati* — nimirum sine auctore tradito — auctorem apposuit. Versus *in* Olympioni*cen* eo facilius Olympioni*cae* versus vocari poterat, quod ipse a poeta loquens inducebatur (ἔφερον) [49]; epigramma autem *sepulcrale in* Archedi*cam*, cum epigramma Archedi*cae* dici non posset, sive de coniectura sive quod vulgo Ceus epitaphii Hippiae filiae poeta credebatur, *Simonidis* auctoritate ornavit. Cum dicto Iphicratis versuque Olympionicae per se minime perspicuis quid scriptor vellet, lectores efficere possent ex verbis paulo ante (I. 7. 32) uberius laudatis, versus tamen epigrammatis Archedicae per se satis obscurus qua de causa allatus esset, numquam intellexissent, nisi ex Thucydide ii, qui rhetoricis studiis darent operam, totum epigramma non ignorasse censebantur [50].

Exemplum igitur habemus epigrammatis Simonidi ascripti extra Syllogen Simonideam. Iam per se verisimile est nonnumquam homines cum epigrammate aliquo auctoritatem clarissimi poetae coniunxisse. Sic e.g. apud Naxios carmen (epigramma enim non est) in Democriti Naxiorum ducis honorem scriptum pro Simonidis epigrammate habebatur (ep. 136), quod ex Naxiis Horographis servavit Plutarchus d. H. m. 869 c (cf. § 49). Locus Aristoteleus igitur minime terminum suppeditat, *ante* quem origo Simonideae Sylloges ponenda sit, quod epigrammati 111 Simonidis auctoritatem attribuat. Immo praebet idem locus terminum, *post* quem Sylloge composita esse videtur, quia epigramma 163 anonymum habet, quod ex eo petitum Simonideo nomine instruxit Collector Sylloges Simonideae.

Cum Aristoteles Rhetorica circa annum 335 conscripsisse videa-

---

49) Lectionem ἔφερε, quam Eustathius habet (cf. §§ 22 et 116), neglegentiae deberi vel sic demonstratur.

50) Rectene an iniuria cum hoc epigrammate Simonidis nomen coniunctum sit, in altera huius commentationis parte diiudicandi est locus.

tur [51]), intra annorum 335—300 spatium, utique posterioribus quarti saeculi decenniis, ponendam esse Sylloges originem constituendum est. Verisimile autem videtur propius ad recentiorem terminum quam ad vetustiorem accedere eius aetatem. Scriptores enim historici epigrammata exhibere solent taliter, qualiter in fontibus praebentur; quod igitur Timaeus iuxta Theopompum adhibuit Syllogen Simonideam, id arguere videtur epigrammatum Simonideorum conquisitionem *haud multo ante* factam Timaei animum advertisse. Itaque circa annum 310 Syllogen ortam esse ratum non nimis me erravisse puto.

Syllogen Athenis confectam esse ex Athenarum in litteris statu effecerim. Timaeus eam ibi cognovit, ubi inde ab anno 316 exul commoratus esse videtur [52]). Nam ex Alexandrina Bibliotheca, quae postremis demum quarti saeculi annis condi coepta est, vix ei innotescere potuit.

Quis fuerit Collector difficile dictu est, sed cuius scholae fuerit assecla, id opinor indicari posse. Quod sciebat in Aristotelis Rhetoricis inveniri epigramma Simonidis nomine ornatum, id iam docet eum in hoc libro fuisse versatum. Videbimus postea valde esse probabile inter scriptores, quos epigrammatum conquirendorum causa pervolvisset, fuisse *philosophorum* quendam biographum (§ 75). Cum praeterea epigrammatum Simonideorum collectio a studiis litterariis non abhorreat, in quae incumbebant Praxiphanes Demetrius Phalereus (qui idem officium Aesopo [53]) praestitit quod Collector Simonidi) alii Aristotelis sectatores, inter Peripateticos exeuntis quarti saeculi Collectorem fuisse contendere licet.

Ergo aetatis Sylloges Simonideae circumscriptio, quam acquisivimus, convenit iisdem temporibus, quibus iam antequam accuratiores terminos quaesivimus unice epigrammatum Simonideorum collectionem cogitari posse dicebamus (§ 24).

§ 38. *De historia Sylloges.* Restat, ut historiam Sylloges Simonideae breviter persequar [54]). Consentaneum est hoc Simoni-

---

51) Scripta enim videntur post Politica et libr. de Arte Poetica, quorum prius opus post Philippi mortem confectum est. Cf. Gercke PW.—RE. II. 1051—4.

52) Schwartz Herm. 34. 1899 p. 482.

53) Teste Diog. Laert. V. 80: *πλήθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε* (sc. Demetrius Phalereus) *τοὺς κατ᾽ αὐτὸν Περιπατητικοὺς* . . . . , *ὧν ἐστι τὰ μὲν* . . . . *τὰ δὲ* . . . . , *ἀλλὰ μὴν καὶ λόγων Αἰσωπείων συναγωγαὶ καὶ ἄλλα πλείω.*

54) De Sylloges Simonideae recensione Peloponnesiaca, quam quondam extitisse poetisque Scholae Peloponnesiacae epigrammaticis imitandi copiam praebuisse persuadere sibi et lectoribus conatur Reitzenstein p. 135 sqq., pauca tantum mihi addenda sunt post ea, quae § 23 de illius studiis dixi. Non solum nititur

deorum epigrammatum corollarium a Bibliothecae Alexandrinae praefectis in Bibliothecam receptum esse. Alexandrino exemplari usus esse videtur Meleager, cum Coronae suae insereret *νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω* (AP. IV. 1, 8). Quodsi ille excerptum Alexandrinae Sylloges transtulit in Coronam, quam rursus excerptam in Anthologiam recepit Constantinus Cephalas, in Anthologiae Palatinae epigrammatis Simonideis rudera Sylloges Simonideae deprehendi posse dicas iis quidem divulsis epigrammatis, quae erroribus vitiisque excerptorum librariorumque iniuria (i. e. contra Simonideae Sylloges auctoritatem, nam de Simonidea *fide* nihil tituli demonstrant) poetae auctoritatem ascivere. Hanc, quae est vulgaris, opinionem, hic nullo argumento confirmatam referre satis haberem, nisi Wilamowitz p. 319 Meleagrum adhibuisse editionem Alexandrinam negasset. 'In keiner Weise folgt, dass Meleager die alexandrinische Ausgabe der Werke (rectius "Epigramme", cf. Textg. p. 35 sqq.) des Simonides benutzt hätte. *Denn wer kann bezweifeln*, dass es damals vulgäre und philologische Controlle entbehrende Gedichtsammlungen gegeben habe. Leichtgläubigkeit und auch Speculation konnten sehr wol eine Sammlung anonymer Gedichte durch den berühmten Namen interessanter und verkäuflicher machen.' Cf. praeterea § 97.

In universum iam eo demonstratur Meleagrum excerpsisse Syllogen, quae adesset in Bibliotheca Alexandrina, quod ex undecim epigrammatis (cf. § 138), quorum traditionem S textu ab A diversam esse scimus, octo leguntur in Anthologia Palatina. Qui illa epigrammata ex Sylloge in Anthol. Pal. pervenire potuerunt, nisi per Coronam Meleagream?

At certae quoque epigrammatum seriei transitus ex Sylloge per Coronam in Anthologiam indicari potest. Volo epigrammata Corinthia quinque (cf. §§ 28, 34). Ephorus (ex Corinthia defensione) quinque epp. prodidit memoriae in traditione A. Eo usus est Collector. In Sylloge ipsa Timaeum ep. 137 (in trad. et textu S) invenisse

---

ea aetatis Sylloges definitione (a. 400), quam iam reiciendam esse vidimus, sed etiam quattuor epigrammata, quae in Atheniensi recensione defuisse in Peloponnesiaca affuisse finxit, omnia aliam explicationem habere iam apparuit: ep. 163, quod Aristophanem Byzantium in Peloponn. invenisse putavit (cf. § 37), ep. Corinthiaca 97, 98, 134, quae Collectorem ex Ephoro recepisse indicavi (cf. § 29). Praeterea prorsus temere sumpsit Simonidem Alexandrinis epigrammaticis poetis exemplo fuisse (de qua quaestione fusius disputabo § 123 sqq.). Videbimus unum tantum ex Peloponnesiis Simonidem, eumque qualis in Sylloge Simonidea compareret imitatum esse, sc. Mnasalcam; inter quem atque Syllogen qualis intercedat condicio ibidem demonstrabitur. Ergo prorsus ficticia est Reitzensteiniana Peloponnesiaca recensio.

vidimus. Ex ceteris quattuor tria nunc servata sunt in Anthol. Palatina: ep. 134 (VI. 215 in trad. et textu S), ep. 97 (VII. 250 in trad. S; textus A = S), ep. 98 (VII. 347 in textu S; nomen Simonidis librarii errore excidit, cf. §§ 53, 84). Quintum autem ep. 96 idque epigrammatis 97 gemellum omissurum fuisse Collectorem, qui quattuor receperit, vix cogitari potest. At hoc ep. et cum nomine Simonidis et in textu ab Ephoreo (A^2, cf. § 34) diverso legitur apud Favorinum [Ps.-Dion. Chrys.] XXXVII. 18, sequente epigrammate 98 eoque in textu S et nomine Simonidis (quod in AP. intercidisse dixi) instructo. Usus igitur est Favorinus traditione S i. e. usus est Meleagrea Corona, in quam tum Sylloges fragmentum receptum erat 55). Atque adeo etiam nunc adsunt in codice Palatino epigrammatis 96 vestigia, quibus ostenditur huic epigrammati in Corona locum fuisse inter ep. VII. 249 (= Sim. 92) et gemellum eius ep. 97 (VII. 250); cf. §§ 53, 101.

Sicut Sylloges Simonideae Meleager, ita Coronae Cephalas fragmentum recepit. Qua re Sylloge denuo iacturam est passa. Quemadmodum sunt epigrammata, quae in Sylloge ipsa tantum lecta esse scimus, ita alia inveniuntur, quae a Meleagro recepta a Cephala omissa esse constat. De quibus vid. § 143.

Cum per Meleagream Coronam tum per Anthologiam Cephalanam Sylloges Simonideae epigrammata pervenerunt etiam in Anthologiam Planudeam, sed quoniam Planudes ordinem epigrammatum, qualem invenit in fontibus suis, non servavit, fragmenta Sylloges continua per Meleagrum propagata tantum in Cephalana expectari possunt. Ex Planudea denuo suam Simonideam seriem hausit Constantinus Lascaris.

Et de vestigiis Sylloges Simonideae in Anthologiis deprehendendis et de aliis quaestionibus ad Anthologias pertinentibus disputatum est §§ 82—104; 105—108; 120.

---

55) Quando Sylloge Simonidea interierit, difficile dictu est. At affirmari posse puto eos scriptores, qui Meleagro recentiores sint traditionemque S repraesentent, usos esse non Sylloge ipsa, sed fragmento eius, quod Meleager in Coronam recepisset. De quibus vid. praeterea § 144. Quod tenendum est ideo, quod fieri potest, ut tituli Simonidei epigrammatum apud illos scriptores obviorum iam in Corona ex erroribus vel ex aliis titulis depravatis nati sint. Cuius rei revera offendemus exempla (§§ 54, 96; § 67).

CAPUT III.

DE TESTIUM EPIGRAMMATUM SIMONIDEORUM FONTIBUS.

§ 39. *De fontium inquirendorum consilio.* Quoniam duabus traditionibus praecipuis, quarum altera ex aetate antiquae condicionis epigrammatis propagata esset (A), altera niteretur Sylloge Simonidea (S), epigrammata Simonidea servata esse apparuit, singulis testium fontibus investigandis constitui potest, ad utram traditionem singula auctorum testimonia referenda sint. Eadem autem inquisitio nos docere potest, quae testimonia neutri traditioni sint accensenda. Praeterea testimoniorum fontium cognitio nobis usui est ad multas alias quaestiones solvendas, quales sunt de via ac ratione Collectoris, de eius fontibus, de accurata condicione traditionum A atque S, de casibus Sylloges Simonideae in Anthologiis [1]).

Quattuor genera sunt testimoniorum:

a. Inscriptiones (§ 40 sq.).
b. Scriptores (§ 42—§ 120).
c. Imitationes (§ 121—§ 131).
d. Loci, ubi de Simonide epigrammatico sermo est (§ 132).

---

1) Vix opus esse videtur lectores moneri hanc fontium inquisitionem prorsus esse diversam ab Hauvettiano critico fontium examine ('examen critique des sources' p. 5—38), in quo in scriptorum — nec tamen omnium (cf. § 21) — *fidem* quaesitum est. — Nusquam autem epigrammata cuncta (112), quae Simonideo nomine instructa inveniuntur, rite composita sunt. Bergk textum praebet epigrammatum 102 (fr. 82, epp. 89—124 a, 124 b—165, 167—185 a, 185 b—188), quibus p. 515 accedunt meri loci epigrammatum *quinque* (AP. XI. 9*, VII. 344*, 345, APl. IV. 29. 1 = AP. IX. 147, IV. 12. 53 = app. 204); tum testimonia extant epigrammatum non servatorum *duorum* sc. ep. 166 (cf. § 77) et (de coniectura haud incerta, cf. § 52) fr. 222. Neglexit autem Bergk in Simonideis (cf. § 75), sed recepit ut Empedoclea (II⁴. 260) epp. gravissima duo Empedocl. fr. 156 sq. Diels. Recipere non potuit ep. VII. 349, quod in cod. Pal. Simonidi tribui demum ex Stadtmülleri editione apparet (cf. § 84). In his epp. 112 ratio non habita est epigrammatum, quae unice in serie Simonidea Lascariana (§ 120) Simonidi tribuuntur. Inter epp. Simonidea 102, quorum textus apud Bergkium exhibetur, nihil minus quam *octo* sunt, quae nusquam poetae attributa de virorum doctorum coniecturis (imprimis Schneidewini atque Bergkii) Simonideis accensita sunt (epp. 90, 93, 104, 132, 135, 139, 175, 181).

1. INSCRIPTIONES.

§ 40. *De inscriptione Megarensi.* Cum in antiquo epigrammatis statu poeta non respectus sit, nedum nomen eius inscriptioni additum, valde miros nos habet, quod unum (ep. 107) ex quinque epigrammatis, quorum reliquiae in ipsis marmoribus inveniuntur, idque aliunde ignotum, in lapide ipso Simonidea auctoritate ornatum est. Attamen inscriptio illa quarto vel quinto demum, fortasse adeo sexto, post Chr. n. saeculo est incisa. Edita est a Boeckhio e schedis Fourmonti CIG. 1051 (unde repetita CIGSept. I. 53, Kaib. 461). Lapis, qui evanuisse videbatur atque diu frustra erat quaesitus, anno 1898 eodem loco, quo Fourmont inscriptionem descripserat, Palaeochorio, in loco Megaridis, repertus est a Wilhelmo, cui nitidissimum debemus apographum (p. 236—242). Ex eo Hicks-Hill (Manual of Greek Hist. Inscr., Oxf. 1901) 17. Carmini prooemium hoc praemissum est: *τὸ ἐπίγραμμα τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ ἀποθανόντων κὲ κειμένω[ν] | ἐνταῦθα ἡρώων ἀπολόμενον δὲ τῷ χρόνῳ Ἑλλάδιος ὁ ἀρχιερεὺς ἐπιγρ[α]- | φῆναι ἐποίησεν ἰς τειμὴν τῶν κειμένων καὶ τῆς πόλεως. Σιμωνίδης ἐποίει.* Quaeritur, unde Helladius mille post bella Medica annis nomen Simonidis adipisci potuerit, qua cum re altera arte cohaeret quaestio de epigrammatis ipsius fonte. In quam Wilamowitz (p. 321) si inquisivisset, non opinor putavisset pontificem ipsum cum restauraret epigramma affinxisse Simonideam auctoritatem. Videturne autem Helladius novisse monumentum antiquum? Hoc credidisse puto praeter Wilamowitzium Kaibelium, cui ille renovasse videatur epigramma 'vetustate absumptum'; Boeckhii quae fuerit opinio haud certo scio, 'iniuria' enim 'temporum deletum' monumentum dixit.

Cur equidem pontificem numquam vidisse antiquum monumentum putem, dicam. Nomen poetae ex eo peti non poterat neque, opinor, quisquam putaverit per tot saeculorum seriem traditionem remansisse de Simonidis auctoritate, praesertim cum aequales epigrammatis poetam respicere non solerent. Itaque Simonideum nomen ex illo fonte hausisse videtur, qui ei praebuit epigramma ipsum. Secutus igitur est traditionem litterariam. Quod insuper ex indole epigrammatis patet. In praesens tantum moneo (cf. § 137 n. 8) Wilhelmum optime vidisse idem obtinere in hoc ep., quod constat accidisse in ep. Corinthio 96: in traditione litteraria formam genuinam additamento (v. 3 sqq.) esse adauctam. Fieri sane potest, ut Pausanias (I. 43. 3) Megaris in foro viderit monumentum genuinum, sed certum est id iamdudum interiisse iis temporibus, quibus Megarenses urbi instaurandae dedisse operam et ex nostra inscriptione scimus et ex aliis fere eiusdem

aetatis [2]). Id quoque carminis prooemii religiosa interpretatio admonet: *ἐπίγραμμα . . . . ἀπολόμενον τῷ χρόνῳ Ἑλλ. ἐπιγραφῆναι ἐποίησεν*: quae temporum invidia evanuerat inscriptio in honorem eorum *ἡρώων* (sic praedicabantur, qui in bello Medico ceciderant, cf. Bl.—H. ad Paus. l.l.), — quibus civitatem semper taurum immolasse testatur epigrammatis subscriptio '*μεχρὶς ἐφ' ἡμῶν δὲ ἡ πόλις ταῦρον ἐνάγιζεν*' —, eam, cum in libro quodam ei oblatum esset, denuo inscribi iussit Helladius.

Iam per se verisimile est Helladium vel auctorem, quem adhibuerit, referri debere ad eam epigrammatum collectionem, in qua Simonidis nomine ornata legeretur epigrammatum series sc. ad Coronam Meleagream. Affuisse autem hoc ep. in Simonidea Sylloge demonstrari potest, nam unum est ex iis epigrammatis, quae respexit Simonideae Sylloges imitator Mnasalcas (cf. § 129) [3]). Hoc ep. igitur non ita aestimandum est, quasi nos habeamus genuinam cippi inscriptionem, sed referendum ad ea epigrammata (e.g. ep. 96, cf. §§ 53, 101), quae in Meleagream Coronam ex Sylloge Simonidea translata ex illa a Cephala non recepta esse scimus.

§ 41. *De ceteris inscriptionibus.* Cetera epp. Simonidea, quae in inscriptionibus leguntur, ex scriptoribus quoque cognita habemus. Sunt haec:

---

2) Boeckh ad nostram inscr.: 'tum Megarenses instaurandae urbi operam dedisse docet titulus de Diogene Comite ap. Chandl. Inscr. II. 130 p. 79 [= CIG. 8622, CIGS. I. 26], quem ad Christianos reieci — nunc tamen illum Helladium haud paulo antiquiorem iudico, nempe etiam ante illud tempus plures Megaris de restituendis monumentis meriti sunt, ut a Pontifice quodam in urbem instaurandam sumptus erogatos esse, videtur n. 1065 [= CIGS. I. 179] docere; et postea Herculius varia Megaris opera restituit (n. 1081 [= Kaib. 913, CIGS. I. 93])'. Praeterea conferendum est epitaphium Orsippi (CIG. 1050, Kaib. 843, CIGS. I. 52, Hicks-Hill 1), in valle Megarensi repertum, quod 'antiquitus lapidi est inscriptum, tum temporum invidia detritum ab altero Helladio restitutum est' (Kaib.), cf. Paus. I. 44. 1.

3) Ante Bergkium viri docti (Boeckh, Schneidewin, alii) hoc ep. respici putaverunt in Schol. Theocr. XII. 27 *Νισαῖοι Μεγαρεῖς ἀριστεύοντες ἐρετμοῖς*] *καὶ Σιμωνίδης ἐπαινεῖ τοὺς Μεγαρεῖς*. Quod si recte observasse viderentur, praeter grammaticos Alexandrinos Callimachum (§§ 24, 132), Aristophanem Byzantium (§ 37), Aristodemum (§ 77), fortasse quartum acquirere possemus grammaticum Alexandrinum, qui Syllogen Simonideam adhibuisset. Sed luculentum est — neque id fugit Bergkium (fr. 199) — scholion dicere Simonidem praedicavisse Megarenses ut *ἀριστεύοντας ἐρετμοῖς*, vel ut recentior Scholiasta M addit (apud Ahrens. Buc. Gr. II. 351) *ἀρίστους τὰ ναυτικά*. Schol. Ambros. (Ziegler, Cod. Ambros. 222 Schol. in Theocr., Tubing. 1867 p. 77) optime sic praebet scholion: *μαρτυρεῖ δὲ αὐτοῖς Σιμωνίδης ναυτικήν*. Itaque non hoc epigramma spectat Scholiasta, sed *carmen*, quo Simonides Megarenses celebraverat. Kaibel p. 455 iure Bergkio assentitus est, sed iniuria suspicatus est *epigrammati* ex hoc ipso scholio Simonidis nomen accessisse.

1. Ep. 96 legitur in lapide Salamine invento, quem addita imagine photograpta publici iuris fecit St. N. Dragumis Mitt. arch. Inst. Ath. 1897 p. 52 sqq. (Hicks-Hill 18). Inscriptio exhibet epigrammatis, quod est in Corinthiorum honorem, qui in pugna Salaminia ceciderunt, formam A^1 (cf. Wilamowitz p. 306 sq.), A^2 legitur ap. Plutarchum de H. m. 870 e, S apud Favorinum [Ps.-D. Chr.] XXXVII. 18. De trium harum formarum condicione dixi § 34.

2. Ep. 150, quod duorum distichorum est AP. VI. 144 et 213*, agnovit Wilhelm p. 227 sqq. in herma capite trunco medii saeculi quinti Marcopulo invento, in quo prius tantum distichon legitur atque ita, ut versuum locus illustretur in [Plat.] Hipparch. 228 e indicatus: *ἐν μὲν τοῖς ἐπ' ἀριστερὰ τοῦ Ἑρμοῦ . . . . ἐπιγέγραπται κτλ. . . . . , ἐν δὲ τοῖς ἐπὶ δέξια κτλ.* De formarum diversarum condicione cf. § 91. Hermae imaginem expressit Wilhelm p. 228.

3. Ep. 108, quod legitur AP. VII. 254, recognovit Wilhelm p. 222 in fragmenti apographo CIA. II. 1677 (= Hoffmann 124). Medii saeculi quinti, *στοιχηδόν*. Lapidem ipsum Wilhelm Athenis frustra quaesivit.

4. Ep. 132, quod nusquam (Her. V. 77, AP. VI. 343, Diod. Exc. Vat. III. 40, Aristid. 512 D. = 162 K.) cum Simonidis nomine coniunctum inter Simonidea receptum est ex falsa interpretatione loci Aristidei (cf. § 55), quod vero in Syll. Sim. affuisse non negaverim (cf. § 97), servatum est in inscriptionibus duabus diversis, altera antiquiore, altera recentiore, de quarum condicione dicam in alt. h. c. parte (cf. § 141,5):

α. *Vetustior* est inscriptio CIA. IV. 334 *a* p. 78 a Kirchhoffio edita Mon. Ber. Berl. Ak. 1887 p. 111 sqq. (Preg. 72, Hoffm. 249, Hicks-Hill 12). Est marmoris Eleusinii, litterae non *στοιχηδὸν* sunt incisae, saeculi exeuntis sexti.

β. *Recentioris* inscriptionis duo extant fragmenta:

1. CIA. I. 334 a Kirchhoffio editum Mon. Ber. Berl. Ak. 1869 p. 409 sqq. (Kaib. 748, Preg., Hoffm., H.-H. l.l.). Est marmoris Pentelici, litterae *στοιχηδόν*, saeculi medii quinti.
2. Fragmentum nuperrime a Wilhelmo inventum sex tantum litterarum, quod legitur ap. Hicks-Hill. 12.

2. SCRIPTORES, QUI ANTE SYLLOGEN CONDITAM FLORUERUNT.

§ 42. *Herodotus.* Ii scriptores, qui Simonidea epp. laudant ante Syllogen concinnatam scilicet omnes traditionem A repraesentant. Nomen igitur Simonidis, quod bis in eorum testimoniis epigram-

mati adiectum legitur, aliam explicationem habet, quam qua in poetae auctoritatis origine indicanda uti solemus. De locis praecipuis nobis iam in cap. I atque II dicendum erat.

Herodotus VII. 228 laudat epp. 91, 92, 94, quae eum ex traditione Spartana petivisse vidimus (§ 17). Nomen Simonidis epigrammati 94 adiectum non epigrammatis auctorem, sed inscriptionis dedicatorem spectat (§ 9 sq.). Quod epigrammatum textus ab Herodoto servati genuini sunt, eius rei nobis eius auctores fidei sunt. Itaque epigrammatis 92 formas ceteras a forma, quam Herodotus praebeat (a me insignitam A^1, cf. § 44), derivatas esse concludere possumus (cf. § 18).

Quartum ep. 132, quod apud Herodotum legitur V. 77, nusquam Simonidis nomine ornatur atque falsa Aristidei loci (de paraphth. 512 D. = 162 K.) interpretatione (§ 55) Simonideis a viris doctis est accensitum.

§ 43. *Thucydides*, *Apollodorus*, *Aristoteles*. Thucydides I. 132 affert ep. 138 nimirum sine auctoris nomine (trad. A), Simonidis dicitur epigramma idque textu mutatum AP. VI. 197 (S). Unde Thucydides epigramma, quod ex monumento ipso acquirere non potuit (§ 34), adeptus sit, non patet. Alterum ep. apud eum (VI. 59) obvium est ep. 111, et ipsum sine auctoris nomine (A). Unicum est epigramma, quod in Sylloge affuisse scimus (cf. § 133), quamquam in trad. S nusquam invenitur. Simonidis enim est iam apud Aristotelem, quo Collectorem usum esse vidimus (§ 37).

Ep. 138 Apollodorum (Demosth.) c. Neaer. 97 desumpsisse ex Thucydidis loco laudato (A) manifestum est.

Ep. 111 v. 3 Simonidis auctoritate instructum legitur apud Aristotelem Rh. I. 9. 31. Recurrit itidem ad Thucydidem, philosophus vero, cum in disputatione *auctore* carminis ei opus esset, de coniectura Simonidem eius poetam fuisse finxit (§ 37). Quae suspicio num vera fuerit, disquirendum demum erit in altera h. c. parte. Aristotele duce ep. apud Thucydidem totum obvium in Syll. Sim. recepit Collector — an integrum, cum trad. S perierit, incertum — simul Simonidi vindicans distichon anonymum ibidem obvium (coll. I. 7. 32) in Olympionicen quendam (ep. 163), quod in Sylloge lectum est ab Aristophane Byzantio (§§ 37, 116).

§ 44. *De formis epigrammatis 92.* Lycurgus exhibet Leocr. 109 duo deinceps epigrammata 92 et 90. Hoc autem iniuria inter Simonidea laudari solet, nam nusquam Simonideam auctoritatem prae se fert atque ex eodem loco Aristideo, quem iam §§ 41 sq. commemoravi, male intellecto Simonideis adiudicatum est. De variis huius epigrammatis formis disputare nunc igitur supersedere possum, cf. tamen § 59.

Ep. 92 apud Lycurgum legitur in forma diversa ab Herodotea, quam genuinam esse dixi §§ 18, 42, neque est additum Simonidis nomen. Herodotea audit:

ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι,

Lycurgea autem, quae fere convenit cum Ephorea (Diod. XI. 33) atque Straboniana (IX. 4. 16 p. 429):

ὦ ξένε ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Huic formae cur cum Diodoro atque Strabone — qui habet *ὦ ξέν' ἀπάγγειλον* — contra Lycurgeorum codicum auctoritatem (*ὦ ξεῖν'*) tribuerim lectionem *ὦ ξένε*, apparebit infra. Tertia accedit. AP. VII. 249 (Plan. et Lasc. Ir.[1]) epigramma praebet sic:

ὦ ξεῖν' ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Quae inter tres illas formas obtineat relatio, nondum satis accurate investigatum esse videtur; tertia a prioribus duabus omnino non est seiuncta. Formarum autem Herodoteae atque Lycurgeae ratio quominus constitueretur, ea res imprimis obstabat, quod Strabonem monumentum ipsum vidisse putabant viri docti. Unde mira orta sunt commenta de monumento restaurato, in quo, cum id geographus aspexisset, nova versuum forma legeretur. Constat autem Strabonem tantum dedisse annotationem litterariam (cf. § 46).

Nunc facile textuum condicio definiri potest. Nobilissimum epigramma pervulgatum erat in hominum ore atque, ut solet, enuntiata difficiliora textus primarii, quem Herodotus nobis servavit (A^1), cedere debuerunt simplicioribus (A^2): pro *ἀγγέλλειν* ponebatur *ἄγγειλον*, pro *ῥήμασι πειθόμενοι* dicebant *πειθόμενοι νομίμοις*. Epigrammatis exordium, quod poeta dederat quodque procul dubio in lapide legebatur *ὦ ξένε ἀγγέλλειν*, Herodoto Ionice dare perfacile erat (*ὦ ξεῖν' ἀγγ.*), id apud Athenienses nimirum *ὦ ξένε ἄγγειλον* cum hiatu audiebat, ut revera testantur Diodorus (Ephorus) et Strabo, qui hiatus eliminandi causa verbo praepositionem adiecit (*ὦ ξέν' ἀπάγγειλον*). Hac de causa Lycurgeos codices iniuria tradere puto *ὦ ξεῖν'*, quod archetypi librarius memor Herodotei loci celeberrimi reposuisse videtur, quemadmodum optimi codicis Dionei M scriba in consimili exordio epigrammatis 96 *ὦ ξεῖν' εὔυδρον* pro *ξένε*, quod ceteri codd. habent, scripserat (cf. § 34). Epigramma in forma A^2 eaque anonyma — sic enim Lyc., Diod., Strab. — unicuique erat familiare atque iure a Strabone l.l. *ἡ θρυλουμένη ἐπιγραφή* vocatur; Lycurgus eam scilicet versionem, cum ad populum orationem haberet, recitavit, quae auditoribus usu percepta

erat. Forma autem genuina A[1] nonnisi Herodoti lectoribus atque viris doctis erat nota; ea praeterea quodammodo cum Simonidis nomine erat coniuncta propter epigramma Megistiae a poeta dedicatum.

Collector in Syllogen utramque recepit formam ita coniunctam, ut ex A[2] in A[1] reponeret ἄγγειλον pro ἀγγέλλειν. Ep. ei et apud Herodotum et apud auctorem eius primarium Ephorum praesto erat. Huic formae (S) nomen Simonidis, quo A[2] carebat, apposuit. De Ciceronis testimonio cf. § seq.

3. CICERO.

§ 45. *Quid Ciceroniano epigrammatis 92 testimonio tribuendum videatur.* Ciceroni, quo antiquiorem post Syllogen conditam nullum scriptorem ep. quoddam Simonideum laudantem habemus, celeberrimi epigrammatis 92, cuius variae formae expositae sunt in § praecedenti, testimonium debetur, cui viri docti fere omnes multum tribuere solent atque soliti sunt. Tuscul. I. 42. 101 epigramma Latine versum Simonidisque auctoritate ornatum praebet:

dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,
dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Proclive esset Ciceronis fontem indicare, si constaret, quamnam traditionem (A[1], A[2], S; cf. § 44) versio respicere videretur. Convenit sane — quod Bergkio Pregero aliis libenter concedam — Ciceronis illud '*legibus obsequimur*' satis accurate Graecis πειθόμενοι νομίμοις (A[2]), sed quod forma A[2] Simonidis nomine non munita est, obstat, quominus Ciceronem hac forma usum esse putemus. Vel hac de causa sumendum erit Ciceronem reddidisse sive formam A[1] sive S; neque, opinor, quisquam negabit fieri posse, ut Cicero verba '*legibus obsequimur*' respondere voluerit illis ῥήμασι πειθόμενοι, quae utriusque formae A[1] et S propria sunt. Nomen Simonidis ex utraque traditione peti potuit. Videamus, utra eligenda sit.

Preger arbitratus est (p. 16) Ciceronem adiisse Coronam Meleagream. Mitto sane, quod Pregero ipsi Cicero vertisse eam formam videtur, quam littera A[2] insignivi. Quae a Corona aliena est. At, obsecro, estne credibile Ciceronem epigramma omnium vulgatissimum petivisse ex epigrammatum collectione, quam eum cognovisse nullus [4]) ceteroquin locus est, qui probet?

---

[4]) Preger sane alterum Coronae adhibitae vestigium apud Ciceronem se invenisse putavit: epist. ad Att. IX. 7. 5 et 18. 3, ubi respici Leonidae ep. AP. X. 1 animadvertit Knaack (Progr. Stettin 1883 p. 7). At Knaack eodem loco

Videamus locum ipsum. Praebentur in Tusculanarum libro I exempla eorum, qui praeclare factorum conscii forti animo mortem occubuerunt. Post Theramenem (40. 96) Socratemque (40. 97 sqq.) laudatos illustratur mortis illa contemptio, qua Spartani inclaruerint, tribus exemplis, quorum hoc medium est: *'pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides: "dic — obsequimur". E quibus unus, cum Perses hostis in colloquio dixisset glorians: "solem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis", "in umbra igitur", inquit, "pugnabimus"'.* Cum haec narratio tum ceterae, quae reliqua exempla illustrant, inveniuntur et alibi et apud Plut. Apophth. Lac. 209, 225, nisi quod epigramma ipsum deest. Conicias Ciceronem aut auctorem eius — quisquis fuit — petivisse narrationes illas ex scriptore quodam rerum memorabilium (cf. Val. Max. III. 2. ext. 3, 7. ext. 8). Cuius annotationem de Thermopylis ad Herodotum denique recurrere manifestum est (cf. Her. VII. 226 sqq.), ex quo et epigramma et nomen Simonidis arcessi potuerunt. Quoniam autem epigramma ipsum a Plutarcho atque Valerio non exhibetur, fieri quoque potest, ut Cicero, vir in historicis Graecis versatissimus — vel fortasse iam auctor eius —, epigramma ex Herodoto recordatus narratiunculae inseruerit. Vel sic igitur Cicero formam A[1] vertisse videtur.

Locus Ciceronis nihil confert ad constituendam epigrammatis traditionem, quippe quam iam omnem aliunde cognitam habeamus. Neque — quod plerique arbitrati sunt — propter eius testimonium tutius epigramma vindicari potest Simonidi, cuius auctoritatem ea sola de causa certam esse vidimus (§ 18), quod loco Herodoteo — quo Cicero quoque niti videtur — poeta epigrammatis Megistiae dedicator vocatur. Testimonio Ciceroniano facile carere possumus.

4. STRABO.

§ 46. *De Strabonis verbis ep. 92 spectantibus.* Quae de quinque cippis Thermopylensibus leguntur apud Strabonem IX. 4. 2 p. 425, ea accepta referri Apollodoro demonstraverunt Niese Rh. Mus. 32. 1877 p. 267 sqq. atque Schwartz PW.—RE. I. 2867 (cf. § 16 n. 31). Quae autem paulo post IX. 4. 16 p. 429 de ipso

---

iam docuerat apud Romanos Tarentinum diligenter lectitatum esse testibus inscriptionibus Pompeianis Kaib. 1103—1106 locisque quibusdam Propertianis. Nulla ergo concludendi est necessitas Ciceronem nisi ex Corona Meleagrea Leonideum epigramma cognoscere non potuisse.

epigrammate decantato Thermopylensi 92 enarrare pergit Strabo, utrum ea debeat Artemidoro (Apollodori certe non sunt, cf. Schwartz l.l.) an aliunde sumpserit, vix effici potest: *περὶ δὲ τὰ στενὰ ταῦτα οἱ περὶ Λεωνίδαν μετὰ ὀλίγων τῶν ὁμόρων τοῖς τόποις ἀντέσχον πρὸς τὰς τοσαύτας τῶν Περσῶν δυνάμεις .... καὶ νῦν τὸ πολυάνδριον ἐκείνων ἐστὶ καὶ στῆλαι καὶ ἡ θρυλουμένη ἐπιγραφὴ τῇ τῶν Λακεδαιμονίων στήλῃ ἔχουσα οὕτως·* seq. ep. 92 forma A^2 (*ὦ ξέν' ἀπάγγ.*). Praebet igitur Strabo epigrammatis versionem popularem; adeo imperativo *ἄγγειλον* hiatus evitandi gratia praepositio accesserat. Errant, qui putent Strabonem Thermopylas visitasse (cf. § 44).

§ 47. *De ceteris epp. apud Strabonem obviis.* Legitur XIV. 2. 5 p. 652 ep. 185 b anonymum, quod in Anth. Planudea IV^a. 6. 4 (= app. 82) et in textu diverso et cum nomine Simonidis coniunctum invenitur. Inter has traditiones autem non condicio A ∾ S intercedit; Simonidis enim nomen epigrammati, quod de Colosso Rhodio est, Planudis errore esse adiectum, iam eo effici potest, quod a scriptoribus duobus Byzantinis, Constantino Porphyrogenneto de adm. imp. 21 atque Cedreno I p. 755, carmen affertur Simonidis nomine destitutum, quamquam eodem textu, qui est apud Planudem. Textuum ea est condicio, ut recentior maculis affectum (cf. § 114) praebeat vetustiorem [5]).

Locrensium epitaphium Thermopylense (ep. 93) legitur IX. 4. 2 p. 425, quod ex Apollodoro (cf. § 16) hausit Strabo quodque a Schneidewino Simonideis insertum est, quia carmen, quod unum ex quinque epigrammatis Thermopylensibus fuisse arbitrabatur, ei ab eodem poeta compositum esse videbatur atque cetera tria.

5. DIODORUS.

§ 48. *De Ephoreis apud Diodorum.* Quae epigrammata Simonidea (eaque anonyma omnia) apud Diodorum leguntur, ea ex Ephoro hausta esse apud omnes constat. Lib. XI. 33 praebentur epp. 139, 91, 92 (in forma A^2 cf. § 44); de Ephoro fonte cf. Unger Philol. 40. 1881 p. 59 sqq. Ep. 139, quod nusquam redit, a Schneidewino inter Simonidea est receptum. Eodem lib. c. 62 laudatur ep. 142, in ea forma, quam inter complures eiusdem epigrammatis traditiones antiquissimam (A^1) esse videbimus (§ 60). De Ephoro huius capitis fonte cf. Volquardsen, Untersuch. über Diodor 1868 p. 53, 58, 66. De Ephoro Diodori auctore praecipuo

---

[5]) Eiusmodi relatio extat inter textum epigrammatis in Praxitelis Cupidinem (Athen. XII. 591 a) atque eiusdem epigrammatis textum diversum Simonidi attributum app. Plan. 204 (cf. § 71).

in iis libri XI partibus, quae de bello Medico sunt, cf. Busolt II². 622 sq., Schwartz PW.—RE. V. 680.

Praeterea in Diodoreis Exc. Vat. III. 40 (p. 213 Vog.) servatum est ep. 132, quod in Diodorum ex Herodoto sive recta via sive per Ephorum propagatum est. Ut iam monui (§ 41), ep. ubique anonymum Simonideis insertum est a viris doctis. Attamen verisimile est hoc quoque ep. a Collectore in Syll. Sim. receptum fuisse (§ 133 sqq.); nullum vero eius rei extat vestigium.

6. PLUTARCHUS.

§ 49. *De epp., quae unice in lib. de Her. mal. leguntur.* De cap. 39, in quo epp. Corinthiaca quinque (96, 97, 134, 98, 137) laudantur, iam disserui § 25 sqq. Apparuit in Plutarchi libellum confluxisse duos fontes, quorum alter (Ephorus) servaret idque traditione antiquiore (A) omnia epigrammata, alter (Timaeus) recentiore (S) praeberet unum ep. 137. Cum Plutarchus ignorasse videatur epp. quattuor, ut quintum, itidem Simonideo nomine ornata inveniri — quanta enim cum voluptate Simonidis auctoritatem epigrammatis 137 praedicaret vidimus (§ 25) — sequitur eum neque Syllogen Simonideam novisse neque adeo excerptum eius in Coronam Meleagream receptum. Quod ab eo affertur *adiecto Simonidis nomine* epigramma sc. ep. 136 in Democritum Naxiorum ducem, id igitur petivit ex eo fonte, quo usus est in Herodotea narratione (VIII. 46) de Naxiorum auxilio Graecis praestito (a. 490) impugnanda. Dubitari non potest, quin ille fons fuerit Naxium Chronicon (*Ναξίων ὡρογράφοι*) paulo ante commemoratum. Ex Ephoro (fr. 113, FHG. I. 265), qui quidem in eodem cap. laudatur, ep. non fluxit. Manifestum enim est Plutarchum illum tantum laudasse, ut leve discrimen, quod inter eum et Hellanicum extabat de navium numero, testificaretur (cf. § 29 n. 30). Naxii autem Horographi unde ep. sumpsisse censendi sunt? Ex Sylloge? Non opinor. Fac eos Alexandrina aetate [6]) vixisse — quod omnino non constat —, ut Sylloges utendae iis facultas fuisse videatur; quis autem credat *Naxii* Chronici auctores, *Naxium* ut laudarent epigramma, adiisse Syllogen Simonideam? Praeterea in ea affuisse nostrum carmen, quippe quod epigramma non sit — sitne dedicatorium an sepulcrale dignosci nequit — valde

6) Müller FHG. IV. 304 Plutarchum adhibuisse censet vel Andriscum vel Philetam ('i. e. Philteam cf. Meineke Anal. Alex. p. 352' [add. Kaib. p. 447 n. 1]) vel Aglaosthenem vel alium rerum Naxicarum scriptorem. Cf. Susemihl A. L. II. 384 et 400 n. 314.

vero est dissimile. Carmen, opinor, apud Naxios vulgatum in Chronicon receptum est atque, quo maior illi haberetur fides, pro Simonideo epigrammate est editum. Itaque Simonideae auctoritatis extra Syllogen Simonideam carmini appositae exemplum habere videmur.

Legitur c. 42 in eadem disputatione, de qua dicam in § seq., ep. 138 (trad. A), quod scilicet ad Thucydidem (I. 132) recurrit, cum cuius verbis Plutarchea fere conveniunt.

§ 50. *De epp. libro de Herod. mal. cum Vitis communibus.* Bis Plutarchus (d. H. m. 42 et Ar. 19) Herodotum impugnat, quod Graecorum mediae aciei copias in proelio Plataeensi pugnae non interfuisse sed circa Iunonis templum consedisse tradebat [7]. Cum aliis rebus astruit sententiam suam Plutarchus tum utroque loco argumento utitur epigrammate 140: *καὶ τὸν βωμὸν οὐκ ἂν ἐπέγραψαν οὕτως, εἰ μόναι τρεῖς πόλεις ἠγωνίσαντο τῶν ἄλλων ἀτρέμα καθεζομένων* (Ar.). Laudatur deinde ep. sine Simonidis nomine, quo vero insignitum est idque in textu valde diverso AP. VI. 50 (cf. § 137,3 et § 138 sq.), ergo Plutarchus traditionem A, Anthologia trad. S repraesentare videtur. Consentaneum est ep. in utrumque Plutarchi locum fluxisse ex eodem scriptore. Cuius aetas iam certis terminis circumscribitur ea re, quod epigrammatis forma A apud scriptorem aliquem inventa sit necesse est a Collectore; qui igitur aut scriptorem, quem quaerimus, adhibuisse censendus est aut alium, qui ad illum recurrere videtur. Quoniam Herodotus epigramma non praebet, historicum, qui id memoriae proderet, quarto saeculo floruisse constat. Illum autem fuisse Ephorum eiusmodi argumentis probari potest, quibus argui vidimus eum fuisse auctorem, ex quo in Plutarchum epp. quinque Corinthiaca manavissent (cf. § 29). Habemus enim luculentum exemplum argumenti ex epigrammate petiti, quod Ephorum adamasse ex ipsius diserto testimonio scimus (§ 29 n. 28). Ephoro autem hanc Herodoteam narrationem impugnandi imprimis fuit causa, cum, ut in pugnae Salaminiae descriptione, ita in hac Plataeensis (IX. 69) *Corinthii* denuo sint, qui veniant *ἐπ᾽ ἐξεργασμένοισι* (VIII. 64). Revera Diodori excerptum Ephoreum (XI. 30 sqq.) omnes Graecorum copias proelii participes fuisse tradit, Tegeatarum autem partes, quibus praeter Lacedaemonios atque Athenienses praecipuam tribuerat laudem Herodotus, prorsus neglexit, quamquam apud eum Corinthii Megarenses Phliasii (cf. Hdt. IX. 69) atque adeo Sicyonii suum honorem consecuti sunt. Diodorus autem omisit, ut in pugnae Salaminiae descriptione

---

7) Cf. Busolt II². 736 n. 3, Ed. Meyer III. 413.

(cf. § 29), argumenta, quibus Ephorus demonstrare studuerat, qua de causa ab Herodoto sibi recedendum putaret. Quodsi iure apud Plutarchum epigramma ad Ephorum recurrere constituimus, Ephoreae narrationis excerptum, *in quo ipsum epigramma respici videtur*, deprehendere possumus in annotatione historica, quam Strabo IX. 2. 31 p. 412 grammaticae notitiae de Plataeis ex Apollodori Commentario in Catalogum Homericum (cf. Schwartz PW. — RE. I. 2867,53) petitae inseruit: *ἐνταῦθα Μαρδόνιον καὶ τὰς τριάκοντα μυριάδας Περσῶν αἱ τῶν Ἑλλήνων δυνάμεις ἄρδην ἠφάνισαν ἱδρύσαντό τε Ἐλευθερίου Διὸς ἱερὸν κτλ.*; quae verba spectant ultimum epigrammatis versum *ἱδρύσαντο Διὸς βωμὸν Ἐλευθερίου*. De Ephoro iuxta Apollodorum Strabonis fonte cum aliis locis tum in hoc de Boeotia capite (IX. 2. 2 p. 400 sq. = fr. 67, FHG. I. 254; IX. 2. 4 p. 401 sq. = fr. 30, FHG. I. 241) cf. Niese Rh. Mus. 32. 1877. 283 sq.

Quoniam Ephorum epigrammatis traditionem A exhibuisse apparuit, nullum potest esse dubium, quin is quoque scriptor fuerit, apud quem invenerit Collector epigrammatis traditionem A anonymam, quam mutatam transtulerit in Syllogen Simonideam. Eadem igitur huius epigrammatis est ratio atque Corinthiacorum epigrammatum, quae ex Ephoro cum in Plutarchum fluxisse tum Collectori innotuisse vidimus (§§ 29, 35 sq.). Origo ex communi fonte explicat, qui cum apud Plut. tum in AP. ep. nostrum eandem corruptelam (*ἐλεύθερον* pro *ἐλευθέρᾳ*) aluerit, de qua praeterea vid. § 137,3.

Alterum ep. libello d. Her. m. (34) cum Vitis (Them. 8) commune est ep. 135; quod his locis exceptis nusquam obvium a Schneidewino inter Simonidea prolatum est. In fontem igitur Plutarchi consulto inquirere non necesse est. Hoc autem ep. itidem ex Ephoro propagatum esse existimo, utroque enim loco parvo intervallo disiunctum legitur a Pindari fr. 77 (cf. § 29 n. 28). Tum haud improbabile videtur ep., quod spectaret pugnam Artemisii, a Collectore in Simonideam Syllogen receptum fuisse (cf. § 133 sqq.). Auctorem subiecisse huic epigrammati ep. 132 demonstrabitur in altera h. c. parte.

§ 51. *De ceteris epp. in Moral. obviis.* In lib. *an seni* 785 d laudatur epigrammatis 147 (in tribus Antiochidis victoriam cyclicam Simonide chorum docente) distichon tertium: *Σιμωνίδης ἐν γήρᾳ χοροῖς ἐνίκα, ὡς τοὐπίγραμμα δηλοῖ τοῖς τελευταίοις ἔπεσιν ʻἀμφὶ διδασκαλίῃ . . . . κτλ.ʼ*. Neque hoc epigramma Plutarchus — quod totum eum cognovisse certum videtur — ex Sylloge vel ex eius excerpto arcessivisse putandus est. Simonidem epigrammatis auctorem diserte non indicat, quamquam eum Simonidem carminis poetam intellegi voluisse libenter crediderim. Haec autem res ad fontem indagan-

dum levioris momenti est, quoniam Simonidea auctoritas ex epigrammate ipso peti potuit. Respici autem videtur idem ep. apud Valerium Maximum; apud quem in capite VIII. 7, quod est '*de studio et industria*' et in eodem argumento versatur ac Plutarcheum, cum aliorum tum senum ferreae industriae afferuntur exempla. De Simonide ext. 13 est: '*Simonides vero poeta octogesimo anno et docuisse se carmina et in eorum certamen descendisse ipse gloriatur*'. Quae autem apud Plutarchum consequitur fabula de Sophocle chorum clarissimum Oedipodis Colonei coram iudicibus recitanti, eiusmodi narrationem praemisit Simonideo exemplo Valerius (VIII. 7. ext. 12). Plutarchum atque Valerium adhibuisse fontes cognatos manifestum est. Itaque fuisse videtur rerum memorabilium scriptor, qui undique [8]) congesserit narrationes de viris illustribus, quo ex libro variis modis in utrumque scriptorem manaverint excerpta. Qui auctor quo fonte usus sit atque utram repraesentaverit traditionem discerni nequit. Simonidea enim auctoritas huic epigrammati adiecta traditionem S non arguit. Totius epigrammatis testis, Scholiasta Hermogenis (§ 79), qui ad eundem fontem redire videtur, non magis hac in re nos iuvat. Epigramma in Sylloge Simonidea affuisse sane alia via demonstrari potest (§§ 91, 100).

In lib. *de def. or.* 436 a sine Simonidis nomine praebetur ep. 160, quod Polygnoteae Iliupersi subscriptum fuisse traditur. Ep. affuisse in Corona Meleagrea idque cum Simonidis auctoritate coniunctum colligitur collatis Pausania X. 27. 4 (cf. § 65) atque AP. IX. 700. Itaque Plutarchus repraesentare putandus est traditionem A; quam integram in Syllogen recepit Collector. Cum neque Plutarchi fontem indicare possim neque ex altero traditionis A testimonio (§ 78) eruere scriptorem, qui ante Collectorem hoc epigrammate usus sit, incertum mihi est, ex quo auctore petitum hoc ep. a Collectore Syllogae Simonideae illatum sit.

In lib. *de coh. ir.* 456 c leguntur hexametri duo *anonymi*, quos Bergk Simonideis epigrammatis (ep. 177) accensuit, quod *Simonidea* auctoritate insigniti redeunt apud Tzetzam Chil. I. 15. 373 sq. Qui versus ab Hauvettio iam merito neglecti (p. 32 et p. 40 n. 1), quia ne Tzetzes quidem eos epigramma esse dicit (*πού φησιν ᾄσματι Σιμωνίδης*), meliore iure ex Simonideis expelluntur, quia ex ipso Plutarcheo loco hausti a Tzetza temere Ceo adiudicati sunt (cf. § 115). Quod cum Bergkium atque Hauvettium fugit

---

8) Ex Erastosthene atque Philochoro tertium, quod Plut. laudat, senilis industriae exemplum fluxit. Narratio de morte Philemonis, quae consequitur apud Plut., redit apud Valerium, sed prorsus aliter alioque loco (IX. 12. ext. 6).

tum Anthologiae Lyricae Bergkianae editores Hillerum atque Crusium, qui litteris adeo maioribus hos hexametros (apud eos Sim. ep. 167) excudendos curaverunt.

§ 52. *De fr. 222 Bgk.* Plutarchus (Them. 1) Themistoclem Lycomedarum genti cognatum fuisse ex eo arguit, quod huius gentis sacellum, quod erat apud Phlyenses, a barbaris incensum ipse instauravit picturisque ornavit, ὡς Σιμωνίδης ἱστόρηκεν[9]. Iure Schneidewin p. 186[10] suspicatus est *epigramma* Simonidis hic spectari. Itaque in antiquiore huius memoriae forma epigramma ipsum, quo Themistocles sacelli restaurator celebraretur, additum fuisse videtur idque Simonidis nomine instructum. Quaeritur igitur, quo fonte nitatur illa Simonidea auctoritas. Scriptor, ex quo in Plutarchum manavit notitia, sane Simonidis nomen de coniectura epigrammati adicere potuit propter familiaritatem, qua Themistocles atque poeta usi essent; sed eodem iure sumpseris Collectorem fuisse, qui Simonidi ep. ascripsisset. Tum historicus, ad quem recurrit Plutarchea notitia, Syllogen usurpasse putandus est. Nihil pro certo affirmari posse, cum epigrammatis textus interierit neque Plutarchi auctor accuratius indicari possit, non est quod moneam.

7. FAVORINUS.

§ 53. *De Favorino Coronam Meleagream adhibenti.* In oratione Corinthiaca, quae est inter Dioneas 37ª et a Favorino composita est (cf. Arnim II p. III et p. 363 in indice coll. or. § 25, Wilamowitz p. 308, *Emperius de or. Cor. falso D. Chr. adscr. Brunsv. 1832 p. 12 sqq. [vid. Emperii ed. p. XXI coll. FHG. III. 577]) § 18 sq. duo laudantur epigrammata Corinthiaca et Simonidis nomine insignita et textu ab Ephoreo (Plut. d. Her. m. 39, cf. § 29) discrepantia. Ergo horum epigrammatum traditionem A Ephorus, S Favorinus praebere videtur. Ep. 98 in eodem textu ab Ephoreo discedenti legitur AP. VII. 347, ex Sylloge Simonidea igitur propagatum (Simonidis nomen, quod in scribarum codicis Palatini fonte affuisse verisimile est, in codice ipso non amplius legitur, cf. § 84 post epigrammatum tabulam). Alterum ep. 96 itidem in Sylloge lectum esse certum est, haud enim

---

9) Hic unicus est locus, ubi solo Simonidis nomine commemorato Simonideum epigramma respici videtur. In Schol. Theocr. XII. 27 non alludi ad ep. 107 iam monitum est supra n. 3. De ep. 166 cf. § 77.

10) Cf. praeterea Bergk ad fr. 222, Busolt II^2. 639 sq. n. 5, Bauer Themistokles p. 11.

probabile est Collectorem, qui cetera epp. Corinthiaca quattuor asciverit — unum 137 in Syll. a Timaeo inventum esse vidimus § 32, tria 97, 98, 134 in eius reliquiis in AP. obviis sunt servata — quintum, quod epigrammatis 97 sit gemellum quodque una cum ceteris apud Ephorum invenerit, neglexisse. Atque adeo § 101 me demonstraturum esse spero in Anthologia Palatina huius epigrammatis vestigia extare in lemmate epigrammatis VII. 250 (= Sim. 97) *εἰς τοὺς αὐτούς*, quod non spectet ad ep. praecedens (Sim. 92) *ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν*, sed ad gemellum ep. 96 *ὦ ξένε εὔυδρον*, quod librarii errore (iam ante Cephalam in Corona Meleagrea commisso) propter exordiorum similitudinem transmissum sit.

Ex eodem fonte, qui ei suppeditavit Corinthiaca epp. duo, Favorinus petivisse videtur ep. Preg. 233 = AP. VII. 153 (or. § 38), ep. Preg. 25 = AP. VII. 304 (or. § 39), ep. Preg. 69 (or. § 15). Usus igitur esse videtur neque scriptore aliquo ad Syllogen Simonideam recurrenti neque Sylloge ipsa, sed Corona Meleagrea (cf. § 67 n. 65). Apud Dionem Chrysostomum huius florilegii adhibiti nullum extat vestigium.

8. HEPHAESTIO.

§ 54. *De Hephaestione Coronam Meleagream usurpanti.* Duo epp. apud Hephaestionem laudantur eaque Simonidis auctoritate instructa, quae aliunde nobis non nota sunt. Cap. 4 p. 16 Westph. ep. 131 reprehendit propter nomen proprium *Ἀριστο-γείτων* per duos versus divisum (*πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περατοῦται λέξιν, ὅθεν ἐπίληπτά ἐστι τὰ τοιαῦτα Σιμωνίδου ἐκ τῶν ἐπιγραμμάτων*), cap. 17 p. 61 W. (inde auctor *περὶ ποιήματος* c. 3 p. 66 W.) ep. 188 pro exemplo affert *μετρικοῦ ἀτάκτου: τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ Σιμωνίδειον ἐπίγραμμα.*

Iam per se probabile est Hephaestionem et ceteros quos laudet versus et hos Simonideos non chartae mandasse nisi ex bonorum librorum auctoritate. Ergo in Simonideis eum epigrammatum collectione quadam usum esse constituere possumus. Quam Coronam Meleagream fuisse hace ratione probari posse spero.

Inde a Brunckio ep. 188 duas propter causas virorum doctorum animos offendit. Nam mirabantur et, qui Simonidi ascribi potuisset epigramma in Aristodemum Eleum athletam, quem Olympiae Ol. 98 (ann. 388) vicisse certum est (African. p. 58 Rutg.), et, quod in epigrammatis exordio laudarentur victoriae ab Eleo Isthmicis reportatae, cum ab his ludis teste Pausania V. 2. 2, VI. 16. 2 Eleos prohiberi eodemque teste VI. 3. 4 Aristodemum Pythicis

vicisse constaret. Varias [11]) easque valde incertas inierunt viri docti vias, ut illas difficultates solverent, nemo tamen, quantum scio, utramque communi causae ascribere est conatus. Equidem errorem non Hephaestionis, sed auctoris, quo usus sit, esse puto. Facile, opinor, pro *Πύθια*, dari potuit *Ἴσθμια*, si cui complura deinceps epigrammata describenda erant, quorum alia aliorum ludorum victorias celebrarent; si praeterea alia ex iis epigrammatis essent adespota alia poetae certo, e. g. Simonidi, attributa, poetae nomen accedere potuit epigrammati anonymo. Talis seriei, in qua nostrum ep. utrumque vitium contrahere potuit, vestigium servatum est AP. XIII. 13—16. Conveniunt argumenta metraque cum Aristodemi epigrammate; ep. XIII. 14 Simonidis nomine ornatum est (ep. 125), cum cetera adespota sint. Demonstrare autem conabor §§ 65, 96 hanc seriem in AP. XIII *ex Meleagrea Corona* propagatam esse. Valde igitur probabile duco fuisse in Meleagrea Corona seriem talium epigrammatum integriorem, quae praeter alia epp. nunc deperdita contineret cum epp. AP. XIII. 13—16 tum ep. 188, quod Hephaestio in ea legisset, *cum Coronam Meleagream adhiberet*. Eum ea usum esse confirmare videtur Callimachi epigramma 39 Wil. cum apud eum obvium c. 15 p. 56 W. tum in AP. XIII. 25 (cf. § 65 n. 61 et § 94) servatum. Ex Corona eum itidem alterum Simonideum ep. 131 petivisse nunc probabile est.

Ep. 188 igitur exemplum praebet epigrammatis, cui Hephaestionis temporibus in Corona Meleagri nomen Simonidis adiunctum erat, quamquam in illam non ex Sylloge Simonidea sed aliunde (cf. § 96) receptum fuerat. Alterum eiusmodi corruptelae exemplum suppeditat titulus Simonideus epigrammatis 130 (cf. § 67).

9. ARISTIDES ATQUE SCHOLIA ARISTIDEA.

§ 55. *De Aristidei loci interpretatione.* Antequam in fontes Aristidis eiusque Scholiastae inquiram, haec ad liquidum perducenda est quaestio — de qua inter viros doctos est controversia —, utrum rhetor in oratione 49ª *περὶ τοῦ παραφθέγματος* (§ 63 sqq., p. 162 K. = 511 D.) sex epigrammata (90, 104, 142, 132, 91, 97) ut Simonidea laudare voluerit necne.

Aristides in oratione *περὶ τοῦ παραφθέγματος* redarguere studet

11) Jacobs Simonidem, qui huius epigrammatis poeta dicitur, a Simonide nostro diversum fuisse coniecit, Krause (*Olympia p. 250 sqq., laud. a Bergkio et Pregero) hunc Aristodemum diversum esse perhibebat ab altero, qui ex Pausania atque Africano notus esset. De *Simmia* auctore cogitavit Hartung. Bergkio, quem sequitur Preger 129, Hephaestionis error subesse videbatur.

adversarium quendam, qui eum vanitatis ac superbiae accusaverat, quod in oratione in laudem Minervae habita *ἐν παραφθέγματι* i. e. extra orationis argumentum suas ipsius laudes praedicavisset. Qua de causa iactationis exempla profert ex poetis tam epicis quam melicis, ex Sapphone, Alcmane, Pindaro, denique ex Simonide (or. § 59): *ἀλλὰ τήν γε τοῦ Σιμωνίδου σωφροσύνην οἶσθα . . . . ἐτόλμησε γοῦν εἰπεῖν* (ep. 146)· *'μνήμῃ δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν'. ταυτὶ γὰρ οὐκ ἕτερος δή που περὶ τοῦ Σιμωνίδου λέγει, ἀλλ' αὐτὸς εἰς ἑαυτὸν πεποίηκεν. ἵνα δὲ μὴ δόξῃ νέος ὢν ἔτι καὶ ὡραϊζόμενος λέγειν ταῦτα, προστίθησιν· 'ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος' κτλ.* Paucis verbis post iam sequitur ille locus controversus: § 61. *τὸ δὲ πάντων μέγιστον, καὶ γὰρ Σιμωνίδης καὶ Πίνδαρος ἀμφότεροι φανοῦνται σφίσιν αὐτοῖς ἐπινίκους πεποιηκότες ἐκ τοῦ εὐθέος ὥσπερ ἄλλοις τισίν. οὐ γάρ πω σέ ἤνεγκεν ἡ γῆ, ἀλλ' ἔτι τοῖς ἐλευθέροις ἦν ἄδεια τῶν τοιούτων.* § 62. *ἐπιτιμήσαις δ' ἂν οὕτω καὶ τοῖς ἀθληταῖς αὐτοῖς τοῖς τοὺς ἐπινίκους παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνουσιν. καὶ γὰρ οὗτοι τροπόν τινα ἑαυτοὺς ἐγκωμιάζουσιν, παρακαλοῦντές τε τοὺς ποιητὰς καὶ διδόντες ἀργύριον, καὶ τελευτῶντες παραλαβόντες τὸν ἐπίνικον, ᾄδοντες ἑαυτοὺς ὑπ' αὐλοῦ καὶ χοροῦ.* § 63. *κατηγορήσαις δ' ἂν ἀλαζονείαν καὶ τῶν τὰ τρόπαια ἱστάντων, ὡς ἔοικεν. ἔξεστι γοῦν καὶ πρὸς τούτους λέγειν 'ἄνθρωποι, τί ζητεῖτε; ἐξαρκεῖ νενικηκέναι'. τί δέ σοι βούλεται τὸ παράγραμμα 'Ἀθηναῖοι ἀπὸ Θηβαίων' ἢ 'Περσῶν', ἢ 'Λακεδαιμόνιοι ἀπὸ τῶν δείνων'; ἢ ὁτιδήποτ' ἂν ᾖ* [pro *ἢ* Keil interrogationis signo pro virgula post *δείνων* posito], *τοὐπρίγραμμα ἐξαλειπτέον; ἆρά σοι καὶ τὰ τοιάδε δόξει ἀλαζονεία τις εἶναι; 'Ἑλλήνων κτλ.* . . . . ep. 90' *καὶ 'ἀμφί τε κτλ.* . . . ep. 104' *καὶ πάντα ἐκεῖνα, καλλίω τῶν σῶν, οἶμαι, λόγων ἐπιγράμματα;* § 64. *καὶ ἔτι γε μᾶλλον 'ἐξ οὗ τ' Εὐρώπην κτλ.* . . . . ep. 142' *καὶ πρό γε τούτων 'ἔθνεα κτλ.* . . . . ep. 132', *οἶμαι, λέγει τὸ ἐπίγραμμα, καὶ πολλὰ ἕτερα.* § 65. *νὴ Δί', ἀλλὰ ταῦτα Ἀττικὰ καὶ θερμότερα. ἀλλ' ὡς μὲν καὶ ἡμεῖς οὐκ εἰς ἕτερον τελοῦμεν ἔθνος τῇ προαιρέσει τῶν λόγων ἅπασι πρόδηλον. σὺ δ' οὖν ἐξέταζε τὰ Δώρια, εἰ βούλει, καὶ τὰ Λακωνικά· 'μυριάσιν κτλ.* . . . . ep. 91'. *ἆρ' οὖν οὐκ ἀλαζονεία ταῦτα καὶ πολλὴ καὶ πρός γε αὐθάδεια λαμπρά; τετρακισχίλιοι, φασίν, ὄντες τριακοσίαις μυριάσι πολεμίων ἀντήραμεν.* § 66. *ἕτεροι δ' αὖ λέγουσιν· 'ἀκμῆς* . . . . ep. 94'. *ὥστε ὥρα σοι σκώπτειν αὐτοὺς ὡς ἀδολέσχας τινὰς νεκροὺς καὶ οὐκ εἰδότας ἡσυχίαν ἄγειν. κᾆτά σε ἀνήρ τις Σιμωνίδειος ἀμείψεται 'ὤνθρωπε, κεῖσαι ζῶν ἔτι μᾶλλον τῶν ὑπὸ γῆς ἐκείνων'* (Sim. fr. 60).

Bergk demonstrare studuit (p. 444 sq.) Aristidem non potuisse in ea disputatione, cuius et in principio et in fine Simonidis mentio fieret, sex illa epp. laudare, nisi ea Simonidea intellegi voluisset.

Nec vero v.c. enucleavisse videtur, quomodo epp. haec in argumentationem quadrarent [12]). *Hiller* (p. 432 sqq.), cui ea in re mihi assentiendum est, quod Aristidem in epigrammatis afferendis de Simonide cogitavisse negat, locum tamen non prorsus expedivisse videtur (cf. infra n. 14 et 19). *Wilamowitz* p. 317 hoc de hoc loco tulit iudicium: 'er (sc. Ar.) hat unmittelbar vorher Gedichte des Simonides, auch Epigramme (ächtes und falsches) citirt; dann geht er zu den Gedichten der Perserkriege über, aber deren Verfasser sind ihm die Staaten selbst, denen er sofort ihre Ruhmredigkeit von einem *Σιμωνίδειος ἀνὴρ* vorhalten lässt d. h. von einem Manne von simonideischer Bescheidenheit, die er selbst kurz zuvor als notorisch bezeichnet hat. Also Aristides legt die Gedichtsammlung des Simonides aus der Hand um nach einer Sammlung anonymer Epigramme der alten Zeit zu greifen'.

Mihi orationis series haec esse videtur. Apud poetas lyricos non solum inveniri iactationis exempla, at adeo Simonidem atque Pindarum eo pervenisse, ut in semet ipsi conderent epinicia [13]). Qui autem illam sui celebrationem reprobandam putet, ei eodem iure culpandos esse athletas, qui quadamtenus se ipsi praedicare censendi sint, cum mercede pacta poetis [14]) se epiniciis celebrandos curent. Qui autem epinicia superbientis ingenii esse iudicet, ei rursus stultos atque arrogantes habendos esse eos, qui tropaea statuant, in quibus titulo [15]) indicare soleant, qua in pugna quibusve temporibus victoriae palmam reportaverint; atque adeo qualemcumque inscriptionem ei reprobandam esse. Aspiciat autem adversarius ipse inscriptiones nonnullas; ipsum animadversurum,

---

12) Pag. 445: 'rhetor dum librum qui Simonidea epigrammata continebat evolvit, statim in poematium incidit, quod poeta 80 annos natus scripserat; iam cum pergit explicare volumen, animum advertit ad elogia publicis monumentis destinata, *eaque res eum permovit, ut paulisper a proposito digrederetur*'.

13) Simonidis spectare videtur ep. 145 vel (quod verisimilius duco) ep. 147, cf. Hiller p. 234. Quem Pindari locum respiciat, incertum est.

14) Verba *παρὰ τῶν ποιητῶν* (§ 62) igitur spectant poetas in universum neque cum Simonide nec cum Pindaro quicquam commune habent, ut Bergk putavit (p. 444): 'ludicra certamina, quorum encomia Simonides et Pindarus scripserunt'; Hiller p. 235 rem in medio relinquendam censuit.

15) Vocabulo usus est *παράγραμμα*, ut inscriptiones eiusmodi prosa oratione confectas, quales ipse laudavit, significaret; verbo enim *ἐπίγραμμα* nimis metrica iis temporibus inerat notio (cf. § 9 n. 8), quam quo omnium simplicissimae inscriptiones denotarentur. Statim post vero vox *ἐπίγραμμα* usurpatur, quoniam tum inscriptiones et soluti et ligati sermonis, quarum nonnullis magnam inesse perhibet orationis elationem, comprehenduntur. Non suffragor Keilio, qui dicit adhibuisse rhetorem vocabulum *παράγραμμα* propter orationis titulum *περὶ τοῦ παραφθέγματος*.

quantopere ostentationis plenae sint: e. g. epigramma Marathonium (90) et Byzantium (104) et illa epigrammata omnia, quae tanto suis (adversarii) declamationibus de Marathone et Salamine praestent [16] et Eurymedontium (142) et Atheniense epigramma donarii Boeotis Chalcidensibusque devictis Minervae dedicati et multa alia [17]. Si adversarius obiciat universae rationis dicendi in epigrammatis obviae imaginem non praebere exempla laudata, quippe quae Attica sint ideoque ferventiora [18], reputet ipsum (Aristidem) Atticorum in studio dicendi asseclam Atticum morem non dedecere; eandem praeterea obtinere ostentationem in Doricis Laconicisque epigrammatis, ut in epigrammate Thermopylensi (91), in quo quattuor milia hominum tricies centenis restitisse dicantur, et in epigrammate Corinthiaco (97), in quo mortui ipsi res praeclare gestas profiteantur. Hos ei cavillandos esse propter garrulitatem, cum quieti esse non didicerint. At tum eum adeo virum Simonideae modestiae [19] facessere iussurum esse lepido versu: 'tu magis es mortuus quam illi sepulti'.

---

16) Sententiam (§ 63) *καὶ πάντα ἐκεῖνα, καλλίω τῶν σῶν, οἶμαι, λόγων ἐπιγράμματα* optime explicavit Wilamowitz apud Keilium: 'declamabat nempe iste de Marathone et Salamine'.

17) Verba *οἶμαι λέγει τὸ ἐπίγραμμα καὶ πολλὰ ἕτερα* (§ 64) primo loco virgula post *ἐπίγραμμα* sunt distinguenda (ut fit in ed. Jebbii). Dindorf omisit interpunctionem, Keil tantum post *οἶμαι* distinxit. *Καὶ πολλὰ ἕτερα* scil. *ἐπιγράμματα*. Hanc distinctionem rectam esse praeterea docet sententiarum congruentia, qua simul demonstratur rhetorem unice epigrammatum genus universum indicare voluisse:

καὶ τὰ τοιάδε	seq. ep. 90	}
καὶ	seq. ep. 104	}
καὶ πάντα ἐκεῖνα	*ἐπιγράμματα*	}
καὶ ἔτι γε μᾶλλον	seq. ep. 142	}
καὶ πρό γε τούτων	seq. ep. 132	}
καὶ πολλὰ ἕτερα scil.	*ἐπιγράμματα.*	}

Verba *οἶμαι λέγει τὸ ἐπίγρ.* ex inepta neglegentia rhetorum posteriorum intellegenda sunt (cf. § 61).

18) Verba *νὴ Δί', ἀλλὰ ταῦτα Ἀττικὰ καὶ θερμότερα* ex adversarii mente dicuntur, ut tota epigrammatum series repudiari posse videatur; quod fugit Bergkium atque Pregerum, qui ea adiecerunt testimonio epigrammatis praecedentis 132.

19) Cf. Wilamowitzii verba supra allata. Propter modestiam conclamatam rhetor Simonidem nunc commemorat; prorsus autem non constat versum, quo utatur vir Simonideus, Simonidis esse (fr. 60 Bgk.), nedum Simonidis esse putentur versus, qui deinde adversario diiudicandi proponuntur (fr. 46). Post Simonideam modestiam, a qua profectus erat, denuo laudatam, de epigrammatum indole disputandi facit finem atque pergit disserere de poetarum iactantia. Hilleri (p. 237) ratio igitur reicienda est, qua explicare conatus est, cur ad Simonidem rediret Aristides: 'weil er diesen Dichter kurz vorher angeführt hat und seine Poesieen ihm daher am nächsten liegen'.

Itaque locum, qui est de epigrammatis, rhetor non adduxit, ut Simonidis arrogantiam demonstraret, sed ut ex ratione dicendi in epigrammatica poesi obvia argueret τὸ ἐφ' αὑτῷ φρονεῖν licere iis qui suam victoriam aut ipsi celebrarent aut aliis celebrandam curarent, licuisse Simonidi atque Pindaro, qui in se ipsi epinicia condidissent, licuisse denique sibimet ipsi.

Epp. 90, 104 (hic unice obvium), 132, quae hoc tantum freti loco viri docti inter Simonidea rettulerunt, nusquam igitur cum Simonidis nomine coniuncta inveniuntur. Ad omnia Bergk annotat Simonideam auctoritatem Aristidem testari.

§ 56. *Quae epigrammata apud Aristidem atque in Scholiis Aristideis inveniantur.* Praeter epp. obvia in loco de paraphth. 511 D. = 161 K. superiore § tractato (sc. ep. 146 cum nomine Simonidis, epp. 90, 104, 142, 132, 91, 97 sine poetae auctoritate), apud *Aristidem* laudantur epp. Simonidea haec: sc. in or. de IV vir. p. 209 D. ep. 142, quod etiam legitur in or. de paraphth., auctore non indicato sc. τις ὕμνησε (p. 210 iteratur distichon alterum) et p. 234 D. epigrammatis 138 fragmenta duo anonyma.

In *Scholiis Aristideis* (ad orationes de IV viris et Panathen.) inveniuntur epp. haec sex, ex quibus tria (90, 97, 142) itidem apud Aristidem leguntur:

Ep. 90 (s. nom.)	ap.	Frommel.	p. 289	ap.	Dindorf.	deest.
Ep. 97	»	»	»	p. 52	»	»	p. 136.
Ep. 100 (Simon.)	»	»	p. 58 (357)	»	»	p. 154.
Ep. 101	»	»	»	p. 52 (s. nom.), 58/9	»	»	p. 136. 154.
Ep. 129	»	»	»	p. 201	»	»	p. 533.
Ep. 142	»	»	»	p. 70	»	»	p. 209.

Cum apud Aristidem ipsum tantum Simonidis nomine insignitum sit ep. 146, omnia in Scholiis sunt Simonidea praeter epp. 90 et 97. Ep. 142 igitur anonymum est Aristidi, Simonideum Scholiastae. Cum ep. 90 tum ep. 97 apud alterum in altero textu legitur; epigrammatis 142 autem textum in tanta apud reliquos testes lectionum varietate Scholion atque Aristides eundem habent. Ep. 90 apud Ar. in versu altero habet ἐννέα, apud Scholiastam εἴκοσι, quocum facit Suidas v. Ποικίλη; Lycurgus vero Leocr. 109 (§ 44 et 59) pentametrum prorsus aliter praebet. Ep. 97 in Schol. ex uno tantum constat disticho, ut in traditione A (ex Ephoro Plut. d. H. m. 39, cf. § 29) atque in trad. S (AP. VII. 250 cf. §§ 34, 38), apud Aristidem duobus distichis est longius.

Textum ep. 129 Scholiasta magnopere recedentem praebet a textu AP. VII. 77; convenit cum Scholio sane Tzetzes Chil. I. 24. 632, at ille Scholio ipso usus est (cf. § 115).

§ 57. *Quibus fontibus Scholiasta in epp. 97, 100, 101, 142 laudandis usus sit.* Qui in Scholiastae epigrammatum fontes inquirit, ei cavendum est, ne scholia omnia, quae in censum veniunt, ab eodem homine scripta esse putet, priusquam in singulorum originem investigaverit. Quod moneo propter errorem, quem commisisse mihi videtur Hiller (cf. § 58 sq.).

Hic vir doctus iam quattuor epigrammatum fontem recte indicasse mihi videtur; disputatio eius tantum hic illic augenda atque supplenda est. Observavit epigrammati 101, quod bis legatur in schol. ad Panath. p. 52 et p. 58 Fr., illic praemitti ep. 97, hic ep. 100. Cum autem in AP. (VII. 257) epigrammati 101 paucis epigrammatis interiectis praecedant ep. 97 (VII. 250) et ep. 100 (VII. 253) atque praeterea ep. 97 in scholio praebeatur in textu cum AP. conspiranti, ab Aristideo discrepanti, constituit Hiller Scholiastam sumpsisse tria illa epigrammata ex epigrammatum collectione cum Anthologia Palatina cognata, quam accuratius definire supersedit. Eam autem Meleagream fuisse Coronam — qua usos esse Favorinum atque Hephaestionem iam probabile dicebamus, Pausaniam, Pollucem, Diogenem Laertium, Herodianum mox apparebit — tuto affirmari potest. Iam vidimus ep. 97, unum ex quinque Corinthiacis, revera in Corona affuisse (§§ 34, 38, cf. § 101).

Hiller etiam demonstravit in illa collectione (Mel. Cor.) a Scholiasta lectum esse ep. 142. Quamquam textus Scholiastae discrepat ab Anthologia (VII. 296). Viri docti autem (Kaibel p. 441, Keil Herm. 20. 343) iamdudum viderant, unde desumptum hoc epigramma in scholion pervenisset. Duo enim extant apud Aristidem loci de pugna Eurymedontia paralleli: de IV viris 209 D., ubi ep. nostrum legitur anonymum (τις ὕμνησε), atque Panath. 246 D., ad quem scholion pertinet nostrum, poetae nomine indicato Σιμωνίδης ὕμνησε λέγων. Epigramma igitur hausit Scholiasta ex Aristidis loco parallelo [20], poetae autem nomen, quod apud hunc deest, aliunde petitum addidit [21]. Monuit Hiller Scholiastam nomen illud unice arcessere potuisse ex epigrammatum collectione, cuius tamen collectionis — Coronae Meleagreae (vid. supra) — textum a textu Aristideo discrepantem neglexisset; quo factum, ut nomen Simonidis, quo in Corona ornata erat epigrammatis

---

20) Neque Hiller neque ceteri, qua par erat diligentia, monuerunt textum epigrammatis ex or. de IV viris nec vero ex or. de paraphthegmate esse haustum. Quod qua de causa dicam, vid. § 63

21) Ad locum ipsum scholion docet Σιμωνίδην λέγει 525 D., 296 Fr. Qui ad locum in Panath. or. parallelum epigramma ex or. de IV vir. haustum ascripsit nomenque poetae ex collectione addidit, is loco de IV viris ipsum nomen adiecit.

traditio S (cf. § 60), apud Scholiastam adiungeretur traditioni A (eique A[3], cf. ibid.).

Scholiastae temporibus ep. 101 in Corona Meleagrea instructum esse videtur Simonidis nomine, quo careret in Anthologia Cephalana (AP. *ἄδηλον* =: APl. *ἀδέσποτον*, cf. § 107,3). Cum ep. spectet bellum Medicum atque in AP. legatur in ordine Simonideo (§ 101), habere igitur videmur epigramma, quod ex Sylloge Simonidea in Coronam propagatum post Meleagrum Simonideum titulum nescio quo errore amisit.

Auctoritas Simonidea, quae epigrammati 101 adicitur p. 52 Fr., deest altero loco p. 58, ubi epigramma quoque 97 Simonideo nomine destitutum legitur, quo praeditum praebebatur in Mel. Cor. (AP. VII. 250). Id neglegentiae Scholiastae imputandum videtur. Verba enim haece praemisit Scholiasta epigrammatis 97 et 101: *ὅτι δεῖ τῶν βαρβάρων καταφρονεῖν* (ad lemma *παραδείγματος*, Panath. 204 D.) [22]), quae petita mihi videntur ex huius loci de Iove Liberatore loco *parallelo* de IV viris 240 D.: *ἐπειδὴ γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἑαυτῆς ἐγένετο καὶ πάντα ἐξεχωρήκει . . . . βωμὸς Ἐλευθερίου Διὸς αὐτῷ τε θεῷ χαριστήριον καὶ τοῖς κατορθώσασι μνημεῖον ἐπ' αὐτοῦ τοῦ τόπου τῶν ἔργων ἐστάθη, κοίνην ἔχων παράκλησιν* (spectat ep. 140, cf. Plut. Ar. 19, quo utitur rhetor, cf. § 62) *εἴς τε ὁμόνοιαν καὶ τὸ τῶν βαρβάρων καταφρονεῖν*. Illustrare tantum voluit duobus epigrammatis illis Scholiasta, quantopere Graeci Persas despexissent; auctorem non curavit. Quod exemplo allatum est Corinthiorum *cenotaphii* epigramma (97), inde fortasse explicandum, quod *sepulcri* epigramma gemellum (96) in Corona iam interciderat (cf. §§ 53, 101).

§ 58. *De Scholiastae fonte in ep. 129 afferendo.* Eidem fonti (Cor. Mel.) tribuit Hiller ep. 129 argumento usus debili: eandem de Simonidis somnio fabulam, quam praemittat epigrammati Scholiasta Aristideus, in codice Palatino epigrammati adiectam esse. Scholia duo illa, quorum discrepantia sane Hillerum non fugerat, hic habes:

Schol. p. 533 D. ad Ar. or. de IV vir. 215 D. [23]).	Schol. a Correctore in marg. sup. codicis Palatini p. 219 ad ep. 129 (=AP. VII. 77) ascriptum.
ὁ Σιμωνίδης προσέσχε τινὶ τόπῳ καὶ λείψανον εὑρὼν κοσμήσας ἔθαψεν.	*Σιμωνίδης εὑρὼν νεκρὸν ἐν νήσῳ τινὶ θάψας ἐπέγραψεν· seq. ep. 128.*

---

22) Scholion apud Dindorfium tantum recte legitur; apud Frommelium errore adiunctum est scholio praecedenti proprio lemmate omisso.

23) De hoc Aristidis loco vid. § 62 et § 132.

καὶ κοιμηθέντι παρέστη τοῦ λειψάνου τὸ εἴδωλον συμβουλεῦον μὴ πλεῖν.	*ὁ ταφεὶς νεκρὸς ἐπιφανεὶς τῷ Σιμωνίδῃ ἐκώλυσε πλεῖν·*
ὁ δὲ ἀναστὰς τοῖς ναυταῖς ἀνεκοινοῦτο. οἱ δὲ μὴ πεισθέντες ἀνήγοντο, αὐτὸς δὲ κατέμεινεν ἐκεῖ· χειμῶνι δὲ χρησάμενοι ναυαγίῳ περιέπεσον.	*διὸ τῶν συμπλεόντων μὴ πεισθέντων αὐτὸς μείνας σῴζεται*
καὶ ἐπὶ τούτῳ τιμᾷ Σιμωνίδης αὐτὸν ἐπιγράμματι· seq. ep. 129.	*καὶ ἐπιγράφει τόδε τὸ ἐλεγεῖον τῷ τάφῳ·* seq. ep. 129.

Quamquam haec scholia quodammodo cognata esse apertum est, fieri non potest, ut Correctoris nota ad Coronam (in qua praesto fuisset Scholiastae Aristidis) recurrat. Textus epigrammatis in Schol. Ar. diversus est a textu Anthologiae (cum in schol. marg. tum in epigrammatum serie), imprimis in v. 2: Sch. *ζῶντι παρέσχε χάριν* — AP. *ζῶντ' ἀπέδωκε χ.*; in Scholio Palatino etiam commemoratur ep. Sim. 128, quod non novit Schol. Ar.; denique Stadtmüller (cf. § 93) animadvertit talia codicis Palatini scholia conscripta esse a Michaele Chartulario [24]), cuius Cephalanae Anthologiae exemplar — ex Cephala ipso descriptum — codicis Palatini scribis praesto fuerat (cf. § 91 n. 131) [25]).

Ad fontem Scholiastae investigandum in comparationem vocanda sunt cetera de Simonidis somnio testimonia tria, Libanii, Valerii Maximi, Ciceronis [26]).

Libanii	Valer. Maxim.	Cicero
διήγημα περὶ Σιμωνίδου t. IV p. 1101 R.	I. 7. ext. 3 *(de somniis)*	de divin. I. 27. 56
Ἐχώρει μὲν ἐπὶ Τάραντα Σιμωνίδης ὁ Κεῖος Λεωπρέπους ποιητής. νεκρὸν δὲ ἄταφον ὡς ἐπεῖδεν	is (sc. Simonides) enim, cum ad litus navem appulisset in-	qui (sc. Simonides) cum ignotum quen-

---

24) A Michaele illo igitur demum ep. 128 (AP. VII. 516) cum nostro ep., quocum id arte cohaerere omnes asseverant (Schn., Bgk., Preg., Hauv., Kaibel Fl. Jb. 105. 1872. 795: 'die beiden Epigramme, die natürlich eng zusammengehören'), est coniunctum. Substituit verbis *κοσμήσας* (i. e. iusta solvens, non *ἐπιγράμματι κοσμήσας*, coll. Her. loco VII. 228, cf. § 10) *ἔθαψεν* male intellectis *θάψας ἐπέγραψεν* sequente epigrammate 128. Neque in ceteris de Simonidis somnio testimoniis huius epigrammatis ulla fit mentio, cf. infra et § 115.

25) Hauvette p. 37 Hilleri argumentationem temere recepit.

26) Testimonia nimirum iam a Schneidewino omnia adducta sunt. Tzetzes Chil. I. 24. 632, quippe qui Schol. Aristideo (cf. § 115) usus sit, neglegi potest.

ἐρριμμένον, ἠλέησέ τε καὶ θάπτει· ἡμέρᾳ τῇ μετὰ τὴν ταφὴν πλεῖν ἐς Σικελίαν ὀνειράτων † τοῦτόν γ' ὀνείρατι κωλύων. πείθεται μὲν ὁ Σιμωνίδης καὶ μένει. πλεῖ δὲ ἡ ναῦς καὶ βαπτίζεται. † δὲ εἰς Τάραντα κομίσαντος τὸ πάθος, ἐγίνετο ὅσα εἰκὸς ἐπὶ τοιούτου κακοῦ. Σιμωνίδης δὲ στεφάνους τῇ στήλῃ περιέθηκε καὶ ἐναγίσας τῷ νεκρῷ σωτῆρα αὐτοῦ τὸν κείμενον ἐκήρυξεν ἐπιγράμματι· καὶ τοῦτο ἡ στήλη δείκνυσιν.

humatumque corpus iacens sepulturae mandasset, admonitus ab eo, ne proximo die navigaret, in terra remansit. Qui inde solverant, fluctibus et procellis in conspectu eius obruti sunt: ipse laetatus est, quod vitam suam somnio quam navi credere maluisset. Memor autem beneficii elegantissimo carmine ⟨*salutis auctorem add. Gertz, Kempf*⟩ aeternitati consecravit, melius illi et diuturnius in animis hominum sepulcrum constituens quam in desertis et ignotis arenis struxerat.

dam *proiectum* mortuum vidisset eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse: perisse ceteros, qui tum navigassent.

Comparanti Libanii διήγημα et cum Valerio atque Cicerone et cum Scholio Aristideo perspicuum esse puto quattuor has narrationes ita esse cognatas, ut ex eadem stirpe propagatae censendae sint. Qui autem locus est de epigrammate, is integer servatus esse videtur in Scholio; alluserunt ad versus Libanius (cf. σωτῆρα αὐτοῦ τὸν κείμενον ἐκήρυξεν ἐπιγράμματι cum *epigrammatis* exordio οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο Σιμωνίδου ἐστὶ σαωτήρ κτλ.) atque minus perspicue Valerius (*'elegantissimum carmen'*) [27], Cicero, cui exemplo demonstrandum erat, quid somniis tribuendum esset, somnium tantum curavit, epigramma vero prorsus neglexit. Hic autem nobis locum dat statuendi, quonam ex fonte haec testimonia fluxerint. Simonidis somnium imprimis a Stoicis commemorabatur,

---

27) Fuerunt viri docti (Schn. p. 172, Bergk, Preg., Hauvette p. 113), qui flosculo rhetorico Valerii circumducti 'elegantissimum' illud 'carmen' pro *hymno* haberent; quem Emperio auctore adeo reperire voluerunt in fragmento hymni adespoti in tempestatem, quod legitur apud Plut. reip. ger. pr. 798 c atque ideo apud Bergkium ut Simonidis fr. 23 comparet.

ut doctrinam suam de somniis illustrarent; Cicero ipse testatur se ex Stoica scriptione narrationem accepisse (*'illa duo somnia, quae creberrime commemorantur a Stoicis, quis tandem possit contemnere? unum de Simonide: qui cum* etc.' vid. supra). Neque dubitare possumus, quin Chrysippus, qui *περὶ ἐνυπνίων* librum conscripsit, hac fabula Stoicam de somniis doctrinam confirmaverit[28]. Tuto igitur constitui potest fabulam de Simonidis somnio cum epigrammate coniunctam, quam Scholion Aristideum continet, ad Stoicos denique scriptores referendam esse. Sic quoque textus discrepantia, quae est inter Scholion et AP., explicationem habet. Epigrammatis enim textus, quod per crebra Stoicorum scripta ferebatur propagabaturque, facile labem contrahere potuit (*οὗτος ὁ Κείου* pro *οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο, Σιμωνίδεω* pro *Σιμωνίδου, ζῶντι παρέσχε* pro *ζῶντ' ἀπέδωκε*), integrum autem textum servavit AP. ex Sylloge, in quam Collectorem epigramma recepisse probabile est.

§ 59. *De fonte atque formis epigrammatis 90.* Inquisitio, quonam ex fonte Scholiasta ep. 90 hauserit, extra huius disputationis fines poni potuerat, quoniam neque apud Scholiastam neque alibi (cf. §§ 44, 55) epigramma Simonidis nomine ornatum legitur. Attamen, cum huius epigrammatis, quod apud Aristidem ipsum in textu a Scholiasta discrepanti laudatur, fontis atque traditionis investigatio occasionem nobis dare possit constituendi, quae sit et huius et ceterorum epigrammatum in loco Aristideo condicio, Hilleri argumentationem, qua epigrammatum syllogen (Mel. Cor.) Scholiastae hoc epigramma praebuisse efficere voluit, refellere conabor, atque simul indicabo, quo ex fonte epigramma fluxisse videatur.

Hiller ei rei non quantum par erat tribuisse mihi videtur, quod epigramma in uno tantum, quoad sciamus, Scholiorum Aristideorum codice (Paris. D. ap. Frommelium p. 289) extat, deest autem in quattuor primariis, quos solos excussit Dindorf (A., B., C., D., qui dicuntur apud Fromm. Par. A., Par. B., Bomb. Monac., Apogr. Monac.). Ea res arguere mihi videtur hoc scholion non ad Scholiorum Aristideorum archetypum recurrere, sed deberi Scholiastae recentiori, vel certe non eidem, quem Simonidea epp. ex Corona Mel. arcessivisse vidimus[29].

---

28) Cf. Arnim Stoic. Vet. Fr. II n. 1200. Alterum *'clarum somnium'*, quod sequenti paragrapho enarrat Cicero, ex ipso *Chrysippo* laudatur apud Suidam v. *τιμωροῦντος* (Arnim n. 1204 sq.).

29) Hoc etiam scholii ipsius indoles monere videtur. Ascriptum est, ubi Aristides in or. de IV viris de Pericle disserere incipit: *ἐπίγραμμα εἰς στήλην Περικλέους·* sequuntur Christodori Ecphras. (AP. II) v. 117—20 [cf. Sternbach.

At alterum quoque habet Hiller argumentum, quod ex formis huius epigrammatis diversis petitum est. Extant eius duae traditiones, quarum altera denuo duobus modis tradita est. Cum unicuique pateat eam formam, quae sit apud Lycurgum Leocr. 109 [30])

Ἑλλήνων προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
χρυσοφόρων Μήδων ἐστόρεσαν δύναμιν . . . . I,

vetustiorem (I) esse substructamque fuisse formae alteri (II), quae legatur apud Scholiastam l.l., Suidam v. *Ποικίλη*, Aristidem in loco § 55 tractato

Ἑλλήνων προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνι
ἔκτειναν Μήδων a. *ἐννέα* (*Ar.*) / b. *εἴκοσι* (*Schol.*, *Suid.*) *μυριάδας* . . II,

quaestio tamen est, utrum forma II *a* an II *b* traditionem II genuinam praestet. Cum ceteri viri docti omnes [31]), quos hac de re scripsisse noverim, tum Hiller [32]) Aristideum numerum *ἐννέα* (II *a*) apud Scholiastam atque Suidam (II *b*) in maius (*εἴκοσι*) auctum esse existimaverunt. Quod autem lectio, quae mendosa videbatur, Scholiastae cum Suida communis est, Hiller ex eo explicare studuit, quod ille in epigrammatum collectione (Cor. Mel.), hic, in Cephalana Anthologia (cf. § 111) epigramma invenisset (quod postea in Anth. Palatina excidisset).

Et aliis de causis haec argumentatio reicienda mihi videtur, et quod equidem, cum inquirerem, quot Persas pugnae Marathoniae interfuisse historici scriptores tradidissent quotque in ea cecidisse,

---

Melet. Gr. I. p. 9], *ἕτερον εἰς Ἀθηναίους*· seq. ep. 90. Apertum esse puto scholion primitus tantum continuisse versus in Periclem (sic in cod. B), quibus versus in Athenienses in cod. Par. D accesserint. Sic quoque explicari potest, quod versus in Periclem toti orationi praemittuntur in codicibus nonnullis. E.g. in cod. Leidensi (Periz. F. 40), quem ipse inspexi; quae pagina huius codicis (150) vacua est relicta inter finem Scholiorum in Panath. (in pag. 149) atque initium Scholiorum in or. de IV viris (in pag. 151), ea media tantum continet versus in Periclem cum titulo. Hic titulus omissis versibus relictus est in initio orationis in cod. D.

30) Vix lectores monendi sunt distichon, quale praebeatur in forma I, epigramma non esse. Vid. praeterea in altera huius commentationis parte.

31) Bergk, Preg., Hauv., Reitzenstein p. 113. — Jacobsio (app. 167) atque Schneidewino lectio *εἴκοσι* ignota erat; Scholion Aristideum Frommelianum novisse non potuerunt, Suideam glossam (quae etiam deest apud Bergkium) praetermiserant.

32) Hiller p. 229: 'von besonderer Wichtigkeit für die Quelle der Aristides-Scholien ist hierbei der Umstand, dass die entstellte Lesart *εἴκοσι* statt des bei Aristides selbst stehenden *ἐννέα* dem Scholiasten und Suidas gemeinsam ist'. Pag. 230 n. 3: 'dass umgekehrt *εἴκοσι* in *ἐννέα* geändert worden sei, wird schwerlich jemand annehmen wollen'.

commotus sum, ut εἴκοσι genuinam formae II lectionem eamque ab Aristide in ἐννέα depravatam esse censerem.

Cum Herodotus (VI. 117) tantum *interfectorum* in pugna Marathonia Persarum numerum (sc. 6400) indicasset, in cunctorum Persarum numero, qui proelio interfuissent, constituendo posteriori aetati summa erat fingendi licentia. Iam quarti saeculi scriptiones panegyricae (Lys. Epitaph. 21, Plat. Menex. 240 a) [33]) nihil minus quam quingenta milia tradunt. Quo numero Ephorum haud multo inferiorem dedisse suspiceris. At scriptor, quem Ephoream proelii Marathonii narrationem repraesentare putant [34]), Cornelius Nepos (Milt. 4), ducenta tantum milia (peditum, quibus accedunt equitum decem milia) exhibet. Qua re non apud illum Ephoreus numerus praeberi videtur, sed apud Iustinum (II. 9. 20): *sexcenta* milia. Praeterea extat apud scriptores complures (Val. Max. V. 3. ext. 3, Paus. IV. 25. 5 [35]), Plut. Parall. 305 a, Suid. v. Ἱππίας a) numerus minor (*trecenta* milia); is apud Nepotem paululum immutatus prodi videtur [36]). Apud hos recentior panegyrica traditio adesse videtur, in qua Ephoreus numerus nonnihil diminutus sit.

Qui scriptores totius Persarum exercitus numerum desiderabant eumque immanem praebebant, iis nimirum huic accommodatum occisorum numerum indicare necesse fuit neglecto Herodoteo (6400) utpote nimis exiguo. Unus ex scriptoribus supra laudatis, qui interfectorum quoque numerum exhibet, Iustinus (*ducenta* milia), is eum prorsus convenientem cum epigrammatis forma II *b* (εἴκοσι μυριάδας) praebet; id, quod eo minus nobis mirum videtur, quo magis eum, quem Iustini auctorem fuisse suspicati sumus, Ephorum, epigrammata adhibuisse in historia conscribenda persuasum habemus (§ 29 n. 28). Occisorum numerus ex epigrammate ipso petitus vel potius epigrammatis forma II ex I formata videtur, ut ingenti copiarum numero ingens interemptorum responderet. Ergo genuina epigrammatis forma II habuit lectionem εἴκοσι (*b*), non ἐννέα (*a*). Nusquam traditur ἐννέα μυριάδας cecidisse; ceterum si quis occisorum numerum fingere voluisset, saltem solidam summam

---

33) Ed. Meyer III. 326, Busolt II². 575 sq. n. 5.

34) Cf. Busolt II². 558 et n. 2.

35) Pausaniae verba μυριάδες τριάκοντα ἐφθάρησαν τῶν Μήδων ὑπὸ ἀνδρῶν οὐδὲ ἐς μυρίους ἀριθμὸν neglegenter de *profligatis* dicta videntur de *occisis* intellegunt Hiller p. 230 n. 3 et Blümner—Hitzig ad h. l.

36) Nepotem iuxta Ephorum etiam altero usum esse fonte Busolt l.l. concedit. Ed. Meyer III. 332 eum Ephoream narrationem reddere negat: 'men hält ohne Grund Ephoros für die Quelle des Nepos, eher ist Justin auf ihn zurückzuführen'. De Iustino cf. Busolt l.l.

δέκα μυριάδας finxisset [37]. Qui *ἐννέα* ex *εἴκοσι* oriri potuerit, i aperto est: Aristides epigramma neglegenter ac quodammodo e tempore laudavit.

Itaque ex lectione *εἴκοσι* non magis quam ex ceterorum epigran matum analogia argumentum peti potest hoc epigramma arcessitu esse a Scholiasta ex anthologia quadam (Cor. Mel.). Et in Schc' astam et in Suidam [38] et in Aristidem epigramma propagatum e ex scriptore historico (Ephoro), cuius notitiam quoque servata habemus apud Iustinum. Praeterea, etiamsi hoc ep. in Anthc Cephalana affuisse constituendum esset, Suidam hoc in epigramma hac Anthologia non usum esse ex *forma* glossae (*Ποικίλη· στι ἐν Ἀθήναις ἔνθα ἐγράφησαν οἱ ἐν Μαραθῶνι πολεμήσαντες εἰς ο ἐστι ἐπίγραμμα τόδε·* seq. ep.) sequi mihi videtur, cf. § 111 sq.

§ 60. *De traditione atque condicione epigrammatis 142 apu Aristidem.* Inquirentibus nobis, utra recentior epigrammatis ! forma vera sit, norma suppeditata est, qua possit diiudicari, qu Aristidi ad textum epigrammatum ab eo laudatorum constituendu tribui liceat. Nam qua ex neglegentia invito ei excidit in epigr. ! laudando *ἐννέα* pro *εἴκοσι*, eadem usus esse videtur, cum et ep grammatis 142 et epigrammatis 97 utriusque praeberet forma cum a traditione A tum a trad. S diversam.

Epigrammatis 142 tres praecipuae extant formae (de quarta vi infra et § 118). Ephorea (apud Diod. XI. 62, cf. § 48), Aristide utraque anonyma, atque Anthologiae Palatinae (VII. 296) forn nomine Simonidis instructa. Ephoreae hic est textus:

ἐξ οὗ γ' Εὐρώπην Ἀσίας δίχα πόντος ἔνειμε
καὶ πόλεας θνητῶν θοῦρος Ἄρης ἐπέχει,
οὐδέν πω τοιοῦτον ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν
ἔργον ἐν ἠπείρῳ καὶ κατὰ πόντον ἅμα.
οἵδε γὰρ ἐν Κύπρῳ Μήδους πολλοὺς ὀλέσαντες
Φοινίκων ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει
ἀνδρῶν πληθούσας· μέγα δ' ἔστενεν Ἀσὶς ὑπ' αὐτῷ
πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσὶ κράτει πολέμου.

Ab hac forma discrepant Aristidea et Simonidea (AP.) his loc

Num.	Vs.	Eph.	Arist.	Anth. Pal.
1.	1.	*γέ*	*τέ*	*γέ*
2.	1.	*ἔνειμε*	*ἔκρινε*	*ἔνειμε*

---

37) Quod iam sensisse videtur Bergk, cum verbum *ἔκτειναν* mutaret in *ἔκλιν*

38) Ex Ephorea pugnae Marathoniae descriptione etiam Suideam gloss *Κυναιγείριος* derivatam esse efficitur coll. Iustin. II. 9. 16 (Busolt l.l. n. Uterque enim locus ea in re discrepat ab Her. VI. 144, quod Cynegiri p dextram etiam sinistra manus navis aplustre comprehendens amputatur.

3.	2.	*πόλεας*	*πόλιας*	*πόλεμον*
4.	2.	*θνητῶν*	*θνητῶν*	*λαῶν*
5.	2.	*ἐπέχει*	*ἐφέπει*	*ἐφέπει*
6.	3.	*οὐδέν*	*οὐδένι*	*οὐδαμά*
7.	3.	*τοιοῦτον*	*κάλλιον*	*κάλλιον*
8.	4.	*ἅμα*	*ὁμοῦ*	*ἅμα*
9.	5.	*Κύπρῳ*	*γαίῃ*	*Κύπρῳ*
10.	5.	*Μήδους*	*Μήδων*	*Μήδων*
11.	7.	*αὐτῷ*	*αὐτῶν*	deest.

Quoniam suspicio adest harum lectionum diversitatem ita explicandam esse, ut textus, qui apud Aristidem legitur, obnoxius fuisse videatur rhetoris mutationibus, textus autem Anthologiae Collectoris coniecturis, antiquissimus textus videtur servatus esse apud Ephorum, Aristidi autem attribuendae eae lectiones, quae huius solius sunt propriae, Syllogae vindicandae, quas una Anthologia exhibet. In prima autem varietate aestimanda cautione opus est, ne Aristideae neglegentiae ascribamus lectionem *τέ*, ex qua contra lectio *γέ* potest esse depravata. De hac varietate vid. infra.

Lectionibus comparatis iam statim ex Aristidis mutatione ortae videntur hae varietates:

2. Ar. *ἔκρινε* < Eph. Anth. *ἔνειμε*
8. Ar. *ὁμοῦ* < Eph. Anth. *ἅμα*
9. Ar. *γαίῃ* < Eph. Anth. *Κύπρῳ*.

Collectori autem debentur:

3. Anth. *πόλεμον* < Eph. Ar. *πόλεας* (*-ιας* Ar.)
4. Anth. *λαῶν* < Eph. Ar. *θνητῶν*.

Una lectio cum apud Collectorem tum apud Aristidem mutationem est passa:

6. Eph. *οὐδέν* < Anth. *οὐδαμά*, Ar. *οὐδένι*.

Utrum in var. 11 lectio *αὐτῶν* ab Aristide an a Collectore invecta sit pro genuina *αὐτῷ*, constitui nequit, quoniam codex Palatinus, qui litem dirimat, hoc loco lacunam habet. Illius autem mutationem esse cur crediderim, infra indicabo.

Attamen ne sic quidem omnes varietates suam habent explicationem. Tribus enim locis cum Aristides tum Anthologia Ephoreae formae coniunctim oppositi sunt:

5. Eph. *ἐπέχει* < Ar. Anth. *ἐφέπει*
7. Eph. *τοιοῦτον* < Ar. Anth. *κάλλιον*
10. Eph. *Μήδους* < Ar. Anth. *Μήδων*.

Unde sequitur formam epigrammatis, quam suo uterque modo commutaverunt Collector et Aristides, non fuisse Ephoream, sed recentiorem, quae pro lectionibus Ephoreis:

5. ἐπέχει, 7. τοιοῦτον, 10. Μήδους
5. ἐφέπει, 7. κάλλιον , 10. Μήδων

praebuisset. Talem formam quondam extitisse confirmat inscript Kaib. 844 (CIG. 85, CIA. II. 555, Hoffm. 352) anni 376/5 Chaı sandro archonte lapidi mandata, quam huius epigrammatis imita onem continere iamdudum animadverterunt viri docti (cf. § 122,2 *b*

ἐξ οὗ Κέκροπα λαὸς Ἀθηναίων ὀνομάζ[ει]
καὶ χώραν Παλλὰς τήνδ' ἔκτισε δήμῳ Ἀ(θηνῶν),
οὐδεὶς Σωσιβίου καὶ Πύρρ[α] μεί[ζ]ονα θ[ν]ητ[ῶν]
φυλὴν Κεκροπιδῶν ἔργῳ ἔδρασε ἀγαθά.

Comparativus μείζονα monet auctorem huius carminis non ı spexisse versum tertium formae Ephoreae οὐδέν πω τοιοῦτον κτ. sed formae reconstruendae οὐδέν πω κάλλιον κτλ. Hanc forma illa esse recentiorem apparere mihi videtur ex lectionum ipsaru ratione. Pro Ἄρης πόλεας θνητῶν ἐφέπει, opinor, non maᶃ quisquam ἐπέχει scripsisset quam οὐδὲν τοιοῦτον ἔργον ἐγένε pro οὐδὲν κάλλιον κτλ. Ex ἐπέχει et τοιοῦτον, lectionibus simpli oribus, igitur natae sunt ἐφέπει 39) et κάλλιον. Formam Ephorea igitur insignire possumus nota A[1], formam reconstruendam A Aristideam A[3], Sylloges Simonideae traditionem S.

Quod huius epigrammatis recentior forma oriri potuit, id ta tum explicari potest, si epigramma perquam fuit celebre. Imita Atheniensis id iam demonstrat. Praeterea hoc carmen imitandı sumpsit (in forma A[1]) auctor carminis Graeci, quod legitur celeberrima Columna Xanthia medium inter inscriptiones Lyci (cf. infra et § 122, 2*a*). Sic perspicitur, quid Collectorem mo rit, ut epigrammatis forma A[1], quam apud auctorem suum p marium Ephorum legerit necesse est, neglecta, in recentiore exerceret artem criticam 40).

Suae quamque formae lectionem attribuimus praeter varietat primam. Primo obtutu Aristidis mutationi (A[3]) deberi lection τέ, cum in γέ conspirent Ephorus (A[1]) et Sylloge (S), putave (cf. var. 2. 8. 9), sed particulae γέ et τέ, adeo post ἐξ οὗ, eti intra eiusdem formae fines commutari potuerunt. Sic in imitatio huius epigrammatis formae A[1] (cf. v. 2 τοιάνδε coll. var. 7 A[1] τοιοῦ < A[2] κάλλιον), quae legitur in Columna Xanthia non γέ est, sed

ἐ]ξ οὗ τ' Εὐρώπην Ἀσίας δίχα πόν[τ]ος ἔνεμ[ε]ν,
ο]ὐδές πω Λυκίων στήλην το(ι)άνδε ἀνέθηκ(ε)ν κτλ.

Difficile dictu est, quid poeta epigrammatis dedisse censendus s

39) Locus Il. *Y* 358 a Stadtmüllero comparatus ad lectionem ἐφέπει tuend fortasse eius originem explicare potest (cf. § 139).

40) De Collectoris mutationum ratione atque indole vid. § 138 sq.

Fieri potest, ut voluerit ἐξ οὗ . . . . οὔπω — cuius apud scriptores usus exempla afferre supersedeo — atque iungi τέ cum sequenti καί; intellegi quoque potest ἐξ οὗ τε cum eo τέ, quod grammatici vocant παραπληρωματικόν, quod legitur Aesch. Pers. 762, Eum. 25 — utrobique Porson iniuria scripsit ἐξ οὗ γε —; denique ἐξ οὗ γε, quod e. g. extat Ar. Acharn. 628, in quo particula γέ, ut in ὅτε γε, ἐπεί γε, πρίν γε, ἔγωγε vim addit voculae praecedenti. Prima ratio mihi maxime arridet, ut hanc voluisse poetam mihi persuadeam. Imitator Xanthius altera parte sententiae dimissa facile τέ post ἐξ οὗ — quo etiam usus est imitator Atheniensis — retinere potuit, quoniam ἐξ οὗ τε formula esset usitata [41]). Itaque formae A¹ τέ attribuamus: Collector ex Ephoro [42]) retinuit γέ.

Comparanti formam A³ cum forma A² apparet lectiones ab Aristide invectas eas esse, quae facile epigramma neglegenter ex tempore [43]) laudanti excidere potuerint. Componendae sunt mutationes ἔκρινε, οὐδένι, ὁμοῦ (pro ἔνειμε, οὐδέν, ἅμα) cum ἐννέα in ep. 90 pro εἴκοσι dato. Idcirco ab eo in sententiam Ἀσὶς ὑπ' αὐτῷ . . . . κράτει πολέμου πληγεῖσα [44]) lectionem ὑπ' αὐτῶν illatam esse putaverim. Imprimis autem apparet, quid tribuendum sit lectioni ἐν γαίῃ (pro ἐν Κύπρῳ), a qua magnam partem pendet epigrammatis interpretatio. Aristides navale ac terrestre Eurymedontium proelium saepius effert laudibus, ut vix mirandum sit, quod invito ei ex locutione ἐν Κύπρῳ evaserit ἐν γαίῃ, quae notioni ἐν πελάγει apte opponi videbatur; quo praeterea duxit oppositio in versu praecedenti ἐν ἠπείρῳ atque κατὰ πόντον. Conferantur loci de IV vir. 209: ἐπὶ δὲ Εὐρυμέδοντι ποταμῷ ναυμαχίας καὶ πεζομαχίας μνημεῖα ἔστησεν ἀμφότερα ἡμέρᾳ μιᾷ νικῶν, atque Panath. 246: ἤδη δὲ καὶ δύο τρόπαια εἰς μίαν ἡμέραν ἦλθε καὶ ναυμαχία πεζομαχίᾳ παρισώθη [45]).

---

41) Benndorf p. 114 (cf. § 122, 2a) poetae tantum neglegentiam agnovit: 'in v. 1 ist τέ, dem in der benutzten Vorlage ein καί entsprach, allein beibehalten'.

42) Collector ita officio functus esse videtur, ut in Ephoreum textum insigniores tantum varietates formae A² reciperet. Sic explicatur, quod integrum reliquit particulam γέ, quamquam A² habebat τέ.


43) Redit enim ep. in iisdem lectionibus in or. de IV viris. Dedit Ar. carmen tale, quale in eius memoria haerebat.

44) Formam, quam primariam (A¹) esse vidimus, optime explicari posse contra innumerabiles virorum doctorum coniecturas iure contendit Schwartz p. 117 n. 8; ὑπ' αὐτῷ enim iungendum est cum κράτει. Distichon ipsum suggessisse poetae Aeschylum Pers. 548 docuit Kaibel Fl. Jb. 105. 1872 p. 799.

45) Huius epigrammatis textus ita edi solet, ut lectiones ex omnibus formis corradantur evadatque epigrammatis forma, quae nusquam invenitur. Fuerunt quoque viri docti (Keil Herm. 20 p. 344, Preger 269, Sitzler Burs. Jb. 92. 1897

Sequitur tabula, in qua huius epigrammatis testimonioru cognatio proponitur. In iis etiam ratio habita est formae A quam exhibet Arsenius p. 329 W., ex A[1] (Diodoro) et A[3] (Scho Ar. vel Apostolio) contaminatae (§ 118) ita, ut tres lection (var. 1. 9. 10) ex Diodoro, ceterae ex A[3] receptae sint. De nomi Simonidis traditioni A[1] in Scholiis Aristideis ex Cor. Mel. adiec dixi § 57 (in tab. usus sum signo ∾). Schwartzium, qui Hern 35. 120, approbante Wilamowitzio (Gr. Lesebuch Text. p. 147 n. 1: Erläut. p. 104), formam epigrammatis primariam ex duobus tantu distichis prioribus constitisse arbitratus sit, qua de causa erravis putem, exponam in parte huius commentationis altera, ubi quoq omnium quinque formarum lectiones componendas curabo. Keiliu autem Herm. 20. 347 contendentem neutram inscriptionem (vi p. 106) nostri epigrammatis esse imitationem, sed epigrammat deperditi, quod etiam secutus esset nostri epigrammatis auctor, v lectionum formarumque ratione refutari dixerim (cf. § 122, 2*b*)[46]

Σ significat auctoritatem Simonideam adiectam; distrac expressa sunt, quae extant, testimonia.



---

p. 135), qui arbitrarentur interpolatorem aliquem cum in Diodoro tum Anth. Pal. substituisse lectionem ἐν Κύπρῳ pro ea, quam genuinam putare ἐν γαίῃ. Vid. praeterea ann. seq.

46) Interpretanti hoc carmen scilicet proficiscendum est a forma Diodorea (A quod nemo fecit nisi Ed. Meyer atque Ed. Schwartz. Imprimis tenendum lectionem ἐν Κύπρῳ esse genuinam. Vid. ann. praeced.

§ 61. *De ceteris epigrammatis apud Aristidem obviis.* Ep. 97 Corinthium, quod cum in trad. A (quae ex Corinthiorum apologia per Ephorum in Plutarchi lib. d. H. m. 39 manavit, cf. § 29) tum in trad. S (ex Ephoro integrum a Collectore desumptum, AP. VII. 250 Simonidis nomine orn.) hoc uno disticho absolvitur:

ἀκμᾶς ἑστακυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν
ταῖς αὑτῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι,

id apud Aristidem duorum distichorum additamento adauctum est (primo disticho in dialectum Ionicam converso):

δουλοσύνης· Πέρσαις δὲ περὶ φρεσὶ πήματα πάντα
ἥψαμεν, ἀργαλέης μνήματα ναυμαχίης.
ὀστέα δ' ἧμιν ἔχει Σαλαμίς· πατρὶς δὲ Κόρινθος
ἀντ' εὐεργεσίης μνῆμ' ἐπέθηκε τόδε.

Vel epigrammatis traditionis historia docet formam Aristideam esse recentiorem; errant ergo, qui Plutarchum atque Anthologiam epigramma duobus distichis decurtatum laudare putent [47]). Adde quod talia supplementa in epigrammatis per se paulo obscurioribus haud sunt insolita [48]). Huius panni autem non eadem est ratio atque eius, quem gemello epigrammati 96:

ὦ ξένε, εὔυδρον ποτ' ἐναίομεν ἄστυ Κορίνθου
νῦν δ' ἄμ' Αἴαντος νᾶσος ἔχει Σαλαμίς

assutum esse vidimus (§ 34):

ἐνθάδε Φοινίσσας νῆας καὶ Πέρσας ἑλόντες
καὶ Μήδους ἱερὰν Ἑλλάδα ῥυσάμεθα.

Hoc enim augmentum Corinthiacum est, illud autem postea a rhetore nescio quo affictum est [49]). Iam videte, quali et quam arto vinculo haec additamenta epigrammataque ipsa inter se cohaereant. Materies appendicis epigrammatis 96 petita est ex gemelli nostri 97 forma genuina (§ 34); huius epigrammatis versuum subditiciorum auctor rursus ep. 96 adhibuit [50]). Proclive ei erat annectere suos versus miseros nitido carmini primario ita, ut cum verbo *ῥύεσθαι*

---

[47]) Bergk, Hauvette, Sitzler Burs. Jb. 104. 1900 p. 131, Stadtmüller. — Preger posteriora disticha sane reiecit, sed ipse novum alterum distichon finxit.

[48]) Vid. Wilhelmi atque Bormanni scriptiones. Cf. ep. 107 § 137 n. 8. Huc non referendum est ep. 150, cf. § 91.

[49]) Schwartzium iniuria huius epigrammatis additamentum Corintho oriundum putavisse iam monui § 29 n. 25 coll. § 34. — Fieri potest, ut Aristides ipse pro eius auctore habendus sit, cf. or. 26. 331 p. 515 Dind., ubi et epigramma (Preg. 137) laudat, quod in donario Aesculapio dedicato inscribendum ipse condidit, et fragmentum epigrammatis, quod prius huic donario destinaverat.

[50]) Ep. 97 praeterea usurpatum est ab auctore ep. Corinthiaci 98 (cf. § 139), quod rursus imitati sunt auctores ep. Pepli 13 (cf. § 123) et ep. Sim. 108 (Mnasalcas, cf. § 128).

genetivum δουλοσύνης coniungeret, quoniam haec locutio in po(epigrammatica (cf. epp. 101, 139, AP. XIII. 4) haud insolita er‹

Ep. 91 v. 2 in codicibus Aristideis non, ut oportet, legit τέτορες, sed τέτταρες (ASQT), τέσσαρες (U). Librarii potius err quam Aristidis neglegentia agnoscenda videtur.

Consulto Aristides neglegenter exhibuisse videtur epp. 104 132, quorum tantum fragmenta laudavit. Notissimi epigramma 132 sesquiversui addidit οἶμαι λέγει τὸ ἐπίγραμμα, ut inepte loq solent rhetores isti [51]). Ep. 104 totum ad nostram notitiam n(pervenit.

Epigrammatis 138 fragmenta duo laudat rhetor de IV vir. 234 I dicit enim magis Miltiadem quam Pausaniam decuisse ἐπιγράφι ὅτι 'στρατὸν ὤλεσε Μήδων' .... καί τό γε τούτου πρότερ τὸ 'Ἑλλήνων ἀρχηγὸς' ἀκριβῶς ἥρμοττεν αὐτῷ κτλ. Respicit traditio epigrammatis A, nam S et formas Doricas habet et ὤλεσ cf. § 138 et 139 n. 11.

§ 62. *De Aristidis fontibus.* Quamquam Aristidem sex i epigrammata ut Simonidea afferre noluisse apparuit, tamen dixe quis fieri posse, ut ex Simonidea Sylloge (vel Corona Meleagre ea petiverit. Quam opinionem reprobant epigrammatum 142 et textus, quos a traditione S magnopere abhorrere vidimus. Neq ex aliqua epigrammatum collectione hausta esse videntur [52]), cu Aristidem epp. 90 et 142 ex tempore laudasse apparuerit ex te tibus temere commutatis. Restat igitur, ut rhetorem ex scriptorib ea recordatum esse nobis persuadeamus. Ep. 91 et 132 Herodc deberi possunt, ep. 90 ad scriptorem historicum recurrere iam vi(mus (§ 59). Historicum fontem digito monstrare possumus, ubi IV viris 234 D. respicit Pausaniae epigramma 132 (cf. § 61 fin.), s Thucydidem (cf. § 43), atque ubi Panath. 240 D. (cf. § 57) allude videtur ad inscriptionem (ep. 140) arae post pugnam Plataeens(

---

51) Victoriae, quam Athenienses ex Boeotis Chalcidensibusque consecuti si quamque hoc celebrat ep., Aristides ipse memor est Panath. 120 p. 195 D. quem locum scholion extat (ex cod. D p. 119 Dind., p. 46 Fr., legitur quo(in Leidensi), quod ex Herod. V. 77 enarrat Atheniensium res in illo bello gest Apud Fr. 351 eiusdem scholii fini accessit (ex cod. A) clausula οὕτως ἄγρ ἐν ἐπιγράμματι ἐπὶ τῷ τεθρίππῳ, quam ad pristinam scholii formam non p tinere manifestum est. Magistellus, qui haec verba ascripsit, lectores non voluisse videtur apud Herodotum etiam sermonem esse de epigrammate qua(garum crepidini insculpto. Quid illud ἄγρων sibi velit, ex quo quondam nov resuscitavit poetam Agronem Bergk (cf. Stein ad Her. l.l., Kirchhoff CIA. 33 nondum extricatum est. Bergk postea verbum esse compendium, quod e.g. ἀνέγνων aut ἔγνωμεν solvendum esset, intellexit. Multo melius Hiller coni(ἀναγράφοντες.

52) Cf. Wilamowitz p. 317 (supra § 55 laud.).

Iovi Liberatori dedicatae: (βωμὸς) *κοινὴν* ἔχων παράκλησιν εἴς τε ὁμόνοιαν καὶ τὸ τῶν βαρβάρων καταφρονεῖν. Epigramma (idque in textu A, cf. v. 2(3) ἐλεύθερον Ἑλλάδι *κοινόν*, qui locus in S sic praebetur: ἐ. Ἑ. *κόσμον*)[53]) invenerat Aristides apud Plutarchum Arist. 19, quo fonte saepius eum usum esse constat (cf. Busolt II². 630).

At, quaesiverit quis, nonne ep. 146, quod Simonidem αὐτὸν εἰς ἑαυτὸν condidisse Aristides affirmat, testari videtur rhetorem cognitam habuisse Simonideorum epigrammatum collectionem? Non opinor. Nam in propatulo est Simonidis auctoritatem ascitam atque effectam esse ex disticho ipso [54]). Neque documento afferri potest locus de IV viris 215 D.: καίτοι τοῦτό ἐστιν ἐγγυτέρω θρήνου τινὸς ἢ μέμψεως καὶ τιμῶντος μᾶλλον ἢ κακίζοντος, ὥσπερ *οὓς Σιμωνίδης* εἰώθει *τιμᾶν ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν* [55]), qui recurrere videtur ad locum Aristoteleum Rhet. 1. 9. 31 supra § 37 tractatum, cf. § 132 [56]).

§ 63. *De condicione inter Aristidem eiusque Scholia.* Qui fieri potuerit, ut in Scholiis epp. 97 (in omnibus codd.) et 90 (in uno cod. nec primario) praeberentur in ea forma, quae ab Aristidea diversa est, facile expeditur. Inter orationem de paraphthegmate atque Scholia orationum Panath. et de IV viris ne minimum quidem extat vinculum. In scholis eae tantum orationes legi tractarique solebant, quibus gloria Atheniensium aut philosophia illustrabatur. In eis solis vires periclitabantur commentatores, ceterae orationes tantum non omnes neglegebantur. Scholiasta orationum Panathenaicae et de IV viris seriem Aristideam epigrammatum sex conclamatam ne novit quidem. Unum tantum epigramma ex illis (142) cognitum habebat, id vero ex or. de IV viris; quod ex Meleagrea Corona Simonidis auctoritate instruxit.

10. HERODIANUS.

§ 64. *De Meleagrea Corona Herodiani fonte.* Legitur apud Herodianum π. μον. λεξ. II. 950, 14 L.: ἦν. οὐδὲν ῥῆμα ὁριστικὸν

---

53) De textus A difficultate et de Aristidea paraphrasi cf. § 137, 3 et n. 2.

54) Distichon, quod ne Aristides quidem *epigramma* esse dicit, scilicet ex ep. 147 formatum est, quod iam recte vidit Kaibel p. 454 (cf. Wilam. p. 319). Bergk contra choregicum ep. subditicium esse mire iudicavit.

55) Ad hunc locum scholion p. 533 Dind. p. 201 Fr. extat de Simonidis somnio, quod excripsi § 58.

56) Hac in disputatione non attuli, quod epigrammatis 142 auctor de IV viris 209 D. indefinito pronomine τις indicatur. Nam res si ita ferret, rhetorem consilio neglegentia usum esse putaveris (cf. n. 17).

ἑνικὸν πρῶτον πρόσωπον κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ὁρᾶται πρὸ πρόσωπον ἑνικοῦ καὶ τρίτον ἑνικοῦ καὶ πρῶτον καὶ τρίτον πληθ τικοῦ, ὅτι μὴ μόνον τὸ ἦν. ἦν γὰρ ἐγὼ Ἀττικοὶ λέγουσι καὶ ἐκεῖνος· καὶ πληθυντικῶς Σιμωνίδης ἐπὶ τοῦ πρώτου προσώπ ὡς καὶ ἐν ἐπιγράμμασιν (ep. 165)· *'ἦν ἑκατὸν φιάλαι, σφίσιν' ἀντὶ γὰρ τοῦ ἦμεν ἦν.* Fons Herodiani, opinor, indi potest comparata glossa Stephani Byzantii *Ἀκαμάντιον*, quam Herodianum recurrere demonstravit Lentz (qui de Herodiano phani fonte disputavit I p. CXXXVI sqq.) quamque restituit Cathol. Prosod. capitis quarti canonem, qui inscribitur *τὰ εἰς πολυσύλλαβα ν πρὸ τοῦ τ ἔχοντα μὴ παρακείμενα τοῖς εἰς ὀξύνεται* (p. 104, 32): *λέγεται δὲ Ἀκαμαντίς ὡς Βυζαντίς, οὗ ἐκαλεῖτο ἡ Κύπρος. Παρθένιος δ' ἐν Ἀφροδίτῃ Ἀκαμαντίδα αἰ φησιν· ἐκαλεῖτο καὶ φυλὴ Ἀκαμαντίς τῆς Ἀττικῆς, ὡς Σιμ νίδης.* Quodsi recte viderunt viri docti Stephanum (Herodiani spectare versum primum (*πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος χοροῖσιν Ὧραι κτλ.*) epigrammatis 148, quod AP. XIII. 28 ti ambiguo *Βακχυλίδου ἢ Σιμωνίδου* ornatum est [57]), alter acquirimus Simonideum ab Herodiano laudatum; quod ex eo fonte haustum esse atque ep. 165 probabile est. Quoniam iam se consentaneum est grammaticum in Graecae dictionis exem eligendis usum esse, quod ad epigrammata attinet, epigr matum collectione, Simonidea duo ex corollario quodam pe esse videntur, in quo complura epigrammata poetae nostro a buta legerentur. Cum autem ep. 148 in Sylloge Simonidea i non lectum esse doceat titulus dubius (cf. § 96), constituend est collectionem adhibitam ab Herodiano fuisse Coronam Me gri [58]). Qui ex quo fonte arcessiverit ep. 148 — quod ex Cor transiit in Anthologiam —, exponetur l.l. Ep. 165 utrun Meleagro ex Sylloge petitum sit an perperam in Corona adep sit Simonideam auctoritatem, dirimi vetat epigrammatis mis condicio. *[De duobus epigrammatis Callimacheis (Καλλίμαχο ἐπιγράμμασιν) ab Herodiano (Steph. Byz.) laudatis, quor alterum etiam adest in AP., videant lectores addendum].*

---

57) Schneidewin p. 195, Bergk, alii. Herodianum poetam epigrammatograp notiorem elegisse putaveris, Schneidewin enim iniuria arbitratus est 'litem, q inscriptio codicis Palatini moveret, dirimere Stephanum'; Bergk contra Bac lidem poetam esse dixit. Hodie constat neutrum esse poetam, sed Antiger qui in carmine commemoretur (Wilamowitz Herm. 20. 62 sqq.).

58) Ex eadem Corona petitum videtur epigramma cuiusdam Philiada Thespienses, de quo dixi § 14 n. 23, Stephan. s. v. *Θέσπεια*, 'quem ex l Cathol. [libr. XI] hausisse demonstrat Iliac. Pros. *B* 498 [Herodian. II. 34, 25 Lentz ad I. 280, 18.

11. PAUSANIAS.

§ 65. *Demonstratur periegetam usum esse epigrammatum corollario* (*Mel. Cor.*). Epigrammata Simonidea, quae periegeta affert, si unice ex monumentis cognovisset, ea profecto poetae nomine non ornasset. Cum autem bis epigrammati, quod laudat, Simonidis auctoritatem adiungat, bis Simonidi epigramma, quod non profert, tribuat, constituendum est eum domi adversaria redigentem ad manum habuisse epigrammatum collectionem, ex qui annotationes suas suppleret.

Epigrammata, quorum textum exhibet Pausanias, sunt ep. 160, quod ascriptum vidit (X. 27. 4) a dextra parte picturae, qua Delphis Polygnotus Cnidiorum leschae parietem exornavisse traditur (*κατὰ τοῦτο τῆς γραφῆς καὶ ἐλεγεῖόν ἐστι τοῦ Σιμωνίδου*), atque ep. 152, quod Olympiae insculptum fuisse Philonis Corcyraei statuae dicitur (VI. 9. 9: *τούτῳ τῷ Φίλωνι Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους ἐλεγεῖον δεξιώτατον ἐποίησε*). Cum ep. 160 etiam AP. IX. 700 Simonidi attributum legatur, probabile est Pausaniam adhibuisse collectionem epigrammatum cum AP. cognatam. Quae accuratius definietur examinatis iis locis, ubi Simonidi attribuuntur epigrammata ipsa non laudata.

Disserit periegeta III. 8. 2 de Archidami filia Cynisca, quae prima omnium feminarum equos aluit et Olympiae victoriam reportavit. Cui memoriae hanc adiungit animadversionem: *ὅτι γὰρ μὴ τῇ Κυνίσκᾳ τὸ ἐπίγραμμα ἐποίησεν ὅστις δή, καὶ ἔτι πρότερον Παυσανίᾳ τὸ ἐπὶ τῷ τρίποδι Σιμωνίδης* (ep. 138) *τῷ ἀναθέντι ἐς Δελφούς, ἄλλο γε παρὰ ἀνδρὸς ποιητοῦ Λακεδαιμονίων τοῖς βασιλεῦσιν οὐδέν ἐστιν ἐς μνήμην*. Epigrammatis 138 traditio omnis nobis est cognita (§ 138). Apud complures scriptores (Demosthenem [Apollodorum], Plutarchum, Aristidem, Aristodemum, Suidam, Apostolium), quos omnes ad Thucydidem I. 132 recurrere constat, ep. exhibetur sine auctoritate Simonidis atque in textu diverso ab eo, qui legitur AP. VI. 197 Simonidis nomine insignitus (trad. S). Fieri igitur non potest, quin nisus traditione S Pausanias Simonidis nomen huic epigrammati attribuerit. Eum autem illam non in Sylloge ipsa invenisse, sed in excerpto eius Coronae Meleagreae docet alterum epigramma (Cyniscae) ab eo respectum; quod ex eadem collectione arcessitum esse consentaneum est. Eius vero argumentum iam monet id in Sylloge Simonidea non affuisse. Quoniam Pausanias profitetur se poetae nomen ignorare (*ὅστις δή*), necesse est eum in collectione sua offendisse hoc epigramma insignitum

titulo ἀδέσποτον [59]). Quo revera ornatum extat carmen AP. XII 16 [60]). Itaque nullum est dubium, quin utrumque epigramn Pausanias legerit in Corona Meleagrea [61]). Tum autem concedendu est eum epp. 160 et 152, quorum illud iam ex collectione cum A cognata fluxisse vidimus, ex eadem hausisse Corona. Hoc ep. Cephala ex Corona non receptum est; quoniam aliunde non e cognitum, non constat id iam in Sylloge Simonidea affuisse. Illı autem Simonidis nomine destitutum, in eodem vero textu laudat apud Plut. de or. def. 436 b (§ 51) et Schol. Plat. Gorg. 448 (§ 78). His locis vestigia agnoscere mihi videor scriptionis, qua Collector inscriptionem tabulae Polygnoti anonymam petive (trad. A = S, cf. § 136 n. 1).

§ 66. *De Pausaniae neglegentia.* Quartus locus, ubi Simoni apud Pausaniam mentio fit, est IX. 2. 5: *κατὰ δὲ τὴν ἔσοδον μάλι τὴν ἐς Πλάταιαν τάφοι τῶν πρὸς Μήδους μαχεσαμένων εἰσί. τ μὲν οὖν λοιποῖς ἐστιν Ἕλλησι μνῆμα κοινόν· Λακεδαιμονίων δὲ Ἀθηναίων τοῖς πεσοῦσιν ἰδίᾳ τέ εἰσιν οἱ τάφοι, καὶ ἐλεγεῖά ἐ Σιμωνίδου γεγραμμένα ἐπ' αὐτοῖς. οὐ πόρρω δὲ ἀπὸ τοῦ κοι τῶν Ἑλλήνων Διός ἐστιν Ἐλευθερίου βωμός κτλ.* Nulla profe esset causa, cur negaremus Pausaniae in Corona praesto fui epigrammata. nunc deperdita sepulcrorum Atheniensium Laced moniorumque, qui in pugna Plataeensi ceciderunt, eaque Sin nidis nomine praedita, nisi in eadem Corona legeretur Simon attributum epigramma, quod inscriptum fuisse traditur monume a Pausania mox commemorato: ep. 140 volo, quod arae Io Liberatoris insculptum AP. VI. 50 legitur in trad. S, anonym autem et in textu valde diverso (A) ex Ephoro propagatum bis ap Plutarchum (Ar. 19, d. H. m. 42, cf. §§ 50; 137,3) servat est. Difficultas facile expeditur, si cum Wilamowitzio (p. 313 n. Pausaniam, qua sit neglegentia, ad sepulcra nomen poetae tra tulisse putamus, quo in fonte eius (Cor. Mel.) arae epigram instrueretur [62]).

---

59) Quod a viris doctis non animadversum esse video. Hauvette mire p hoc Pausaniae silentium probare putat sequens epigramma procul dubio Simonidis.

60) Cyniscae epigramma marmori inscriptum a. 1879 Olympiae repertum (Hoffmann Syll. 381). Quod casu quodam non annotaverunt Bl.—H. ad l loc. laud.

61) Hoc igitur libri AP. XIII ep., sicut epp. Callimachi XIII. 25 (§ 5 XIII. 7 (§ 64), iam in *fontibus* Cephalae legebatur. Qua re utar in quaest de huius libri Anthologiae Palatinae origine tractanda (§ 94).

62) Nimium Pausaniae tribuit Bergk, qui in epp. 99 atque 100 Simoni quae sepulcra ornassent, agnoscere voluit. Kaibel (p. 459 sq.) putat perieg 'deceptum esse incolarum rumoribus'.

Semel iterumque Pausanias neglexit opportunitatem Simonidea epigrammata afferendi, quae Corona ei suppeditare potuerat. Desideramus e.g. epp. Eurymedontiaca (105, 142) I. 29. 13 sqq., ep. Megarense (107) I. 43. 3.

12. POLLUX.

§ 67. *De Meleagri Corona a Polluce usurpata.* Epigramma Simonideum 130 in Lycadem Thessalam canem, quod Polluci (V. 47) acceptum referimus, non ex scriptione quadam grammatica, quae esse videtur Wilamowitzii Kaibeliique opinio [63], sed ex Corona Meleagrea traditum esse, haud difficile demonstratu est. Enumerantur cum aliorum canum celebrium nomina tum trium, quorum memoriam epigrammatis illustratam epitomator resecare noluit [64]. Celebratur Lethargus, qui cum Hippaemone domino eodem sepulcro conditus est, in epitaphio anonymo, quod AP. VII. 304 Pisandro tribuitur. Quod excipit Simonideum ep. 130 (Preg. 51): *ἔνδοξον δὲ καὶ Λυκάδα τὴν Θετταλὴν Σιμωνίδης ἐποίησε γράψας τουτὶ τοὐπίγραμμα ἐπὶ τῷ τάφῳ τῆς κυνός·* seq. ep. 130, cui denique adiungitur Anytes epigramma in Locridem canem (Pr. 52). Consentaneum est tria illa epp. Pollucem vel eius auctorem in eodem scriptore offendisse. Simonidis autem Anytesque epigrammata, in eodem versantia argumento, coniuncta inveniri non potuerunt nisi in Corona Meleagri, quem et alia epp. secundum argumentum composuisse constat (cf. § 89) et seriem epigrammatum in animalia mortua concinnasse testatur fragmentum Meleagreum AP. VII. 192, 203, 207—212 (ep. 211 Tymnae in *canem* Melitaeum; *Anytes* sunt epp. 202, 208, cf. 192, 215). Neutrum ep. a Cephala receptum est. Tertium ep. a Polluce allatum, quod a Favorino quoque in Corona Meleagrea lectum esse vidimus (§ 53), transiit in AP. VII. 304 [65]).

In originis inquisitione eadem norma nostrum ep. diiudicandum est atque ea, quae tantum in Corona affuisse constat; de Sylloge enim nihil scimus. Quod consulto moneo; quia me demonstrare posse confido hoc ep. Simmiae esse atque in Corona demum nominum haud multum diversorum confusione Simonidi esse attributum (vid. alt. h. c. p.).

---

63) Wilam. p. 322 n. 1: 'ep. 130 erhalten .... aus grammatischer Tradition'. Kaib. p. 453 celebrium canum enumerationem (atque epp.) ex auctore quodam desumptam esse putat ab Aristotelis aetate non admodum remoto.

64) Omittuntur epigrammata in codicibus BE, de quorum ratione cf. Bethe in prolegomenis pag. X.

65) Favorinus (= Ps.-Dio Chr. 37. 39) et Pollux (cf. Eudoc. 96) prius tantum distichon laudant idque anonymum.

13. ATHENAEUS.

§ 68. *De Chamaeleonte et de Callistrato.* Locus Athenae ad quaestionem Simonideam dirimendam gravissimus XIII. 573 c—574 b *Chamaeleontis* de ep. 137 testimonium ex libro de Pindar desumptum (fr. 16) continet. Demonstrare conatus sum §§ 30 sqq. Chamaeleontem adhibuisse duos scriptores Theopompum atque Timaeum, quorum huius traditionem (S) cum illius traditione (A) coniunxisset.

Chamaeleonti praeterea tria Athenaeus debet epigrammata eaque ex libro de Simonide hausta (ep. 171, Ath. XIV. 656 c, Cham. fr. 14 epp. 172, 173, Ath. X. 456 c—457 a, Cham. fr. 13). Reitzensteinium quamquam (p. 116 sqq.) recte demonstravisse mihi videtur e carmina — γρῖφοι sunt — non a Chamaeleonte esse conficta, se eo esse antiquiora, tamen nimis longe processisse puto dicenten petivisse ea grammaticum ex Sylloge Simonidea. Chamaeleo san paegnia illa ἐπιγράμματα vocaverat hominesque fuisse dixerat, qu ep. 173 antiquo in donario Chalcidensi inscriptum fuisse arbitrarentur. Quibus rebus nihil de carminum origine ex Sylloge Simonidea probatur. Quoniam autem epigrammata illa omnia cum fabuli de persona Simonidis coniuncta inveniantur, probabile est Chamaeleontem iam apud scriptores antiquiores carmina illa iisden narrationibus illustrata legisse. De 'dialogo aliquo Hieronis Xenophontei compari' cogitavit Crusius (Anth. Lyr. p. LXI). Ceteroqui Chamaeleontem numquam Syllogen Simonideam cognovisse probabile duco. Quamquam aetas eius (§ 31) non obstat, quominu eum ea usum esse censeamus, vereor tamen, ne primis quart saeculi decenniis ea non ita fuerit vulgata, ut in grammatic manus eam pervenisse verisimile sit.

Ep. 167, quod debet Athenaeus III. 125 c libro septimo *Callistrati Συμμίκτων,* etiam fabulam ex vita Simonidis eamque fabula epigrammatis 171 adiectae consimilem illustrat. Qua de causa sus piceris hunc quoque scriptorem non adiisse Syllogen Simonideam sed talem scriptionem, quali usus esse videatur Chamaeleo.

§ 69. *De Apione.* In coronarum nominum generumque enumeratione Athenaeus (XV. 680 d) ex *Apionis* libro περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆ διαλέκτου fragmentum servavit, in quo Simonideo epigrammate 17 (καθὼς ἐν τοῖς Σιμωνίδου ἐπιγράμμασιν ἰδεῖν ἔστιν) demonstrabatur apud antiquos coronam quoque χορωνὸν vocatam esse Si revera carmen ab Apione laudatum epigrammatis speciem pra se ferret, in promptu esset ex hoc diserto testimonio deducei Apionem Syllogen epigrammatum Simonideorum vel eius excerptu cognovisse. At versus *Φοῖβον, ὃς ἀγεῖται* (corr. Wil., *Φοῖβος εσ*

γειται cod.) < τοῖς Bgk. > Τυνδαρίδησιν ἀοιδᾶς, | ἁμέτεροι (sic Hartung, ἀοιδησαναμετροι cod.) τέττιγες ἐπεστέψαντο χορωνῷ ita sunt obscuri, ut γριφώδεις esse mihi videantur collatis carminibus supra laudatis 171, 172, 173, quae quoque *epigrammata* Simonidis appellari vidimus. Apio versus ex scriptore antiquiore receptos ibique pro epigrammate Simonideo habitos grandiloquus ita laudavit, ut eos in Simonideorum epigrammatum collectione legisse videretur. Hoc quoque fragmentum, ut ea, quae ex Chamaeleonte atque Callistrato fluxerunt, cum narratione eiusmodi, qualibus Simonidis vitam exornare solebant homines rerum fabulosarum curiosi, coniunctum fuisse putaveris.

§ 70. *De Thrasymacho.* Ep. 169 (in Timocreontem Rhodium) sine Simonidis nomine, quo instructum extat AP. VII. 348, apud Athenaeum laudatur X. 415 f. Ibi huic epigrammati fontis nomen non ita adiungitur, ut statim in oculos incurrat. Quapropter viri docti Athenaei auctorem indicare non solent [66]. Quis autem fuerit, demonstrare, opinor, non difficile est. Sermo est de hominibus voracibus. Postquam ex Nicolao Damasceno (fr. 77, FHG. III. 415) de Mithridate Ponti rege attulit exemplum, pergit: *καὶ Τιμοκρέων δ' ὁ Ῥόδιος ποιητὴς καὶ ἀθλητὴς πένταθλος ἅδην ἔφαγε καὶ ἔπιεν ὡς τὸ ἐπὶ τοῦ τάφου αὐτοῦ ἐπίγραμμα δηλοῖ·* seq. ep. 169, quae verba excipit eiusdem Timocreontis ἀδηφαγίας exemplum petitum ex *Thrasymacho* Chalcedonio (fr. 3, OA. II. 246). Putasne Thrasymachum narrationem illam praebuisse mentione nulla facta epigrammatis notissimi, *quod apud Athenaeum praecedat*? Nonne praeterea mirum est, quod Athenaeus huic fragmento poetico voracitatem illustranti fontis nomen adicere non videtur, quo nullum ex ceteris exemplis caret?

Apud Thrasymachum, ei enim Athenaeum sua debere confidenter affirmari licet, nondum ergo hoc epigramma coniunctum erat cum persona Simonidis [67], quem id propter inimicitias in Timocreontem iecisse credebant posteri. A quo carmen Simonidi attributum sit, latere nequit. Servatum enim est Simonidis auctoritate instructum in Anthologia Palatina. *Collector* scilicet, quippe cui fama de

---

66) Reitzenstein p. 119 tantum: 'der alte Gewährsmann, aus welchem Ath. citiert'; Kirchhoff Herm. 11. 1876 p. 46, quamquam iure negavit quicquam epigramma cum Simonide habere commune Thrasymachique fragmentum excripsit, de Posidippo auctore cogitavit. Cf. Preg. 253.

67) Subvertitur igitur Reitzensteinii ratio scribentis (p. 119): 'die fingierte Aufschrift auf das Grab des Rhodiers Tim. . . . . kann nur in mündlicher Tradition erhalten und so in die Sammlung der Simonidea gekommen sein', atque Baueri Themistokles p. 12 n. 4, qui suspicatus est narrationem de poetarum discordiis ex nostro epigrammate esse derivatam.

poetarum inimicitiis haud ignota esset, hoc epigramma sive apud Thrasymachum sive apud alium scriptorem, qui eandem praebeba Timocreonteae voracitatis narrationem, offensum Simonidi accen sere non dubitavit. Epigrammatis traditiones A et S prorsu conveniunt. Nam rationem discrepantiae, quae est v. 2 inte Athenaeum (ἀνθρώπους) atque Anth. Pal. (ἀνθρώποις), ostendi Planudes, qui cum Athenaeo consentit. Ergo librarii errore ort est Anthologiae Palatinae lectio. Participiorum autem πιὼν atqu φαγὼν ordo idem est apud Ath. (A) et in AP. (S); Bergkio Preger Hauvettio igitur Planudem, qui ordinem inversum praebet [68]) sequi non licuit.

§ 71. *De ep. Preg. 189.* Praeter epigrammata in paragraphi praecedentibus laudata apud Athenaeum legitur XIII. 591 a epi gramma, quod Cupidini suo inscripsisse narratur Praxiteles (Preg 189; a Bergkio peculiari numero p. 515 non insignitum), quodqu et in textu diverso (v. 3 Ath. *βάλλω*, Pl. *τίκτω*; v. 4 Ath. *οὐκέτι διστεύων*, Pl. *οὐκέτι τοξεύων*) et Simonidi attributum invenitu Anth. Plan. IV^a. 12. 52 (app. Plan. 204). Argumentum epigrammati iam docet eum errare, qui putet illic traditionem A, hic S praeberi Nomen Simonidis errore nescio quo in Anthologia accessit; lectic num autem discrepantia aliam explicationem habere videtur. Eader condicio extat inter textum epigrammatis 185 b (in Colossur Rhodium) apud Strabonem servatum et eiusdem epigrammati textum Anthologiae Planudeae (cf. § 47). Huius epigrammatis textu Planudeus a Straboniano diversus, nomine vero Simonideo caren iam legitur apud duos scriptores Byzantinos, cf. §§ 114, 119 [69] Necessarium igitur non esse videtur perquirere, quo fonte usu sit Athenaeus.

14. DIOGENES LAERTIUS.

§ 72. *De Corona Meleagrea a Diogene Laertio adhibit* Unum tantum epigramma Simonideum (157) a Diogene Laerti laudatum comparet in collectionibus epigrammatum Simonideoru vulgaribus, cum duo ad quaestionem Simonideam illustrandam mult graviora neglegi soleant. De illo, quod omnes afferunt, epigramma primum videamus. Vitae Arcesilai more suo subiungit Diogen

---

[68]) Propter epigrammatis sequentis AP. VII. 349 exordium *βαιὰ φαγὼν κ βαιὰ πιών*, cf. § 108.

[69]) Haec est causa, cur nostrum quoque ep. anonymum Planudi traditu esse putem. Aliter de hac re iudicat Stadtmüller, qui comiter mihi per litter significavit apud Planudem nomen *Σιμωνίδου* ex *Σιμίου ῥοδίου* sibi corruptu esse videri.

homonymorum indicem IV. 45: *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀρκεσίλαοι· ποιητὴς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἄλλος ἐλεγείας, ἕτερος ἀγαλματοποιός· εἰς ὃν καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν ἐπίγραμμα τουτί·* seq. ep. 157. *Artificis* mentio docet [70]) huius nomen non una cum utroque poeta cognomine fluxisse (per Favorinum) ex Demetrii Magnetis libro *περὶ τῶν ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων*, sed ex Antigono Carystio [71]). Qui tamen epigramma adiecisse censendus non est. Nam itidem epigramma (Callimachi, AP. VII. 80) insertum est homonymorum indici, qui sine dubio debetur uni Demetrio, sc. Heraclitorum (D.L. IX. 17). Verisimile ergo est additum esse huic seriei Callimacheum, illi Simonideum ep. a Diogene ipso, quippe qui tot epigrammatis larga manu opus consperserit. Usus esse videtur epigrammatum quadam collectione; qua ceteroquin non caruisse consentaneum est Pammetri [72]) auctorem. Quoniam in Vitis praeter complura anonyma laudantur epigrammata Callimachi (l.l. et VII. 89), Platonis (III. 30 sqq., vid. § 74), Antagorae (IV. 21), Simonidis (l.l.), Antipatri Sidonii (VII. 29), Theaeteti (VIII. 48) [73]), quorum omnium carmina adsint in Corona Meleagrea, probabile est Diogenem ad manum habuisse *Coronam Meleagream*. Quae suspicio infra confirmabitur, cum demonstravero Diogenem cognovisse Simonideorum epigrammatum traditionem S. In epigrammatis 157 origine constituenda tenendum est fieri posse, ut Simonidea auctoritas errore quodam epigrammati in Corona Meleagrea accesserit (cf. § 67 fin.).

§ 73. *De condicione, quae sit inter epp. cum apud D. L., tum in AP. obvia.* Quod Diogenes Laertius complura epigrammata, quae laudat, ex Corona Meleagri petivisse videtur, id cum ad condicionem, quae sit inter epigrammata Diogeni cum Anthologia Palatina communia, recte aestimandam tum ad ceterorum epigram-

---

70) Cf. Wilamowitz Antigon. Car. p. 9 sq. Diog. Laert. I. 79: *γέγονε δὲ καὶ ἕτερος Πίττακος νομοθέτης, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονευμάτων α´ καὶ Δημήτριος ἐν ὁμωνύμοις, ὃς καὶ μικρὸς προσηγορεύθη.*

71) Wilamowitz Ant. Car. p. 10. Cf. D. L. in *ὁμωνύμων* enumeratione II. 15 Anaxagoras, IX. 49 Democritus uterque *ἀνδριαντοποιός, οὗ μέμνηται Ἀντίγονος.*

72) D. L. I. 63: *ἡ Πάμμετρος ἔνθα καὶ περὶ πάντων τελευτησάντων ἐλλογίμων διείλεγμαι παντὶ μέτρῳ καὶ ῥυθμῷ, ἐπιγράμμασι καὶ μέλεσιν.* Cf. Weisshäupl, Grabged. der gr. Anth. (Abh. arch.-epigr. Sem. Wien VII), 1889 p. 34 n. 1.

73) Ex Corona non est Athenaeus poeta epigrammaticus (cf. PW.—RE. II. 2024, 62), quem unius Diogenis memoria novimus: VI. 14 = VII. 30 (*ἄδηλον* AP. IX. 496) commemoratur eius ep. in Stoicos, X. 12 ep. in Epicureos. Ex Diogene, opinor, cognitum eum inter epigrammaticos poetas refert Is. Tzetzes in Proleg. ad Lycophr.

matum apud Diogenem obviorum rationem rite intellegendam hau parum usui est.

Epigrammata, quae Diogenes laudat, ex tribus fontibus diversi hausta sunt:

1. ex Pammetro Diogeniano;
2. ex Corona Meleagrea;
3. ex scriptoribus (sic e.g. D. L. I. 120 ep. Preg. 251 in Phe recydem ex Duride [AP. VII. 93]).

Fieri igitur potest, ut Diogeni epigramma aliquod et in Coron et apud scriptorem aliquem praesto fuerit. Cuius rei exemplu habebis in Simonideis (§ 75).

Epigrammatis autem in Vitis [74] obviis accidit, ut rursu maximam partem a Cephala in Anthologiam transferrentur. Con plura igitur epigrammata bis praesto erant Cephalae: et apu Diogenem et in fonte suo primario Corona Meleagrea [75]. Sedul autem cavit [76], ne idem epigramma ex utroque fonte recipere Unicum ep., quod bis legitur (AP. VII. 86 = IX. 595*), utrobiq ex Diogene receptum est [77]. Epigrammatum autem, quae Dioge cum Cephala communia sunt, non semper eadem est ratio; num quod plerumque usu venit, ep. ex Vitis receptum esse docet loc

---

74) Errasse p. 37 Weisshäuplium, cum putaret Cephalam in ordine Laertia principali AP. VII. 83—130 componendo Vitis non usum esse, hodie, opin constat. Quod enim in hac serie (in libro epp. *sepulcr.*), in qua epp. sese eode fere ordine excipiunt, quo in Vitis leguntur, etiam donativa atque demonstr tiva epp. quaedam inveniuntur, sic explicatur, quod Cephalas sive non anima vertit se hic illic ep. a sepulcralibus alienum recipere sive epp. arte coniunc (cf. § 74 n. 83) disiungere noluit. Quae praeterea in huius seriei vicinia legunt epp. Laertianis quibusdam consimilia (e.g. epp. 81, 82, 130, 131, 134), ea iudice ex Corona Meleagrea manaverunt, ex qua etiam Laertiana illa (quaten non ipsius Diogenis sunt) in Diogenem pervenisse puto; maior enim huiusmo epigrammatum in Corona extitisse videtur ordo. — Quam accurate Cephal observare studuerit ordinem epigrammatum in Vitis obvium, apparet ex epigra matum Laertianorum Cephalanorumque comparatione a Weisshäuplio p. 35 s et a Stadtmüllero (lib. AP. VII tantum) II p. LX sqq. instituta. Attamen horum virorum d. tabulis videri nequit, quaenam epp. Laertiana a Cepha transmissa sint.

75) Eis, qui me in eo errare putent, quod Cephalam Meleagream Corona integram usurpasse censeo, res etiam notabilior videatur necesse est. Eteni tum fieri posse concedendum est, ut epigrammata aliquot antea ex Coro Meleagrea evanuerint, postea in eius excerptum redierint per Diogenem atq Cephalam.

76) Quamquam ceteroquin in epigrammatum iteratione evitanda non ta diligentem se praestitit, cf. § 89.

77) Utroque loco praecedit epigrammati in Chilonem (VII. 88 et IX. 59 cuius vita Solonis vitam consequitur.

in serie Laertiana [78]), nunc ep. ex Meleagrea Corona propagatum esse demonstrat locus in fragmento Meleagreo [79]).

Cum autem Cephalas non omnia epp. a Diogene laudata recipienda censeret et nonnumquam eadem epp. ex Meleagro omitteret, factum est, ut apud Diogenem ex Corona servata haberemus epp. quaedam, quae in fragmentis Meleagreis Cephalanis desunt. Ex his epigrammatis unum est Simonideum 157.

§ 74. *De epigrammatum Platonicorum serie Laertiana.* Ut accuratius, quae sit inter epp. Laertiana ac Cephalana condicio, exponam, tractabo eam seriem epigrammatum, quae apud Diogenem est maxima; quae praeterea in § seq. nobis in comparationem vocanda erit. Volo seriem epigrammatum Platonicorum III. 29: *Ἀρίστιππος δ' ἐν τῷ δ' περὶ παλαιᾶς τρυφῆς φησιν αὐτὸν* (sc. Platonem) *Ἀστέρος μειρακίου τινὸς ἀστρολογεῖν συνασκουμένου ἐρασθῆναι,* || *ἀλλὰ καὶ Δίωνος τοῦ προειρημένου. ἔνιοι δὲ καὶ Φαίδρου φασί·* || *δηλοῦν δὲ τὸν ἔρωτα αὐτοῦ τάδε τὰ ἐπιγράμματα* ||, *ἃ καὶ πρὸς αὐτοῦ γενέσθαι εἰς αὐτούς* || ·

(AP. VII. 669) *ἀστέρας εἰσαθρεῖς κτλ.* . . . . *a.* [80])
καὶ ἄλλο·

(AP. VII. 670) *ἀστὴρ πρὶν μὲν κτλ.* . . . . *b.*
|| § 30. *εἰς δὲ τὸν Δίωνα ὧδε·*

(AP. VII. 99) *δάκρυα μὲν Ἑκάβῃ κτλ.* . . . . *c.*
τοῦτο καὶ ἐπιγεγράφθαι φασὶν ἐν Συρακούσαις ἐπὶ τῷ τάφῳ. § 31. *ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀλέξιδος, φασίν, ἐρασθεὶς καὶ Φαίδρου, καθὰ προείρηται, τοῦτον ἐποίησε τὸν τρόπον·*

(AP. VII. 100) *νῦν ὅτε μηδὲν κτλ.* . . . . *d.* ||
ἔχειν τε Ἀρχεάνασσαν, εἰς ἣν καὶ αὐτὴν οὕτω ποιῆσαι·

(AP. VII. 217) *Ἀρχεάνασσαν ἔχω κτλ.* . . . . *e.* —
§ 32. *ἀλλὰ καὶ εἰς Ἀγάθωνα·*

(AP. V. 77) *τὴν ψυχὴν κτλ.* . . . . *f.*
καὶ ἄλλο·

(AP. V. 78) *τῷ μήλῳ βάλλω σε κτλ.* . . . . *g.*

---

78) Series maxima Laertiana est AP. VII. 80, 83—130, 133, minores sunt V. 78—80; VII. 57, 60—62; VII. 615—620; IX. 540, 569, 595* sq. Praeterea vid. Weissh. p. 37.

79) Si quis examinare cupit, 'ad quos Diogenis codices Palatinus proxime accedat' — quam in quaestionem Dielsium, virum clarissimum, inquisivisse monet Stadtmüller II p. LIX — eorum epigrammatum Anthologiae Palatinae atque Diogeni communium textus extra disquisitionem habendi sunt, quae unice ex Corona in Anthologiam manaverunt.

80) Litteris notanda erant epigrammata, quia praeter *c* = Pr. 235, *i* = Pr. 267 desunt apud Pregerum.

⟨καὶ ἄλλο·⟩

(AP. V. 79) *μῆλον ἐγώ· κτλ.* . . . . *h.*

§ 33. *φασὶ δὲ καὶ τὸ εἰς τοὺς Ἐρετριέας τοὺς σαγηνευθέντας αὐτοῦ εἶναι·*

(AP. VII. 259) *Εὐβοίης γένος κτλ.* . . . . *i.*

κἀκεῖνο·

(AP. IX. 39) *ἁ Κύπρις κτλ.* . . . . *k.*

καὶ ἄλλο·

(AP. IX. 44) *χρυσὸν ἀνὴρ κτλ.* . . . . *l.*

Duae quaestiones sunt solvendae prorsus diversae: 1) quibus fontibus *Diogenes* haec epp. undecim debeat; 2) ex quibus fontibus eadem epp. omnia a *Cephala* petita sint.

Videamus primum de Diogene. *Duos* eum adhibuisse fontes iam Stadtmüller perspexit. Hic. v.c. enim II p. LXXII arbitratur ps.-Aristippeo libro deberi septem (*a* - *c*, *e*—*h*) vel octo (*d*) epp., alii fonti, qui quoque exhibuerit ep. *d*, epp. *i*—*l*. Haec tria epp. Diogenem non ex eodem auctore petivisse atque ep. in Astera *a*, quod ex Ps.-Aristippo fluxisse certum est, vel eo perspicuum est, quod allatis, quae Platonis amores testantur, epigrammatis adiungere videtur eiusdem epp. in alio argumento versantia. Quae epp. igitur ad fontem epigrammaticum (Cor. Mel.) referenda sunt. Debemusne autem reliqua epp. omnia vel praeter *d* cum Stadtmüllero alteri fonti attribuere? Non opinor. Nam v.c. epigrammatum ordinem Laertianum turbatum esse atque ea verba, quae inde ab initio § 31 *ἀλλὰ μὴν* usque ad finem ep. *d* legantur, transponenda putat post ep. *h*; qua mutatione inde a *δηλοῦν* (§ 29) oritur oratio obliqua continua. Mihi ordo quam integerrimus videtur reputanti Diogenem solere alterius excerpti verba — nulla saepe sententiae constructionis habita ratione — in alterum inserere [81]). Pertexit enim in § 29—31 duas notitias diversas, alteram de Platonis in Astera, alteram de eius in Dionem et Phaedrum amore. Prior iam supra distracte expressa, altera lineolis inclusa est.

Ἀρίστιππος . . . . φησιν	
αὐτὸν . . . . Ἀστέρος	
ἐρασθῆναι, →	*ἀλλὰ καὶ Δίωνος τοῦ προειρημέ-*
↓	*νου. ἔνιοι δὲ καὶ Φαίδρου φασί.*
δηλοῦν δὲ	
ἐπιγράμματα ⟨·⟩ →	*, ἃ καὶ πρὸς αὐτοῦ γενέσθαι εἰς*
↓	*αὐτούς* (sc. in D. et Ph.)·
ἀστέρας κτλ. (ep. *a*)	

---

81) Cf. Wilamowitz Antig. Car. p. 48 sq. (et passim); Schwartz PW.—RE. V. 740: 'das Werk des D.L. ist eigentlich nichts als eine Haufe von Excerpten, die provisorisch und unordentlich zusammengeschrieben, in Umlauf gesetzt sind, ehe sie zu einem Buch auch nur leidlich abgerundet sind'.

καὶ ἄλλο·
ἀστὴρ κτλ. (ep. *b*) →
↓

εἰς δὲ τὸν Δίωνα ὧδε· ep. *c*. τοῦτο . . . . τάφῳ. ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀλέξιδος, φασίν, ἐρασθεὶς καὶ Φαίδρου, καθὰ προείρηται, τοῦτον ἐποίησε τὸν τρόπον· ep. *d* (quod est in Al. atque Ph.).

ἔχειν τε Ἀρχεάνασσαν, εἰς ἣν . . . . ποιῆσαι· Ἀρχεάνασσαν κτλ. (ep. *e*).

Ergo in libro περὶ παλαιᾶς τρυφῆς tantum commemorabantur Platonis in puerum Astera atque in puellam Archeanassam amores (φησίν . . . . ἐρασθῆναι . . . . δηλοῦν . . . . ἔχειν) epigrammataque eos illustrantia (*a*, *b*, *e*). Alius fons, procul dubio idem, cui debet tria ultima varii argumenti epigrammata Platonis (*i*—*l*), — ergo Corona Meleagrea —, Diogeni subministravit epp. in Dionem (*c*) et in Alexim atque Phaedrum (*d*). Ex eadem autem epigrammatum collectione petivisse eum probabile est tria epp. amatoria varia (*f*—*h*), quae prioribus quinque subiunguntur iis particulis (ἀλλὰ καί, cf. supra ἀλλὰ καὶ Δίωνος), quibus Diogenes uti solet, cum animadversionem praecedentem nova auget. Itaque Diogenes ex Corona hausit octo epp., cetera (*a*, *b*, *e*) ex Ps.-Aristippo.

Ex his undecim epigrammatis Cephalas, ut ad alteram quaestionem transeam, duo tantum in Laertianorum epigrammatum serie principali VII. 83—130 collocavit: epp. *c* et *d* = VII. 99 sq.; cetera per Anthologiam Palatinam leguntur dispersa: epp. *a* et *b* = VII. 669 sq.; ep. *e* = VII. 217; epp. *f*—*h* = V. 77 sqq.; ep. *i* = VII. 259; epp. *k* et *l* = IX. 39 et 44. Epp. *e* et *i* constat (cf. Stadtmüller II p. LXIII) in Anthologiam ex Corona Meleagrea propagata esse; nam utrumque legitur in fragmento Meleagreo, hoc in serie in viros fortes duorum tantum epigrammatum intervallo diremptum ab altero epigrammate Platonis in Eretrienses, illud in initio ordinis in mulieres Asclepiadi nec vero Platoni tributum idque in textu discrepanti a Laertiano (e.g. v. 2 D.L. ἕζετο δριμὺς ἔρως, Pal. ὁ γλυκὺς ἕζετ' ἔρως)[82]. Reliquae epigrammatum parvae series tres *a*—*b*, *f*—*h*, *k*—*l*, utrum a Cephala ex Vitis sumptae an ex Corona propagatae sint, dirimi nequit[83].

Sat autem erit epigrammatum, quorum origo constitui poterat,

---

82) *Platonis* quoque est Athen. XIII. 589 c ubi v. 2 πικρὸς ἔπεστιν ἔρως legitur. Carmen iure a Cephala sepulcralibus insertum esse, licet Aristippo Diogeni Athenaeo amatorium sit, docuit Stadtmüller ad AP. l.l. et p. LXXV.

83) Gemella epp. *a* et *b*, quorum alteri amatorio subiungitur alterum sepulcrale, Cephalam dirimere noluisse atque ideo utrumque in librum VII (sepulcr.) recepisse manifestum est (cf. § 73 n. 74). At, quaesiveris, cur haec epp. non

diversam condicionem observasse. Unum ep. (*i*) ex Corona Me agrea arcessitum est, cum a Diogene tum a Cephala; duo (*c*, ex Cor. a Diogene hausta Cephalas rursus in Anthologiam trai tulit; unum denique (*e*), quod scriptori Ps.-Aristippo debet D genes, ex Corona servatum est in AP. Huius epigrammatis condi eo est notabilior, quod prorsus consimilis est ratio epigramma alterius ex duobus illis Simonideis apud Diogenem obviis, qu nobis iam tractanda sunt. Simonidis enim est illud epigramma AP. ex Meleagrea Corona propagatum, alii poetae tribuitur alioq in textu praebetur apud Diogenem ex *scriptore* servatum idq ex eodem, cui Platonis (Asclepiadis AP.) epigramma eum debuis vidimus, sc. ex Ps.-Aristippi libro *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*.

§ 75. *De epigrammatis Empedocleis.* Duo Simonidea e grammata, quae ab editionibus vulgaribus procul sunt habita [8 leguntur in vita Empedoclea (VIII. 60 sqq.) ibique Empedo dicuntur alterum in Pausaniam medicum (fr. 156 Diels) alteri in medicum Acronem (fr. 157 D.).

Apud Diog. VIII. 60 (Diels, Poet. Philos. Fr. p. 77) legi prius epigramma: *ἦν δ' ὁ Παυσανίας, ὥς φησιν Ἀ ρ ί σ τ ι π π ο ς* : *Σ ά τ υ ρ ο ς* (fr. 12, FHG. III. 163), *ἐρώμενος αὐτοῦ* (sc. Em doclis), *ᾧ δὴ καὶ τὰ Περὶ φύσεως προσπεφώνηκεν οὕτως* (fr. 1 D

Παυσανίη, σὺ δὲ κλῦθι δαΐφρονος Ἀγχίτου υἱέ.

ἀλλὰ καὶ ἐπίγραμμα εἰς αὐτὸν ἐποίησεν·

Παυσανίην ἰητρὸν ἐπώνυμον, Ἀγχίτεω υἱόν,
φῶτ' Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔ θ ρ ε ψ ε Γέλα,
ὃς π ο λ λ ο ὺ ς μ ο γ ε ρ ο ῖ σ ι μαραινομένους κ α μ ά τ ο ι σ ι
φῶτας ἀπέστρεψεν Φερσεφόνης ἀ δ ύ τ ω ν.

Idem autem epigramma *Simonidi* attributum invenitur AP. VII. [in fragmento Meleagreo [85]):

---

epp. *amatoriis f—h*, lib. V. 77—79, annexuerit, praesertim cum argumen ep. *a* conveniat cum epp. V. 82 sqq. Haec res nescio an cui arguere vide eum alteram seriem (utram incertum) ex Diogene, alteram ex Corona su sisse. — Ep. *k* AP. IX. 39 poetae ceteroquin ignoti *Μουσικίου* dicitur, e ib. 44 munitum est ab A (itidem Plan.) titulo *Στατυλλίου Φλάκκου*, cui adi C — ex Diogene opinor — *Πλάτωνος τοῦ μεγάλου*; contra sequens ep. ib. huius gemellum, quod *Στατυλλίου Φλάκκου* titulo ornavit C (A igitur titu ep. 44 etiam sequenti ep. destinavit), Planudi est *Πλάτωνος οἱ δὲ Ἀντιπάτ*

84) Bergk ea non in Simonideis sed in Empedocleis posuit II[4]. 260; ep Pausaniam praeterea commemorat in ann. ad ep. 124. Hoc ep. extat ap. P 40, qui ep. in Acronem, quod Jacobs in app. epigr. 21 posuit, omisit. Reit stein utrumque ep. commemoravit p. 111. Hauvette ne novisse quidem vid haec epigrammata.

85) In serie epigrammatum Simonideorum, quae vero non eo, quo legu in AP., ordine ex Corona propagata esse demonstrabitur § 102.

Παυσανίαν ἰητρὸν ἐπώνυμον, Ἀγχίτεω υἱόν,
τόνδ' Ἀσκληπιάδην πατρὶς ἔθαψε Γέλα,
ὃς πλείστους κρυεραῖσι μαραινομένους ὑπὸ νούσοις
φῶτας ἀπέστρεψεν Φερσεφόνης θαλάμων.

Qui Simonideorum epigrammatum traditionum diversarum non sit ignarus, statim agnoscat necesse est textum, qui in Anthologia Simonideo nomine ornetur, esse traditionem S eius textus, qui legatur apud Diogenem, eo consilio commutati, ut ex epigrammate demonstrativo evaderet sepulcrale (cf. lectio v. 2 ἔθρεψε conversa in ἔθαψε, de ceteris vid. § 138 sq.) [86]. Hoc autem in hoc epigrammate mirum usu venit, quod traditio, quam littera A designare solemus, apud Diogenem non anonyma est, sed etiam nomine poetae sc. Empedoclis gaudet.

Quaerendum igitur est: 1) inveneritne Collector ep. in fonte suo iam Empedocli attributum. Cui quaestioni scilicet subiungitur haec: 2) *quo* fonte Collector usus sit. Quae disquisitio rursus niti debet solutione huiusce: 3) quem fontem vel quos fontes adhibuerit Diogenes.

Proficiscendum nobis est ab altero in vita Empedoclea loco, ubi alterum epigramma Empedocleum (Simonideum) legitur. Diog. VIII. 65 (Diels p. 78): *Ἄκρωνος τοῦ ἰατροῦ τόπον αἰτοῦντος παρὰ τῆς βουλῆς εἰς κατασκευὴν πατρῴου μνήματος διὰ τὴν ἐν τοῖς ἰατροῖς ἀκρότητα παρελθὼν ὁ Ἐμπεδοκλῆς ἐκώλυσε, τά τε ἄλλα περὶ ἰσότητος διαλεχθεὶς καί τι καὶ τοιοῦτον ἐρωτήσας· 'τί δὲ ἐπιγράψομεν ἐλεγεῖον; ἢ τοῦτο·*

ἄκρον ἰητρὸν Ἄκρων' Ἀκραγαντῖνον πατρὸς Ἄκρου
κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης.'

τινὲς δὲ τὸν δεύτερον στίχον οὕτω προφέρονται·

ἀκροτάτης κορυφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει.

τοῦτό τινες Σιμωνίδου φασὶν εἶναι [87]. Qui sunt illi *τινές*? Aut omnia me fallunt aut hic *huius* epigrammatis Empedoclei traditionem S(imonideam) deprehendere mihi videor. Cum autem ep. in Paus. apud Diogenem legatur in traditione A, in Anthologia in trad. S, huius epigrammatis traditionem utramque apud Diogenem coniunctam habemus. Quae res quomodo explicanda? Diogenes, opinor, iuxta fontem vel fontes, qui ei praebuerunt utriusque epigrammatis traditionem A, adhibuit fontem suum

[86]) Textus epigrammatis ex utraque traditione conflatus praebetur Preg. 40. Reitzenstein ex hoc epigrammate p. 111 demonstrare voluit Collectorem epigrammata Sylloges Simonideae ex lapidibus conquisivisse, cf. § 23.

[87]) Huius loci ab uno Reitzensteinio l.l. — quae haud parva est laus — in quaestione Simonidea tractanda ratio habita est.

epigrammaticum, in quo legebatur utriusque epigrammatis tra tio S, ex quo tamen hausit unum ep. in Acronem; eadem aute collectione epigrammatum usus est Cephalas, qui in Anthologia unum ep. in Paus. recepit. Nulla igitur restat dubitatio, qu illud epigrammatum corollarium fuerit Meleagrea Corona, qua adhibuisse Diogenem iam antea (§ 72 sqq.) verisimile duximu Cephalamque excerpsisse constat. Illa utriusque epigrammatis tr ditionem S ex Sylloge Simonidea acceperat. Eaedem quaestione tres, quas supra de ep. in Paus. solvendas esse diximus, nun de ep. in Acr. ponendae sunt. Quas iam tractaturi sumus.

Poetam — quisquis fuit [88]) — utrumque carmen pro Empedo cleo haberi voluisse cum certum videtur eo, quod in epigrammati Pausaniae versu primo suum in usum convertit Empedoclis libr *περὶ φύσεως* exordium (apud D. L. laudatum), tum, quod historia Acronis illustrat Empedoclis civitatis regendae sapientiam. Iam statim ab initio igitur haec epigrammata cum Empedoclis nomine coniungebantur. Ergo Collector quoque ea ut Empedoclea novit; atque, cum ea in Syllogen Simonideam reciperet, necesse erat, ut Empedocli ea abiudicaret et Simonidi vindicaret. Hoc igitur interest inter haec duo Sylloges Simonideae epp. et cetera, quae in ea affuisse scimus, quod illa iam certo poetae tributa circumferebantur, haec antea anonyma erant. Hac ipsa autem re movemur, ut utrumque Empedocleum ep. a Collectore inventum esse putemus in eodem scriptore. Ut hic scriptor sive ipse indicetur sive eius vestigia, in eius fontem inquirendum est, qui utrumque ep. in trad. Empedoclea exhibet, sc. Diogenis.

Epp. illa duo Empedoclea, quae haud magno intervallo dirempta afferantur, a Diogene — ut a Collectore — apud eundem scriptorem inventa esse consentaneum est. Ad ep. in Paus. duos laudat scriptores (*ὥς φησιν Ἀρίστιππος καὶ Σάτυρος*), qui hoc ep. commemoraverunt. Sumendumne est Diogenem — ut in illis duplicibus testimoniis fieri solet — usum esse uno Satyro, qui Aristippum iam adduxisset? Utrumque profecto ep. per Satyrum vel potius per Heraclidae Lembi Epitomen Satyream [89]) eum accepisse putemus

---

[88]) Epp. Empedoclis non esse vel antiqua epigrammatis monet condicio (§ 19). Subdita videntur philosopho; iure inter falsa leguntur apud Dielsium, qui Mon. Ber. Berl. Ak. 1884. 362 n. 1 ep. in Paus. poetae abiudicare noluerat. Utrum eidem auctori debeatur utrumque ep. necne, non disquiro.

[89]) D. L. VIII. 53 *Σάτυρος* (fr. 11, FHG. III. 162) *δὲ ἐν τοῖς Βίοις φησὶν ὅτι Ἐμπεδοκλῆς υἱὸς μὲν ἦν Ἐξαινέτου, κατέλιπε δὲ καὶ αὐτὸς υἱὸν Ἐξαίνετον· ἐπί τε τῆς αὐτῆς ὀλυμπιάδος τὸν μὲν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι, τὸν δὲ υἱὸν αὐτοῦ πάλῃ ἤ, ὡς Ἡρακλείδης ἐν τῇ Ἐπιτομῇ* (fr. 6, FHG. III. 169), *δρόμῳ.* VIII. 58 *κατόλου δέ φησι* (sc. Aristoteles *ἐν τῷ περὶ ποιητῶν* fr. 59 R.)

necesse est, quoniam Ps.-Aristippi liber, qui erat *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*, unum, opinor, exhibuit ep. in Empedoclis *amasium*, neque curasse videtur iocum Empedocleum in Acronem. Attamen non suffragor Wilamowitzio, — quem sequitur Susemihl A. L. I. 326 n. 84 —, qui Antig. Car. p. 52 iudicat Satyrum fuisse, cui Aristippeam notitiam debeat Diogenes. Ad quam opinionem refellendam viri summi disputatio praeclara de libro *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* (inde a p. 48) amplam praebet materiem. Ex hoc enim libro ps.-Aristippeo praeter h. l. septies (I. 96, II. 23, 48, III. 29, IV. 19, V. 3, 39) Diogenes philosophorum amores testatur neque usquam apparet illum eo per Satyrum usum esse. Atque adeo inter illos locos unus est III. 29 iam consulto a me in § praeced. tractatus, qui nostro est consimilis: illo loco *epigrammatis* (ex *uno* igitur libro *π. π. τρ.* petitis) Platonis in Astera amor illustratur. Itaque Aristippum non ex Satyro laudat Diogenes. Neque Satyrum ex Aristippo [90]. Nam quominus hoc accipiamus, non tam obstat chronologia — quae incerta est [91] — quam quod Satyrus etiam in aliis rebus (cf. n. 89) auctor Diogeni fuit. Ergo *ep. in Paus.* Diogenes in auctoribus suis bis invenit: in Ps.-Aristippi libro *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς*, ex quo de complurium philosophorum amoribus annotationes petivit, atque in Heraclidae Lembi Epitome Satyrea, quae ei annotationes praebuit de vita Empedoclea [92]; *ep. in Acr.* autem arcessivit ex una Epitome.

Fieri non potest, ut Satyrus primus in vita Empedoclis enarranda duo illa epp. protulerit. Nam Collector iam coniuncta ea invenerat Empedoclique assignata. Qua de causa in philosophorum biographo scriptore quarti saeculi (e. g. in Heraclida Pontico) ea iam commemorata fuisse conieceris, ex quo manaverint et in Syllogen Simonideam et in Satyrum et in Ps.-Aristippi libellum.

καὶ τραγῳδίας αὐτὸν γράψαι καὶ πολιτικούς. Ἡρακλείδης δὲ ὁ τοῦ Σαραπίωνος (fr. id.) *ἑτέρου φησὶν εἶναι τὰς τραγῳδίας.* Ibid. *φησὶ δὲ Σάτυρος ἐν τοῖς Βίοις* (fr. 12, FHG. III. 163) *ὅτι καὶ ἰατρὸς ἦν καὶ ῥήτωρ ἄριστος.* VIII. 59 *τοῦτόν* (Gorgiam) *φησιν ὁ Σάτυρος* (fr. id.) *λέγειν, ὡς αὐτὸς παρείη τῷ Ἐμπεδοκλεῖ γοητεύοντι.* Cf. praeterea VIII. 40.

90) Susemihl l.l.: '*ὥς φησιν Ἀ. καὶ Σ.*, d. h. entweder S. bei A. oder A. bei S.'. Tertiam viam equidem ingressus sum. Quod in alio scriptore vix quisquam concederet, utrumque scriptorem adhibitum esse, id in opere Laertiano, excerptorum congerie (cf. n. 81), facile admittitur.

91) Wilamowitz Antig. Car. p. 53 aetatem huius contumeliosi libelli intra annos 250—230 definiit. Cf. Susemihl l.l. Tenendum autem est hanc circumscriptionem praecipue niti ea re, quod Satyrum eo usum esse vir cl. sibi persuasum habuit.

92) Susemihl I. 499 n. 39 igitur iniuria Satyrum tanta levitate fuisse putat, ut operi Aristippeo, mendaciorum pleno, fidem habuerit.

In testimoniorum stemmate, quod sequitur (p. 129), iisdem notis utar atque §§ 36 et 60. *E* = nomen Empedoclis traditioni A adiectum; *p* = ep. in Paus.; *a* = ep. in Acron. 'Auctore Vitae Empedocleae' sensu latiore omnes scriptores biographos intellectos esse volo, qui Collectore, Satyro, Ps.-Aristippo antiquiores sunt. Addidi denique scriptores posteriores, qui Diogene usi *a* praebent, Sylloges reliquias, in quibus unum *p* servatum est.

15. SCHOLIA PINDARICA.

§ 76. *De Dinomenis filiorum epigrammate in trad. A atque S servato.* De gravissimo Scholio ad Pind. Ol. XIII. 32, quod Theopompi (fr. 170, FHG. I. 306) testimonium de Corinthiarum ἱεροδούλων epigrammate (137) continet nobisque facultatem praebuit § 25 sqq. aetatis Sylloges definiendae, nunc nihil addendum habeo.

Neque minoris est momenti testimonium de ep. Simonideo 141, quod ex Schol. ad Pyth. I. 155 cognitum habemus. Ibi legitur epigramma conclamatum Dinomenis filiorum donarii *anonymum*, cum in Anth. Pal. (VI. 214, in ordine Simonideo) et *Simonidis auctoritate* ornatum sit et in *textu* ita *diverso* praebeatur, ut viri docti, quos latuit hic traditionem S illic traditionem A exhiberi, ex formis diversis novum carmen componere certatim conati sint. Nam ita sunt huius epigrammatis traditiones A et S comparatae, ut distichon secundum utraque prorsus habeat diversum, distichon prius una tantum re discrepet [93]).

Ut condicio harum traditionum melius intellegatur Collectorisque fons indicetur, Scholii origo investiganda est. Quod, quantum

---

93) Trad. A (Schol. Pind. P. I. 155, anonyma):


φημὶ Γέλων', Ἱέρωνα, Πολύζηλον, Θρασύβουλον,
παῖδας Δεινομένευς, τοὺς τρίποδας θέμεναι
βάρβαρα νικήσαντας ἔθνη· πολλὴν δὲ παρασχεῖν
σύμμαχον Ἕλλησιν χεῖρ' ἐς ἐλευθερίην.

Pro verbis distractis habet trad. S (AP. VI. 214, *Σιμωνίδου*):

τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι
ἐξ ἑκατὸν λιτρῶν καὶ πεντήκοντα ταλάντων
†δαρετίου χρυσοῦ, τᾶς δεκάτας δεκάταν.

Vulgo epigramma sic exhibetur, ut alterum distichon A traditioni S addatur (sic iam Bentley Resp. ad Boyl. ed. Lenn. p. 259), neque adeo Stadtmüller dubitavit, quin verba ⟨*βάρβαρα* — *ἐλευθερίην*⟩ essent recipienda. Hauvette carmen composuit ex duobus distichis, scilicet ex priore disticho formae S et ex altero formae A. Wilamowitz ex uno disticho primario (ex formae S disticho priore) utramque formam profectam esse censuit p. 314, quam sententiam vir cl. tacite retractasse videtur GGA. 1898 p. 128. De verbo corrupto †*δαρετίου* cf. § 137, 4.

Testium epp. in Paus. et in Acron. stemma.



scio, non factum est ab iis, qui hucusque hoc ep. tractaverunt [94]).

Stropham Pindaricam Pyth. I. 144 sqq. describi necesse est:

οἷα Συρακοσίων ἀρχῷ δαμασθέντες πάθον,
ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν ὅ σφιν ἐν πόντῳ βάλεν ἁλικίαν,
Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας δουλίας. ἀρέομαι
πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθαναίων χάριν
μισθόν, ἐν Σπάρτᾳ δ' ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν,
ταῖσι Μήδειοι κάμον ἀγκυλότοξοι,
παρὰ δὲ τὰν εὔυδρον ἀκτὰν
Ἱμέρα παίδεσσιν ὕμνον Δεινομένεος τελέσαις,
τὸν ἐδέξαντ' ἀμφ' ἀρετᾷ,
πολεμίων ἀνδρῶν καμόντων.

Scholion ad v. 155 audit (p. 308 Bkh.): τὸν ἐδέξαντο] a.... b. ὅντινα ὕμνον ἐδέξαντο νικήσαντες τοὺς Καρχηδονίους. φασὶ δὲ τὸν Γέλωνα τοὺς ἀδελφοὺς φιλοφρονούμενον ἀναθεῖναι τῷ θεῷ χρυσοῦς τρίποδας ἐπιγράψαντα ταῦτα· seq. ep. 141 trad. A.

Quem auctorem illo φασί respicere videtur Scholiasta? Ipse, cum sententiam illam de Dinomenis filiorum donario scholii parti priori annecteret, aliquid annotare voluisse videtur de re in pugna Himeraea a παίδεσσι Δεινομένεος — in praecedenti versu celebratis — praeclare gesta. Sententiae vero auctori ipsi hoc propositum fuisse videtur, ut inscriptione (epigrammate) argueret (v. 3 sq.: πολλὴν δὲ παρασχεῖν σύμμαχον Ἕλλησιν χεῖρ' ἐς ἐλευθερίην), quantum Gelo Carthaginiensibus ad Himeram devictis Graeciae libertati profuisset. Talem autem animadversionem non ad hunc versum expectaveris, sed ad versum huius strophae 147: Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας δουλίας. Examinemus igitur, quod ad illum locum extat, scholion (hominis omnium stupidissimi additamenta in initio et in fine cancellis inclusi): [εἰκὸς δὲ ταῖς Ἐφόρου ἱστορίαις ἐντυχόντα τὸν Πίνδαρον ἐξηκολουθηκέναι αὐτὸν αὐτῷ.] ἱστορεῖ γὰρ Ἔφορος (fr. 111, FHG. I. 264) τοιοῦτον, ὅτι παρασκευαζομένου Ξέρξου τὸν ἐπὶ τῇ Ἑλλάδι στόλον, πρέσβεις παραγενέσθαι πρὸς Γέλωνα τὸν τύραννον ἱκετεύοντας εἰς τὸν τῶν Ἑλλήνων σύλλογον ἐλθεῖν· ἐκ δὲ Περσῶν καὶ Φοινίκων πρέσβεις πρὸς Καρχηδονίους, προστάσσοντας ὡς πλεῖστον δέοι στόλον· εἰς Σικελίαν τε βαδίζειν ⟨καὶ Bkh.⟩ καταστρεψαμένους τοὺς τὰ τῶν Ἑλλήνων φρονοῦντας πλεῖν ἐπὶ Πελοπόννησον. ἀμφοτέρων δὲ τὸν λόγον ὑποδεξαμένων, καὶ τοῦ μὲν Ἱέρωνος συμμαχῆσαι τοῖς Ἕλλησι προθυμουμένου, τῶν δὲ Καρχηδονίων ἕτοιμων ὄντων συμ-

94) His annis ad hoc ep. accesserunt Preger, Hauvette, Wilamowitz, Homolle, Th. Reinach (cf. § 2).

πρᾶξαι τῷ Ξέρξῃ, Γέλωνα σ' ναῦς εὐτρεπίσαντα καὶ ‚β ἱππεῖς καὶ πεζοὺς ‚ι κατακοῦσαι στόλον Καρχηδονίων πλέοντα ἐπὶ Σικελίαν καὶ διαμαχησάμενον μὴ μόνον τοὺς Σικελιώτας ἐλευθερῶσαι, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἑλλάδα σύμπασαν. [εἰκὸς οὖν ταύτῃ τῇ ἱστορίᾳ ἐντετυχηκέναι τὸν Πίνδαρον.]

Hic habemus fragmentum *Ephori*. Nonne consentaneum est eum, quem argumentationem epigrammatis firmare solitum esse sciamus, sententiam *μὴ μόνον τοὺς Σικελιώτας ἐλευθερῶσαι, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἑλλάδα σύμπασαν* consulto ita dedisse, ut aptam haberet occasionem epigrammatis, quod nunc paucis versibus post in Scholiis legitur, afferendi? Quid igitur? Scholiasta Ephoreorum verborum sententiam ultimam, in qua Dinomenis filiorum fiebat mentio, melius ad vs. 154 sq. quam ad v. 147 laudari sensit; eam igitur a ceteris seiunctam novo dicendi verbo (*φασί*) subiecit, cum Ephorus ipse scripsisse videatur *Γέλων γὰρ .... ἀνέθηκε .... ἐπιγράψας κτλ.*

Confidenter ergo traditionem A ad Ephorum referimus, ex quo etiam in Plutarchum epp. Corinthiaca quinque (§ 29) et ep. Plataeense 140 (§ 50) fluxisse vidimus. Neque nunc dubium esse potest, quin Collectori quoque ex Ephoro ep. nostrum innotuerit, apud quem eum invenisse iam apparuit eadem epp. Corinthiaca (§ 35) et Plataeense (§ 50).

Iam nunc in aprico est iis, qui reconstruendis Dinomenis filiorum donariis operam dent, nullam rationem esse habendam epigrammatis textus S. Traditioni autem A non magis hac in re quicquam esse tribuendam demonstrabitur in alt. p. h. comm.

§ 77. *De Aristodemi testimonio.* Scholia Pindarica praeterea unius epigrammatis ceteroquin ignoti servaverunt memoriam. In prooemio odae, quae scripta est in honorem Sogenis Thearionis filii, Aeginetae, e gente Euxenidarum, qui Nemea quinquertio puerorum vicerat, poeta cur Ilithyiam invocaret, valde veteres interpretes vexavit. Post varias explicationes enumeratas scholion sic pergit (p. 475 Bkh.): *Ἀριστόδημος* (cf. FHG. III. 309) *δὲ ὁ Ἀριστάρχου μαθητὴς βέλτιον οὕτω φησίν* (scil. in libro *περὶ Πινδάρου*)· *ὀψέ ποτε τῷ Θεαρίωνι καὶ παρὰ τὴν ἡλικίαν προήκοντι εὐξαμένῳ τῇ θεῷ Σωγένη τεκνωθῆναι, καὶ τὴν τοῦ παιδὸς αὐτοῦ γέννησιν οἷον Εἰλειθυίας εἶναι χάριν· διὰ τὴν ἰδιότητα γοῦν τῆς γενέσεως τοῦ ἀθλητοῦ πρὸς τὴν θεὸν ταύτην ἐπήρεισε τὸν λόγον· ἐπιστοῦτο δὲ τοῦτο ἐξ ἐπιγράμματος Σιμωνίδου.* Schneidewin (p. 216) et Bergk (fr. 166) nullo commentario instructum praebent hoc testimonium — ceteri omnino id neglegunt [95]) —, nisi quod de fide

[95]) Etiam Hauvette, quamquam p. 29 sqq. de testimoniis apud grammaticos servatis disputans.

dubitantes diligenter annotant in Romana editione Pindarica (a. 1515) non *ἐπιγράμματος* sed *ὑπογράμματος* praeberi. Etiamsi non consentirent omnes codices atque Aldina (ed. princ.) in voce *ἐπιγράμματος* neque constaret Romanam editionem 'non omnino liberam esse ab interpolatione et vitiis' (quae sunt verba Boeckhii I p. XIV), fides huius annotationis nulli esset dubitationi obnoxia. Nam optime convenit, quod in scholio traditur *epigrammate* niti loci Pindarici interpretationem Aristodemi, cuius in libro de rebus Thebaicis *epigrammata* disputationi subiecta fuisse nuper demonstravit W. Radtke (Herm. 36. 1901 p. 36 sqq.) simul libri titulum traditum *Θηβαϊκὰ ἐπιγράμματα* contra Schwartzium iure defendens [96]). Quaeritur igitur, quonam ex fonte Aristodemus Simonideum epigramma hauserit, quod sciri eo magis interest, quia praeter Aristophanem Byzantium unum ex grammaticis Alexandrinis Aristodemum novimus, qui epigramma Simonideum quoddam laudaverit.

Ea de causa necesse est, ut epigrammatis argumentum cognoscamus. Quod recuperari posse puto. Reputantibus enim nobis Sogenem fuisse Aeginetam eumque nobili loco ortum, eum vicisse iis temporibus (ut videtur a. 467) [97]), quibus floreret Aeginetica ars, Pindarum in exordio carminis Nem. V in Pytheam Lamponis filium *Aeginetam* e gente nobili Psalychidarum conscripti se comparare cum statuario, qui huius pueri simulacrum elaboravit (cf. Wilam. GGA. 1898 p. 179), hanc coniecturam periclitari licet epigramma, quo usus esset Aristodemus, inscriptum fuisse *statuae*, quam ad Sogenis victoriae memoriam conservandam statuissent gentiles. Tale epigramma Simonidi ascribi potuisse verisimile videtur; nam *Simonidis* nomine instructum aetatem tulit Anth. Plan. I^b. 1. 3 = app. Plan. 2 epigramma (149) statuae Theogneti, qui et ipse *Aegineta*, e gente Midylidarum, in puerorum lucta Olympiae vicisse videtur Ol. 76 = a. 476 (cf. Robert, Herm. 35. 1900 p. 165 sq.). Valde igitur est verisimile utrumque epigramma receptum fuisse in *Syllogen Simonideam*, ex qua hoc per Coronam Meleagream in Anth. Planudeam fluxisset, illud petitum esset ab Aristodemo. Eum Sylloge usum esse iam per se probabile videtur.

Collector utrumque ep. ex eodem vel consimili fonte arcessivisse

---

96) Schol. Apoll. II. 904 *ἐν πρώτῳ Θηβαϊκῶν ἐπιγραμμάτων* (Schwartz PW.—RE. II. 925 *ἐν πρ. ⟨τῶν⟩ Θ. ἐπιγραφομένων*). Wilamowitz Hom. Unters. p. 360 iam demonstraverat auctorem Commentarii Pindarici eundem esse atque Aristodemum, qui de rebus Thebaicis scripsisset. Cui opinioni nunc magna additur vis, cum viderimus itidem in libro de Pindaro ab Aristodemo ex *epigrammate* argumentum petitum esse.

97) De hoc anno vid. Christ Pind. p. 284. Praeterea cf. Hermanni dissertatio 'de Sogenis Aeginetae victoria quinquertii' Opusc. III. 22 sqq.

videtur. Fortasse usus est antiquo commentario Pindarico, in quo ep. in Sogenem ad Nem. VII. 1, ep. in Theognetum ad Pyth. VIII. 35, ubi eius victoria laudatur, adductum fuerit.

16. SCHOLIA PLATONICA.

§ 78. *De ep. 160 in Polygnotum.* Quis fuerit artifex, qui frater esset Aristophontis Aglaophontis filii (Gorg. 448 b), cum Platonis lectores resciscere possent ex Ione 332 e, haud erraveris constituens scholion, quale habeamus ad illum locum *οὗτος Πολύγνωτος ἐκαλεῖτο*, iam in antiquis commentariis extitisse atque ex illis pervenisse, ut videtur per Olympiodorum, in nostra Scholia [98]. Difficilius dictu est, unde petita sint verba, quae illis in scholio adiunguntur: *οὗ ἐν Δελφοῖς ἡ θαυμαστὴ γραφή, ᾗ ἐπιγέγραπται·* seq. ep. 160 anonymum. Quod si sciremus — Plutarchi, qui etiam ep. anonymum (trad. A) exhibet de def. or. 436 a, fontem me non magis indicare posse iam monui § 51 —, fortasse constitui posset, ex quo auctore Collector epigramma receperit in Syllogen, Simonidis enim cum nomine ex Corona Mel. (cf. § 65) legitur ep. in eodem textu Paus. X. 27. 4 et AP. IX. 700. Fieri potest, ut haec quoque animadversio affuerit in antiquis commentariis Platonicis; ex quibus epigramma innotuisse conieceris Philostrato, qui vit. Apoll. VI. 11 ad id alludit.

Cum scholio Platonico cognata est — quomodo vero equidem vix constituere ausim in tanta virorum clarissimorum Naberi (Phot. I. 54 sqq.) atque Cohnii (Unters. über die Quellen der Plato-Scholien, Fl. Jb. Suppl. Bd. XIII. 1882. 783 sqq.) controversia de horum Scholiorum atque lexicographorum relatione — glossa *Θάσιος* (sic) *παῖς Ἀγλαοφῶντος* apud Photium (I. 273 Nab.), Hesychium (II. 301 Schm.), Macarium (Paroem. II. 173) obvia. Cum autem apud Photium explicetur *Πολύγνωτος ὁ ζωγράφος οὕτως ἐπεγέγραπτο* atque apud Macarium *ἐπὶ τῶν θαρρούντων ἐφ' οἷς λέγουσιν ἢ πράττουσιν· ὁ γὰρ Ἀγλαοφῶντος παῖς Θάσιος τὸ γένος ἄριστος ἦν γραφεύς*, apud Hesychium legitur *ἔστι δὲ σεμίδαλις* (similago), *ἐπὶ τοῖς ἔργοις γενομένη, ἀπὸ Ἀγλαοῦ τοῦ ἐξ ἀρχῆς ποιήσαντος, Θασίου* (*-ία*? Schm.) *ὀνομασθεῖσα*. Quae verba ad aliud proverbium pertinere putant Hemsterhuis atque Leutsch, Schmidtio vero a parodo aliquo ex altera explicatione formata esse videntur.

---

[98]) Scholion est ex iis, quae ab Hermanno notata sunt litteris RO, i.e. quae cum in Clarkiano (O) tum in ceteris codicibus (R) leguntur. Videtur autem in O ex R translatum esse, cf. Cohn p. 777 n. 1.

17. SCHOLIASTAE HERMOGENIS.

§ 79. *De epigrammatis 147 testimonio.* Ex testimoniis, quae apud Scholiastas Hermogenianos leguntur, nullum habet quicquam momenti nisi id, quod apud Scholiastam Anonymum, quem edidit Walz VII. 104—1087, servatum est p. 1084[99]. Hoc testimonium, quo uno *totum* memoriae proditum est epigramma gravissimum 147, miro casu a viris doctis neglectum est. Editores enim hoc ep. laudant ex scriptoribus, quorum testimonia derivata sunt ex hoc Scholiasta[100]. Locus, ad quem scholion extat, est *περὶ ἰδεῶν* 2 (*περὶ δεινότητος*), 9, III. 355 W.: *ἐπεὶ καὶ δεινὸν εἴποι τις ποιητὴν ὥσπερ ὁ Θεόκριτος εἶπεν ἐν Χάρισιν ἢ ἐν Ἱέρωνι* (XVI. 44 sq.) *τὸν Σιμωνίδην·*

εἰ μὴ δεινὸς ἀοιδὸς ὁ Κήιος αἰόλα φωνέων
βάρβιτον ἐς πολύχορδον ἐν ἀνδράσι θῆκ' ὀνομαστοὺς

οὐδὲν ἄλλ' ἢ τοῦτο δηπουθεν λέγει, ὅτι κτλ. Quae verba Scholiastae occasionem dederunt haec annotandi: *ἰστέον, ὅτι ἐν τοῖς νῦν φαινομένοις Θεοκριτείοις εἰ μὴ θεῖος ἀοιδὸς γέγραπται, πόλυ δὲ καὶ τὸ δεινὸς οἰκειότατον· πάσης γὰρ ἐπιστήμων ὁ ἀνὴρ ποιητικῆς τε καὶ μουσικῆς ὑπῆρχεν ὡς ἐκ νεότητος μέχρις ὀγδοήκοντα ἐτῶν νικᾶν ἐν τοῖς ἀγῶσιν Ἀθήνησιν, ὡς καὶ τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ·* seq. ep. 147.

---

99) Ibi lectores referuntur ad vol. V. 543. Walz enim ea, quae Planudes (cf. n. 100 et § 80) ex Scholiasta nostro fere ad verbum excripsit, apud hunc non repetivit.

100) Schneidewin (a. 1834/5) hoc ep. laudat ex Planude V. 543 W. (a. 1833), cui testimonio ex Crameri An. Ox. III. 353 (a. 1836) addidit Bergk Tzetzae scholion ad Chil. I. 619 sqq. (cf. § 115). Horum testimoniorum fontem communem esse nostrum Scholion in vol. VII W. (a. 1834) animadvertisse non videntur viri docti (Bergk Preger Hauvette alii). — Ante Schneidewinum ep. notum erat viris doctis ex Rhetor. Graec. ed. Aldin. a. 1509 vol. II. 410. Quem librum praeter 'in Aphthonii progymnasmata Commentarios innominati auctoris' continere titulus profitetur 'Syriani Sopatri Marcellini Commentarios in Hermogenis *Rhetorica*'. Quorum grammaticorum cum tantum extent Commentarii in Hermog. *status* (quae p. 16—351 leguntur = vol. IV. W.), Commentarii in libros de *inventione* et de *ideis* (p. 352—417 = Walz V. 363—561) adiecti sunt ex Commentario quodam *anonymo*, quem cum iis Planudei excerpti Scholiorum Hermogenianorum partibus, quae in eodem versantur argumento, prorsus convenire animadvertit Walz ad horum Scholiorum exordium V. 212 n. 1. — Ursinus, postquam tertium distichon ex Plutarcho iam attulit p. 154, *totum* ep. laudat p. 164 mirum in modum omisso testis indicio, quo ceteroquin nullum ep. carere voluit. Ex textu eius (cf. n. 101) autem apparet eum invenisse ep. in Tzetzae Scholiis. — Unum non intellego. Schneidewin ad hoc ep. annotat: 'additur (sc. testimonio Planudis) ap. Walzium *φασὶ δὲ αὐτὸν μετὰ τὴν νίκην πλεῦσαι πρὸς Ἱέρωνα καὶ μετ' ὀλίγον ἐν Σικελίᾳ τελευτῆσαι*'. Quae verba ap. Walzium *non* adduntur, sed (transpositis vero verbis *ἐν Σικ.* ante *καί*, adiecto *ἐκεῖ* post *ὀλίγον*) ap. Tzetzam, qui uno anno post Schneidewianum librum editum demum vulgatus est.

Verisimile duco hanc annotationem ex eodem derivatam esse fonte atque consimilem sententiam, quae legatur apud Valerium Maximum atque Plutarchum, quorum illum ad epigramma alludere vidimus, hunc ultimum distichon laudare (cf. § 51). Ibi quoque apparuit in incerto esse, utram traditionem hi scriptores repraesentarent. Idem igitur de traditione, quam Scholiasta Hermog. tradat, constituendum videtur. Etiamsi quis putet alii fonti debere Scholiastam epigramma, nihil proficiamus. Ne Tzetzes, cum in duabus lectionibus a Scholiasta [101]) recedat, traditionem alteram, alteram hic praebere existimetur, moneo eum Scholiasta ipso usum esse (cf. § 115). Nunc fieri potest, ut pro textu genuino foveamus traditionem A a Collectore commutatam in Syllogen receptam; in qua ep. affuisse demonstratum est § 91 p. 153 sq., § 131,4.

§ 80. *Cetera testimonia.* Cetera testimonia apud Scholiastas Hermogenianos obvia impune sperni possunt, cum eorum fontes omnes nobis praesto sint. Sunt autem haec:

Apud eundem Scholiastam Anonymum, qui ep. 147 servavit, invenitur VII. 949 W. epigramma 173, nimirum ex Athenaeo (§ 68) petitum. Legitur ad *περὶ ἰδεῶν* 1 (*περὶ εὐκρινείας*), 4, III. 217 W.: *ἔοικε δὲ ταῖς ἐμφάσεσι καὶ τὰ αἰνίγματα καλούμενα· ἤτοι γρῖφοι οἷον . . . . καὶ τὸ Σιμωνίδου πρὸς τοὺς ἑταίρους λεγόμενον·* seq. ep. 173. Quod scholion recepit auxitque

Ioannes Siciliota VI. 200 W. in schol. ad eundem locum Hermogenianum.

Tzetzes (de quo praeterea vid. § 115) in Scholiis metricis ad Hermogenem (Cram. An. Ox. IV. 119,13) *παρηχήσεως* exemplum (ad Hermog. *περὶ εὑρέσεων* 4. 70, III. 169 W.) praebet Acronis epigramma. Fons scilicet Diogenes Laertius est (§ 75), ex quo non ea recepit, quae ibi de epigrammatis versione S leguntur. Tzetzam denuo ad verbum fere expressit

Scholiasta Anonymus (in cod. Vindob. CCC Nessel.), III. 641 W.

Planudes V. 543 W. ex Scholiasta Anonymo VII. 1084 § praeced. tractato laudavit ad eundem locum Hermogenis ep. 147 praemisitque verba ex illo excerpta haece: *οὗτος πάσης ἐπιστήμων ποιητικῆς καὶ μουσικῆς ὑπῆρχεν ὡς ἐκ νεότητος ἄχρι γήρως ἐν τοῖς ἀγῶσιν νικᾶν ὡς — δηλοῖ.* Cf. § 79 n. 100.

---

101) Tzetzes iure habet v. 1 *Ἀδείμαντος μὲν*, Schol. *μὲν Ἀδείμαντος* contra metrum; rursus Schol. recte v. 2 *Ἀντιοχὶς φυλή*, Tz. falso *φυλὴ | Ἀντ.* Haud scio an Scholiasta utramque lectionem sinceram servaverit, Tzetzes autem in versu altero, Planudes in versu primo erraverit. Quas enim lectiones Scholiastae tribui, eae epigrammatis lectiones sunt in Planudis excerpto. Fieri potest, ut Walz apud hunc particulae *μὲν* traiectionem non animadverterit.

18. SCHOLIA IN GREGORIUM NAZIANZENUM.

§ 81. *De fr. 82 B.* Versus conclamatus *μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν* (v.l. *θεοῦ*) *καὶ πάντα κατορθοῦν* (Dem. Cor. 289) apud anonymum Scholiastam Gregorii Nazianzeni, quem ex cod. Laur. 8,7 edidit Piccolomini ap. Kirchhoffium Herm. 6. 1872 p. 487 sqq. et *Estratti inediti dai codici greci della Biblioteca Mediceo-Laurenziana, Pisa 1879, ad or. (IV) in Iul. invect. II p. 169 d ed. Benedict. laudatur p. 489 ut versus Simonidei epigrammatis: *λέγει δὲ καὶ Σιμωνίδης (εἷς δ' οὗτος τῶν θ' λυρικῶν) ἐν ἐπιγράμματι ῥηθέντι αὐτῷ ἐπὶ τοῖς Μαραθῶνι πεσοῦσιν τῶν Ἀθηναίων τὸν στίχον τοῦτον· 'μηδὲν κτλ.'*. Cui annotationi cum Kirchhoff l.l. habuit fidem tum Bergk, qui neglegenter Scholiastam *ἐν ἐπιγράμματι* pro *ἐν ἐλεγείοις* dixisse ratus versum inter elegiarum fragmenta (82) rettulit. Iamdudum intellectum est (Spengel Sitz.-Ber. bayr. Akad. 1875 I pag. 298, Piccolomini, Hiller p. 242) Scholiastam versum apud scriptores posteriores frequentissimum (locos maximam partem a Spengelio congestos videas apud Pregerum p. 221 n. 3) memoriae errore, qualis in aliis quoque scholiis eius observetur, cum Simonide coniunxisse.

19. ANTHOLOGIA PALATINA.

§ 82. *De titulis Simonideis Anthologiae Palatinae vetustioribus et recentioribus.* Sylloge Simonidea in breviorem brevioremque formam redacta per Meleagream Coronam Cephalanamque Anthologiam in Anthologiam Palatinam pervenit (cf. § 38). Nec tamen epigrammata, quae AP. Simonidea auctoritate instructa exhibeat, *omnia* ex Sylloge Simonidea propagata putanda sunt; nam et in Meleagrea Corona et in Cephalana Anthologia excerptorum librariorumque erroribus complura epigrammata aliena Simonideum titulum adepta esse videntur atque Simonidea proprium auctorem amisisse. Huius rei iam duo exempla notavimus. Ep. 101, nunc *ἀδέσποτον* AP. VII. 257 idque in ordine Simonideo, Simonidi ascriptum invenerat in Mel. Cor. Scholiasta Aristidis (§ 57); ep. 98, quod a Collectore in textu S in Syllogen receptum atque Simonidi attributum a Favorino (§ 53) in Corona lectum erat, in AP. titulo caret (cf. § 85) [102]. Fieri igitur potest, ut alia quoque

---

102) Ep. Megistiae 94, quod, si quod aliud Simonideum, AP. VII. 677 auctore caret, his adici non licet, quia omnino non certum est id epigramma, quod nunc a ceteris epigrammatis Thermopylensibus VII. 248 sq. divulsum legatur, ex Sylloge Simonidea manasse. Fieri potest (§ 97), ut ep. a Meleagro ex Sylloge non receptum, a Cephala ex Herodoto denuo in Anthol. illatum sit. Ep. in Sylloge affuisse et ex eo constat, quod Collector Herodoteo loco usus est (cf. § 44), et ex imitatione Mnasalcae (§ 129).

epp. Simonidea adsint in AP., quae per temporum decursum auctoris nomen amiserint atque adeo aliam auctoritatem asciverint, nos vero fugiant, cum alibi Simonidis nomine ornata non reperiantur.

Quam variis corruptelis Anthologiae Palatinae tituli per varias deinceps epigrammatum collectiones fuerint obnoxii, enumerare nunc supersedeo (cf. § 142); moneo tamen in Simonideis epigrammatis peculiarem corruptelam ex similitudine nostri (*ΣΙΜΩΝΙΔΟΥ*) et Antipatri Sidonii (*ΣΙΔΩΝΙΟΥ*) et Simmiae (*ΣΙΜ/Μ]ΙΟΥ*) nominum natam esse [103].

Nobis igitur tituli illi Simonidei vetustiores ex Sylloge Simonidea propagati secernendi sunt a recentioribus, quibus in Cor. Mel. vel in Anth. Ceph. vel adeo in Anth. Pal. ipsa aliquo errore aliena epp. sunt ornata. Tales ad titulos vetustiores certo designandos adhibere possumus indicia haec tria, de quorum ratione § 98, de quorum usu § 99 sqq. disputabimus:

a. *traditio S* Simonideorum epigrammatum;

b. *ordines* Simonidei Palatini;

c. *imitationes* Simonideae Mnasalcae.

§ 83. *Quaestiones praemittendae.* Antequam vero illis usi indiciis ad rudera Sylloges Simonideae in Anth. Pal. definire progrediamur (§ 98 sqq.), quaestiones quaedam solvendae sunt praecedentes. Nam primum dirimendum est, num idem sit tribuendum diversis scribis, qui in cod. Palat. auctorum titulos epigrammatum textui ascripserunt (§ 85). Deinde disputandum est de iis titulis, qui dubitanter Simonideam epigrammatum quorundam auctoritatem testantur (§ 86 sqq.), atque de iis epigrammatis, quae bis recepta nunc Simonidi nunc alii poetae assignantur (§ 89 sqq.). Tum de ambitu Anthologiae Cephalanae erit videndum vel, quod in nostra quaestione eodem redit, rogandum, num Anthologia Palatina contineat epigrammata Simonidea, quae non hausta sint ex Anthologia Cephalana (§ 94 sq.). Denique inquirendum erit, num praeter Syllogen Simonideam alius quoque fons epigrammatum Simonideorum praesto fuerit Meleagro (§ 96), num praeter Coronam Meleagream Cephalae (§ 97).

§ 84. *Catalogus epigrammatum Simonideorum in AP. obvi-*

---

103) *Antipatri Sidonii* procul dubio esse mihi videntur ep. 110 (AP. VII. 344 *a* + *b*, vid. § 92), epigrammatum par 154 et 156 (Plan. III[a]. 2. 1 sq. = app. Plan. 23 sq.), ep. 120 (AP. VII. 514, cf. § 102); probabiliter epp. 180, 183, 184, 187 (AP. VII. 20, 24, 25. XIII. 11). *Simmiae* praeter ep. 116 tituli dubii *Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου* (AP. VII. 647, cf. § 88) ep. 130, quod apud Pollucem ex Corona servatum est (§ 67), in qua nomina poetarum iam confusa fuisse videntur. De omnium horum epigrammatum auctoritate praeterea vid. huius commentationis altera pars.

orum. Praemittam conspectum epigrammatum Simonideorum, quot in AP. extant, omnium, scribis titulorum iis notis indicatis, quae usu receptae sunt [104]). Epigrammata, quibus nihil additur, ornata sunt titulo *Σιμωνίδου* vel *τοῦ αὐτοῦ* (*Σιμωνίδου* praecedente) vel *τοῦ αὐτοῦ Σιμωνίδου* (plerumque in nova cod. pag.) vel *Σιμωνίδου τοῦ Κήου*, quos distingui necesse non erat. Quae epp. apud Planudem eodem titulo instructa redeunt, iis asteriscum (*) praefixi, crucem (†) iis, quae auctoris titulo carentia Planudes exhibet, paragraphi (§) signo muniuntur ea epigrammata, quorum titulus Planudeus a Palatino diversus est. Epigrammatum Simonideorum apud Planudem obviorum catalogum habes § 105.

Num.	Bergk.	AP.	Titulus Simonideus.
1	186	Σπ. 3	*De his primis epp. tribus vid. infra post catalogum.*
*2	185a	26	Ex Plan. desumptum.
3	158	28	
*4	178	V. 158	AC.
§[66]	p. 515	160	*Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου* A, at repetitur XI. 9* *Σιμωνίδου* B (= Plan.). Cf. § 90.
*5	143	VI. 2	A.
*6	140	50	AC.
*7	144	52	A.
[12]	150	144	*τοῦ αὐτοῦ* (= *Ἀνακρέοντος* ep. 143, quod ab ep. 144 sex lineis vacuis est distinctum), at iteratur 213* *τοῦ αὐτοῦ* A (= *Σιμωνίδου* ep. 213). Cf. § 91.
8	181	145	*τοῦ αὐτοῦ* C (i. e. *Ἀνακρέοντος*), a viris doctis inter Sim. receptum, quia praecedens ep. Simonidis dicitur VI. 213*. Cf. § 91 n. 120 et § 85.
9	138	197	A.
10	164	212	A.
11	145	213	A.
12	150	213*	A. Vid. ad VI. 144.
13	141	214	AC.

104) De quibus vid. Stadtm. in praef. I p. VI sq., II p. VI sqq. Cf. infra § 85.

14	134	215	A.
15	168	216	A.
16	179	217	A.
17	132	343	ἄδηλον A. Ep. nusquam Simonidis nomine ornatum ex Aristidei loci de paraphth. falsa interpretatione Simonideis insertum. Cf. § 55.
*18	180	VII. 20	*Σιμωνίδου* A (= Plan.), repetitum a C in margine inf. pag. cod. 213 post ep. VII. 37,5, ubi *ἀδέσποτον* dicitur. Cf. § 93.
*19	183	24	A.
*20	184	25	A.
[18]	180	—	*ἀδέσποτον* C. In marg. inf. pag. cod. 213 post ep. VII. 37,5. Vid. ad VII. 20.
[58]	128	—	In marg. sup. pag. cod. 219 ante ep. VII. 75 a C scriptum (Simonidis), in textu legitur VII. 516 *τοῦ αὐτοῦ* C (= *Σιμωνίδου*), ubi vid. Praeterea cf. ep. seq. De hoc scholio marginali cf. § 58.
[21]	129	—	Post ep. praeced. in eodem marg. pag. cod. 219 a C exaratum (Simonidis), in eodem pag. in textu VII. 77 legitur ab A scriptum (*Σιμωνίδου* A), vid. epp. praeced. et seq.
21	129	77	A. In marg. sup. eiusdem pag. a C iteratum. Vid. ep. praecedens.
22	126	177	C.
§[39]	p. 515	187	*τοῦ αὐτοῦ* C (= *Φιλίππου* ep. 186); at repetitum VII. 344* (ubi vid.) *τοῦ αὐτοῦ* C est *Σιμωνίδου* (ep. 344 *a*); Planudi neutrius est, sed *Λεωνίδου*. Cf. § 92.
†23	91	248	C.
†24	92	249	C.
†25	97	250	C.
†26	99	251	C.
†27	100	253	C.
*28	108	254	C.

29	127	254b	C. Ep. in marg. sup. pag. cod. 245 supra alterum distichon ep. VII. 254 a C exaratum. Cf. § 102.
*30	101	257	*ἄδηλον* C (*ἀδέσποτον* Pl.); in Cor. Mel. Simonidi attributum invenerat Scholiasta Aristid. 58 Fr. 154 D. Cf. §§ 57 et 82.
*31	105	258	C.
*32	109	270	C, etiam VII. 650* ubi ep. repetitur. Cf. § 140,6.
33	142	296	C.
*34	123	300	C.
*35	95	301	C.
*36	121	302	C.
*37	110 *α*	344*a*	C.
§38	110 *β*	344*b*	*Καλλιμάχου* C. Ep., quod extat post ep. VII. 350, apud Plan. excipit VII. 344 *a* *τοῦ αὐτοῦ* (= *Σιμωνίδου*). Cf. § 92.
§39	p. 515	344*	*τοῦ αὐτοῦ* C (post ep. 344 *a* = *Σιμωνίδου*), iteratur VII. 187 *τοῦ αὐτοῦ* C (= *Φιλίππου* post ep. VII. 186). Neutrius est apud Plan., sed *Λεωνίδου*. Cf. § 92.
§40	p. 515	345	*ἀδέσποτον οἱ δὲ Σιμωνίδου* C. Plan. tantum *ἀδέσποτον*. Cf. § 92.
41	98	347	Ep. titulo carere videtur in cod. Pal., quo ornatum id fuisse in Syll. Sim. et in Cor. Mel. certum (§§ 38, 53) atque in Anth. Ceph. verisimile est. Vid. infra post catalogum.
*42	169	348	C.
†43	deest (cf. § 39 n. 1)	349	C. Vid. infra post catalogum.
†44	182	431	*ἄδηλον οἱ δὲ Σιμωνίδου* C. Cf. § 87.
*45	103	442	C.
46	106	443	C.
47	114	496	C.
§48	124a	507	C, cum VII. 507 b coniunctum, vid. ep. seq.; at Plan. *Ἀλεξάνδρου*.
49	124b	507b	In Pal. in unum coaluit cum VII. 507. Cf. § 102.
†50	deest (cf. § 39 n. 1)	508	C.
51	118	509	C.

*52	119	510	C.
53	113	511	C.
†54	102	512	C.
*55	115	513	C.
56	120	514	C.
*57	117	515	C.
*58	128	516	C, ep. etiam legitur a C scriptum Simonidique attributum in marg. sup. cod. pag. 219 ante ep. VII. 75; vid. supra.
§59	116	647	*Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου* C. *Σαμίου* Plan. Cf. § 88.
[32]	109	650*	C, ep. iam legitur VII. 270 eodem titulo a C ornatum, vid. supra n. 32. Ex loco VII. 270 tantum ep. a Plan. receptum est.
60	94	677	Nullus titulus, cf. §§ 97 et 82 n. 102. Auctoritas Simonidis ex Herod. VII. 228 constat, cf. § 18.
§61	p. 515	IX.147	*Ἀνταγόρου Ῥοδίου* C, at Plan. *Σιμωνίδου*.
62	160	700	B.
*§63	161	757	Infelici casu evanuit titulus Simonideus, quem respicit titulus epigrammatis sequentis servavitque Plan. Vid. infra in fine huius §.
*64	162	758	*τοῦ αὐτοῦ* B, qui titulus spectare videtur ad epigrammatis praeced. titulum *Σιμωνίδου*, qui excidit. Vid. in fine huius §.
§65	122	X. 105	B. *ἄδηλον* Plan.
*66	p. 515	XI. 9*	*Σιμωνίδου* B (Plan.); ep. etiam legitur V. 160, ubi *Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου* A est, vid. supra.
67	187	XIII. 11	B.
68	125	14	B.
69	155	19	B.
70	151	20	B.
71	112	26	B.
72	148	28	*Καλλιμάχου. Βακχυλίδου ἢ Σιμωνίδου* B. Cf. §§ 94 et 96.
73	170	30	B.

Tria epp. prima leguntur in sylloge epigrammatum 34 maximam partem ex Anthol. Planudea excerptorum, quae in codicis Palatini foliis quattuor primis, sex paginis (cf. Stadtm. I p. VI, Jacobs AP. vol. III p. 5) a scriba ceteris quinque codicis scribis recentiore exarata est. Praeeunte Stadtmüllero hanc syllogen notavi signo Σ^{π} (cf. § 95).

Ex reliquis epigrammatis *septuaginta* in codice Palatino *septem* (vel *novem*, si epp. VI. 145 et IX. 758 comprehendis) nomen Simonidis adiectum non habent. Tria epp. VII. 257, 347, 677 in Meleagri aut Cephalae fontibus eo nomine ornata fuisse constat (cf. § 82). Ep. VII. 347 (= Corinthiacum ep. 98, in textu S) ante Stadtmüllerum etiam in AP. instrui perhibebatur Simonidis nomine, quod in Cor. Mel. Favorinum invenisse vidimus (§ 53). Vir cl. autem animadvertit titulum, qui *post* epigramma partim cis marginem partim in margine positus sit, pertinere ad ep. sequens (VII. 348), titulum vero, qui rursus post hoc epigramma cis marginem legatur, respicere ep. VII. 349; quo factum, ut hoc ep. apud Bergkium inter Simonidea nondum extet. Nec tamen negaverim in Anthol. Ceph. Simonideos titulos ad priora epp. (VII. 347 sq.) pertinuisse. Etenim magna in hac codicis Pal. pagina (257) est titulorum confusio, cf. § 92.

Unum ep. VI. 343 a viris doctis Simonideis adiudicatum est, unum IX. 147 apud Planudem demum Simonidea auctoritate instruitur.

Ep. IX. 757 'auctoris indice caret, lemma inceptum εἰσ non continuavit B' (Stadtmüller), respicit vero ad titulum omissum sequentis epigrammatis IX. 758 titulus τοῦ αὐτοῦ. Cum utrumque epigramma idque in capitibus diversis, illud IV^{a}. 6 (εἰς ζωγράφους), 6, hoc IV^{a}. 23 (εἰς οἴκους), 16 a Planude Simonidi attribuatur, titulum in AP. omissum certum videtur in Anth. Ceph. fuisse Σιμωνίδου. Qua de causa hoc ep. munivi signis sibi contrariis (*§), sequens ep. asterisco (*).

§ 85. *De fide scribarum titulorum.* In quaestione, quae est de fide eorum, qui in cod. Pal. epigrammatis titulos addiderunt, tractanda hoc tenendum est nobis nunc quaeri, num integrum tradiderit scriba epigrammatis auctorem, quem exemplar subiectum exhiberet. Qua cum quaestione non confundenda est — quod hic illic fieri vides — altera, quae est de fide tituli ipsius.

Scribarum fides, opinor, numquam in dubium vocata esset, si tituli semper ei deberentur manui, quae scripsit textum ipsum (A, J, B, cf. Stadtm. I p. VI). Fuerunt viri docti [105], qui

---

[105]) E.g. *G. Finsler in libro 'Kritische Untersuchungen zur Geschichte der gr. Anth.' (diss. Zürich 1876). Librum ipse acquirere non potui, sed viri docti

denegarent auctoritatem imprimis scribae C (Correctori), cui munus oblatum erat corrigendi manuscripti ab A et L (Lemmatista) confecti. Huic scriptori permulta debentur tituli, e.g. plerique alterius partis libri VII (156—741) et prioris partis libri IX, ubi is auctorum indices adiecit, quos textui addere A supersederat. Viri docti dudum Correctoris fidem in singulis epigrammatis ex Planude, quocum saepe conspirat, confirmaverunt. Tum vero huius scribae operam recte aestimare poterimus, cum eius correctiones atque annotationes in ea parte Anth. Pal. spectaverimus, in qua non solet auctorum titulos ascribere, sed unice manuscripti ab A et L exarati correctionem suscipit; quod usu venit in libris V, VI, VII. 1—155.

Prius autem *universe* indicabo, quomodo in libris AP. V, VI, VII, qui praesertim in Simonideis in censum veniunt, exarandis librarii sese excepisse videantur. Nitor scilicet Stadtmülleri editione.

Lib. V. A scripsit textum auctorumque nomina addidit, L lemmata usque ad ep. 120, cuius operam C, textum dum corrigit, perduxit usque ad ep. 236. Cetera epp. lemmatis carent. Duplex igitur in hoc libro Correctoris est cura, et propria corrigendi manuscripti et lemmata ascribendi epigrammatis 121—236.

Lib. VI. A exaravit textum apposuitque titulos fere omnes, lemmata autem usque ad ep. 220. Reliquorum epigrammatum lemmata nemo curavit — quamquam C in animo habuisse videtur ea adicere, cf. 222—24, 232—33 — [106]), nisi quod L nonnulla addidit epigrammatis libri extremis, cum septimi libri epigrammata lemmatis instruendi faceret initium. C igitur praesertim correxit manum primam.

Lib. VII. A textum totum scripsit, titulos lemmataque apposuit usque ad ep. 155. Reliqua lemmata L ascripsit, postquam lemmata scribae A hic illic additamentis auxit. C, cum manuscripti ab A atque L confecti correctionem aggrederetur, epigrammatis a u c t o r u m t i t u l o s inde ab ep. 156 adiecit. Extrema denuo libri epigrammata (741—748), inde a summa cod. pag. 325, A titulis instruxit.

Itaque C, quemadmodum in libro quinto (epp. 121—236) opus a Lemmatista derelictum susceperat, ita in libro septimo (epp. 156—740) titulos ab A non appositos exaravit.

---

argumentum novi cum ex Stadtmülleri Reitzensteinii Pregeri libris tum ex Burs. Jhrsb. V. 1876 p. 101 sqq.

[106]) Ita fieri potuit, ut ep. Zonae, quod in ordine Philippeo alphabetico bis VI. 106 et VI. 255* recepit Cephalas (cf. § 89), illic lemmate ornatum sit, hic careat.

Nunc quomodo hic scriba in titulis librorum V, VI, VII. 1—155 supplendis, ubi tituli *omnes* ei addendi non erant, munere suo functus sit, videamus. Eum neque temere titulum A mutasse neque titulum ab A omissum neglegenter adiecisse demonstrat eius cum Planude consensus:

V. 65 *ἀδέσποτον* A Rufini CPl.
V. 307 Antiphili A Philodemi CPl. (cf. infra n. 108).
V. 151 om. A (quamquam ex lemmate consulto addito apparet A de *Meleagro*, praecedentis epigrammatis poeta, non dubitasse). Meleagri CPl.
V. 221 om. A Agathiae CPl.
V. 265 om. A Pauli Sil. CPl.
VI. 85 om. A Palladae CPl.
VII. 43 om. A Ionis CPl.

Quod non prorsus conveniunt CPl. contra A V. 67 (om. A, *Λουκιλλίου οἱ δὲ Πολέμωνος τοῦ Ποντικοῦ* C, Lucillii Pl.) eo explicandum videtur, quod Planudes alterum auctorem neglegendum duxit, cf. V. 208 *Ποσειδίππου ἢ Ἀσκληπιάδου* A (ex Soro, cf. § 90), Posidippi Plan.

Nulla igitur causa est, cur Correctoris notitiis fidem derogemus, *cum ex Planude*, sive hic epigramma non recepit, sive epigramma auctoris nomine instruere neglexit (cf. § 107), *confirmari nequeunt:*

VII. 60 pro nomine, quod A posuit C scr. *Σιμμίου* (A certe non Simmiae tribuit ep.; quid dederit, in rasura dignosci nequit). Plan. nom. om.
VI. 42 om. A *ἀδέσποτον* C. Plan. nom. om.
V. 72 om. A Rufini C (cuius nomen L iam posuit ad ep. vers. 6, qui est primus in nova cod. pagina). Deest ep. ap. Plan.
V. 302 om. A *ἄδηλον* C. Deest ep. ap. Plan.
V. 308 om. A Diophanis Myrinaei C (cuius poetae nomen aegre, opinor, excogitarit). Deest ep. ap. Plan.
VI. 75 et 168 om. A Pauli C (in fragmento Agathiano). Desunt epp. ap. Plan.
VI. 96 om. A Erycii C (in fr. Philippeo). Deest ep. ap. Plan.
VI. 137 om. A Anacreontis C (in serie Anacreontea). Deest ep. ap. Plan.
VI. 192 om. A Archiae C. Deest ep. ap. Plan.
VII. 54 om. A Mnasalcae C. Nomen om. Plan.

Erravit autem manifesto C, cum post totam paginam (166) epigrammatum Anacreontis ultimum ep. (in Sophoclem!) VI. 145, quod extremas paginae lineas occupabat et ab A neglectum erat,

eidem (*τοῦ αὐτοῦ*) tribueret poetae (= Sim. 181 B., cf. § 91 n. 120). Nonnumquam epigrammatis ab A nullo titulo instructis C quoque auctoris nomen apponere supersedit, cum apud Planudem poeta praebeatur: V. 1 et 142 nom. om. AC Meleagri Pl., VI. 22 om. AC Zonae Pl., VI. 130 et 309 om. AC Leonidae Pl. Plerisque autem iam in fonte Correctoris nullum appictum fuisse auctoris indicem conieceris; imprimis epigrammatis V. 1 ideo periisse titulus videtur, quod primum epigramma erat Anth. Cephalanae (cf. infra). Consulto titulum non addidisse videtur C epigrammati V. 140, quod corruptelae signo notavit (Meleagri Pl.); V. 324 isopsephon in serie Leonidea, quamquam signo initiali a praecedenti ep. distinxerat, nomine poetae ornare necesse non habuisse videtur (Leonidae recte Pl.).

Mirus est titulus epigrammati V. 31 *ἄδηλον* A, cui adiunxit C *οἱ δὲ Νικάρχου*. Hic C neque nomen ab A omissum restituit neque pro auctore ab A dato alium posuit, sed epigramma, cuius auctorem incertum indicaverat A, dubitanter tribuit certo poetae. Hic, opinor, Corrector proprio usus ingenio ex argumento dicendique ratione poetam eruit. Valde dolendum est, quod hoc epigramma a Planude, cuius titulus rem diremisset[107]), non receptum est[108]).

Usurpanti titulos a C adiectos in eis Anth. Palatinae partibus, *ubi epigrammata fere omnia auctorum nominibus instruxit*, tenendum igitur est Correctorem hominem sane esse fide dignum, nonnumquam vero non, qua par erat, diligentia grassatum esse, neque adeo coniecturas sprevisse. Minime autem discrepantia Correctoris atque Planudis demonstrat titulum illius deberi ingenio; quantae enim neglegentiae Planudes fuerit in epigrammatum titulis ascribendis, docere potest titulorum septimi libri Planudeï cum primi Cephalani (= AP. V) comparatio a Stadtmüllero I p. XXIII sqq. instituta, ad quam lectores relegatos esse velim. Nonnumquam neuter genuinum Cephalanum titulum servavit e.g. primum epigr. Anth. Cephalanae (AP. V. 1, vid. supra), quod neque ab A neque a C auctoris nomine munitum est, a Planude vero temere seriei epigrammatum Meleagri est adiunctum (Plan. VII. 115), procul dubio Rufino tribuendum mihi videtur.

§ 86. *Quae epigrammata titulo dubio ornata sint.* Epi-

---

107) Cf. ep. VII. 352 *ἀδέσποτον οἱ δέ φασι Μελεάγρου αὐτὸ εἶναι* C. Plan.: *ἀδέσποτον*. Vid. § 87. In talibus titulis illud *οἱ δὲ* nihil valet nisi *ἤ*.

108) Correctoris coniecturae exemplum non cum Reitzensteinio p. 98 deprehenderim in titulo ep. V. 307, quem iam supra p. 144 attuli: *τοῦ αὐτοῦ* (= *Ἀντιφίλου*) A, cui *ἢ μᾶλλον Φιλοδήμου* 'wegen der Nachahmung Philodems, welche er noch empfindet' Correctorem subiunxisse v. cl. censet. Immo cum ep. etiam a Planude tribuatur Philodemo, genuinum titulum Cephalanum *Ἀντιφίλου ἢ Φιλοδήμου* fuisse putaverim.

grammata, quorum titulus inter Simonidem atque aliud nomen variat, haec sunt: ep. VII. 345 *ἀδέσποτον οἱ δὲ Σιμωνίδου* C, de cuius tituli origine disputabo § 92, ubi de auctoribus diversis, quibus epigramma praecedens VII. 344* (hic Simonidi, at VII. 187 Philippo ascriptum) tribuitur, disseram.

Ep. 182 (VII. 431) *ἄδηλον οἱ δὲ Σιμωνίδου* C. Vid. § 87.

Ep. 116 (VII. 647) *Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου* C. Vid. § 88.

Ep. 148 (XIII. 28) *Καλλιμάχου. Βακχυλίδου ἢ Σιμωνίδου* B. De hoc epigrammate, quod duabus rationibus duplici titulo instructum est, disseram § 94, ubi sermo erit de origine libri AP. XIII, et § 96, in qua § disquiretur, num praeter Syllogen Simonideam alii fontes Meleagro suppeditaverint epigrammata Simonidis nomine praedita.

Titulos dubios non eadem norma esse aestimandos, sed de uniuscuiusque origine per se esse videndum docuit Reitzenstein p. 97 sqq., cf. Radinger Philol. 54. 1895 p. 300.

§ 87. *De ep. 182 tituli origine.* Epigrammatis 182 (VII. 431) titulus *ἄδηλον οἱ δὲ Σιμωνίδου* C (in fragmento Meleagreo) facile explicabitur, cum ep. praecedens spectaverimus VII. 430. Utrumque celebrat notissimum certamen trecentorum Argivorum cum totidem Spartanis (Her. I. 82, Thuc. IV. 56); hoc autem *Dioscoridis* est. Prorsus eadem extat condicio inter epigramma VII. 351 atque ep. quod consequitur VII. 352: in utroque Lycambae filiae se ab Archilochi criminibus vindicantes proponuntur, illud quóque tribuitur *Dioscoridi*, hoc itidem munitur eiusmodi titulo dubio atque ep. VII. 431: *ἀδέσποτον οἱ δέ φασι Μελεάγρου αὐτὸ εἶναι* C. Nullum mihi videtur esse dubium, quin utriusque paris titulorum eadem sit ratio. C meo iudicio in exemplari Michaelis Chartularii, quod in hac parte libri septimi correctioni adhibuit (cf. § 91 n. 131), unice utrique alteri epigrammati sincerum titulum Cephalanum *ἄδηλον* (ep. 431), *ἀδέσποτον* (ep. 352) ascriptum invenit; quem Planudis titulus epigr. 352 *ἀδέσποτον* servasse videtur [109]). Propria autem coniectura auctorem adicere voluit epigrammati poeta destituto, neque quin epigramma (431), quod in Spartanos trecentos esset, *Simonidi* tribueret, dubitavit, quamquam iure Lemmatistae errorem correxerat, qui exordio tantum lecto carmen pugnam Thermopylensem celebrare putaverat [110]). Alterius carminis (352) cur de Meleagro auctore cogitaverit, non video; sed hoc constat titulum illum non propagatum esse ex Corona Meleagri, quippe qui de sua ipsius auctoritate dubitare non posset [111]).

---

109) Plan. *omisit* titulum ep. VII. 431 (cf. § 107).

110) Vid. Stadtmüller ad lemma.

111) Cf. Reitzenstein p. 98.

Tituli autem illi in Cephalae fonte (Cor. Mel.) non ἄδηλον (ἀδέσποτον) fuisse videntur. Quod enim uterque titulus ascriptus est epigrammati, quod *Dioscoridis* epigramma in eodem versans argumento excipit, id arguere mihi videtur Meleagrum neutrum alterum ep. proprio ornasse titulo, sed continuatum voluisse poetae epigrammatis praecedentis. Postea, at ante Cephalam, aliquis titulum deesse ratus auctorem 'incertum' indicavit (cf. § 96 n. 143). Hoc in anthologiis saepenumero usu venisse iam Jacobs suspicatus est (vid. Weisshäupl p. 33), cf. Hecker Comm. II. 103. Sic e.g. epp. V. 199 sq. sunt ἄδηλα, sed sine ullo dubio cum Heckero II. 105 Hedylo, auctori epigrammatis V. 198, sunt assignanda. Dioscorides igitur non solum prius utrumque confecit epigramma, sed etiam alterum. Solebat scilicet epigrammatum condere *paria;* quem morem aliis quoque epigrammaticis poetis fuisse e.g. Antipatro Sidonio in altera h. comm. parte videbimus. Unum Dioscoridis epigrammatum par integrum aetatem tulit atque id extat in eodem Meleagreo fragmento, quo leguntur epp. in Spartanos: sc. VII. 410 atque 411 in Thespidem.

Non igitur miramur, quod ab altera parte cum epigrammatis VII. 431 tum VII. 352 rationem dicendi Dioscoridem auctorem arguit (qua de re vid. alt. h. c. p.). Qui de aliis cogitent poetis [112]) aeque errant atque ii, qui aliam titulorum putent esse originem e.g. Stadtmüller, qui II p. LXXXVII ex altero archetypo ἄδηλον ex altero poetae nomen haustum esse arbitratur [113]). Habemus eiusmodi coniecturam Correctoris, qualem iam § 85 animadvertimus in titulo V. 31 ἄδηλον A οἱ δὲ Νικάρχου C, nunc vero, cum ei praeter manuscripti ab A exarati correctionem etiam epigrammatis tituli appingendi essent, is unus totum titulum ἄδηλον οἱ δὲ Σιμωνίδου scripsit.

§ 88. *De epigrammatis 116 tituli origine.* Ep. 116 (VII. 647) in Palatino ornatum est titulo ambiguo Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου C; auctorum nominum similitudo docet hunc duplicem titulum ortum esse ex poetae indice non perspicue exarato. Corruptela iam ad Cephalam redire videtur, nam Planudes Cephalanum titulum solverat Σαμίου. Quemnam titulum, Σιμωνίδου, Σιμμίου, Σαμίου Meleagri Corona, in cuius fragmento epigramma extat, habuerit, inter-

[112]) Utrumque fortasse Antipatro Thess. tribuendum Stadtmüller censet, VII. 431 Leonidae Bergk. Cf. etiam ann. seq.

[113]) Reitzenstein p. 116 ep. unam ex illis imitationibus Dioscorideis esse putat, quibus falsarium aliquem Simonideae Sylloges editionem Peloponnesiacam (et eam ficticiam, § 38) interpolavisse finxit. Hanc autem miram opinionem vir cl. tacite reiecisse videtur PW.—RE. V. 1127 sq., cum contra suspicetur Dioscoridi (ep. 430) ep. 'pseudo-Simonideum' materiem praebuisse.

pretatione efficiendum est. Vid. in alt. h. c. parte, et § 82 n. 103. *Samius* quoque poeta fuit, cuius epigrammata a Meleagro in Coronam recepta sunt (cf. AP. IV. 1,14); eius esse videtur ep. VI. 116, cuius titulus in Pal. *Σάμου* est (Plan. nunc vero *Σιμμίου*).

Cum hoc titulo dubio conferendus est eiusdem generis titulus epigrammatis quod statim post sequitur VII. 650: *Φλάκκου ἢ Φαλαίκου* C, *Φακέλλου* Plan. Ibi iam loco in Meleagreo ordine Phalaeco vindicatur epigramma, Statyllius Flaccus enim poeta Philippeus est. Praeterea cf. Reitzenstein p. 98.

§ 89. *De epigrammatis alibi alio titulo munitis.* Cum ea epigrammata tractanti, quae in AP. eodem titulo instructa iterantur, tum ea, quae alii auctori tributa redeunt, duo repetitionum genera distinguenda sunt. Sunt enim epigrammata, quae scribae textus in textu ipso bis exaraverint, sunt, quae extra textum in margine sive a textus scribis sive a Correctore iterum sint scripta.

Prioris generis iterationes, epigrammatis praeterea altero loco alio titulo munitis, in Simonideis occurrunt hae:

1. Ep. V. 160 *Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου* A iteratur post XI. 9 titulo *Σιμωνίδου* B insignitum. Vid. § 90.

2. Ep. 150 legitur in serie epigrammatum *Anacreonteorum* (sane post lacunam sex linearum spatium explentem) titulo praeditum *τοῦ αὐτοῦ* A VI. 144; repetitur post ep. VI. 213 in serie epigrammatum *Simonideorum* eodem titulo *τοῦ αὐτοῦ* A instructum. Vid. § 91.

3. Ep. VII. 187, quod repetitur post ep. VII. 344 *b*, utroque loco a C munitum est titulo *τοῦ αὐτοῦ*, illic post epigramma *Philippi* VII. 186, hic post *Simonideum* VII. 344 *a*. Cf. § 92.

Alterius generis est iteratio epigrammatis 180, quod A VII. 20 exaravit *Simonidi* tributum (cod. p. 210), C scripsit in margine inferiore paginae codicis 213 titulo addito *ἀδέσποτον*. Vid. § 93.

Nobis nunc efficiendum est, utrum titulus horum epigrammatum *Simonideus* inter recentiores Anthologiae Palatinae titulos habendus sit an inter vetustiores (cf. § 82); vel, quod eodem redit, utrum epp. illa titulis, quibus altero loco instruuntur, proprie ornata Simonidis auctoritatem adepta sint an Simonideis praedita alienam. Causae autem epigrammatum repetitionum, sicut duplicium titulorum rationes (cf. § 86), valde diversae esse possunt; sunt epigrammata, quorum iteratio satis sit antiqua, sunt, quorum valde recens.

Et hac in disquisitione et in iis, quae postea mihi disputanda sunt, unum pro explorato habeo: *Meleagrum in epigrammatis Coronae digerendis hanc observasse rationem, ut nunc epigrammatum respiceret argumenta, nunc auctores.* Hoc optime

evicit C. Radinger Philol. 54. 1895 p. 297 sqq. contra opinionem vulgarem (eum secutum esse ordinem elementarem); quae quidem post Radingerum vigebat in Stadtmülleri editione, in PW.—RE. I. 2381, apud Krumbacher. Byz. L.[2] 1897 p. 726, apud Christ. Gr. L.[3] 1898 p. 621 n. 1 [114]).

Meleagro igitur necessitas oboriri potuit, ut aliquod epigramma hic propter auctorem illic propter argumentum recipiendum duceret. Sic ep. Callimachi, VI. 146 in serie Callimachea positum, repetitur post VI. 274 (Persae) in serie epigrammatum in mulieres parturientes aut nuperrime enixas. Fere eandem ordinandi rationem, qua Meleager usus erat, Cephalas adhibuit (cf. libri AP. VII compositionis conspectus apud Stadtm. II p. LXXXII sqq.; prior pars praecipue continet series epigrammatum propter argumenta compositas, altera, inde ab ep. 364, fragmenta syllogarum); qua re nonnumquam incertum est, utrum repetitio Meleagro an Cephalae debeatur. Cephalanae autem iterationis certum exemplum praebet ep. Zonae, quod in ordine alphabetico Philippeo bis VI. 106 et VI. 255* errore recepit Cephalas.

Subiungam epigrammata Simonidea, quae eodem titulo munita in AP. iterantur:

1. Ep. 109 legitur *in contextu* cum VII. 270 tum VII. 650*, utroque loco Simonidi (C) attributum. Accidit autem mire, ut altero loco alius praebeatur textus. De textuum ratione disseram § 140,6.

2. In marg. sup. cod. pag. 219 scripta est annotatio Correctoris (quam exhibui § 58) ex Michaelis Chartularii exemplari petita (cf. § 93), in qua leguntur epp. 128 et 129, quorum hoc in eadem cod. pag. VII. 77 ab A exaratum est, illud ab A scriptum est VII. 516. Utrumque ep. utroque loco Simonideum est. Hic unicus est locus, ubi ep. 128 cum ep. 129 arte coniungitur, a cuius traditione semper ep. 128 alienum fuisse vidimus l.l.

§ 90. *De ep. V. 160 Hedyli s. Asclepiadis = XI. 9* Simonidis.* Epigramma V. 160 titulo dubio *Ἡδύλου οἱ δὲ Ἀσκληπιάδου* A legitur in fragmento Meleagreo maiore, quod maximam partem continet epigrammata amatoria ex Asclepiadis Hedyli Posidippi

---

114) Sufficit ad *Radingeri*, qui omnia expedivit, commentationem lectores relegasse. Eius opinionem confirmavit **Weisshäupl* in commentatione, qua uti mihi non licuit, Sertae Hartelianae 1896 p. 184 sqq. inserta: 'zu den Quellen der Anthologia Palatina' (cf. Burs. Jb. 104. 1900 p. 186). Fieri non potest, ut Simonideorum epigrammatum transitus ex Sylloge Simonidea per Meleagream Coronam in Anthologias Cephalanam atque Palatinam explicetur vulgari opinione servata.

Soro [115]) hausta epigrammatis Meleagri ipsius intersertis. De huius ordinis compositione cf. Radinger p. 306 sq. Certum igitur est hoc epigramma a Meleagro ex Soro petitum esse atque in hanc seriem propter *auctorem* esse receptum. Redit autem AP. XI. 9* *Simonidi* attributum (B) inter epigrammata convivalia et irrisoria, ubi positum esse videtur propter argumentum. Quoniam ibi ep. non extat in fragmento Meleagreo — epp. vicina fere omnia ex sylloge Diogenianea sunt — repetitio non debetur Meleagro sed Cephalae. Qui quomodo Simonidi ascribere potuerit ep. in fonte suo (Mel. Cor.) *Hedylo vel Asclepiadi* tributum, facile, opinor, explicatur. In Corona enim Mel. ep. V. 160 unius epigrammatis intervallo separatum erat ab ep. V. 158 Simonidi (ep. 179) [116]) assignato. Cum autem in huius epigrammatis exordio legatur eiusdem meretricis (Boidii) nomen atque in versu primo ep. V. 160, facile Cephalas circumductus huic epigrammati iterum recepto XI. 9* illius titulum apponere potuit [117]).

Planudes ep. ex altero tantum loco, ubi Simonidis dicitur, recepit in librum epigrammatum demonstrativorum atque exhortatoriorum I^a^. 70 (*εἰς πόρνας*), 2; ep. vero V. 158 postea inter amatoria posuit (Pl. VII. 12). Pauca tantum Simonidea epp. cum in Plan. lib. I huic epigrammati praecederent (sc. conspectus mei Planudei § 105 n. 33, 34, 1), factum est, ut iis neglectis illo Lascaris ordinem suum epigrammatum Simonidis (Ir. p. 93, cf. § 120) incoharet.

§ 91. *De ep. 150 AP. VI. 144 Anacreonteo et VI. 213* Simonideo.* Ep. 150 legitur AP. VI. 144 (cod. p. 166) titulo instructum *τοῦ αὐτοῦ* A, qui recurrere videtur ad praecedentium epigrammatum (VI. 134 sqq.) poetam *Anacreontem*, VI. 213* (cod. p. 179) autem idem titulus *τοῦ αὐτοῦ* A *Simonidem* (VI.

---

115) De Soro cf. Reitzenstein p. 100 sqq., Radinger p. 304. In Soro iam ipso saepius dignosci non poterat, utrum Asclepiadis an Hedyli an Posidippi esset epigramma; unde tituli duplices Meleagrei: *Ἀσκληπιάδου ἢ Ποσειδίππου*, *Ἡδύλου ἢ Ἀσκληπιάδου*.

116) Vix lectores monendi sunt hoc epigramma a Meleagro uni ex Sori poetis fuisse assignatum, postea, verum ante Cephalam, errore aliquo Simonidi obvenisse. Quod iam viderunt Jacobs et Bergk.

117) *P. Sakolowski* (de AP. quaestiones, diss. inaug., Lips. 1893) p. 78 demonstrasse se putat Cephalam in libro XI componendo Coronam Meleagream praesto non habuisse. Quod iam per se valde improbabile videtur; id vero vir d. probare non potuit nisi omnium epigrammatum, quae poetis Meleagreis in hoc libro tribuuntur, titulis pro falsis habitis (e.g. epigrammatum XI. 123 et 414 titulum *Ἡδύλου* ex *ταὐτοῦ* depravatum esse lectoribus persuadere voluit) neque epigrammate nostro XI. 9*, quippe quod in editionibus iterari non soleat, respecto. Praeterea epp. XI. 361* et 363 Callimacho, 362 Dioscoridi ne ipse quidem v. d. abiudicare audet.

212 sq.) spectat. Viri docti vero negare solent epigramma VI. 144 pertinere ad ordinem Anacreonteum (Jacobs, Bergk, Sternbach Mel. Gr. I p. 107, Stadtmüller, alii), in cod. Pal. enim ante epigramma vacuum ab A relictum est spatium sex linearum, in quo extitisse putant epigramma *Σιμωνίδου*, quod respiceret titulus *τοῦ αὐτοῦ*. Quo factum, ut titulorum *consensu* (VI. 144 et 213*) constituto viri d., qui Anacreontea epp. tractarent [118]) hoc ep. utpote Simonideum tantum non neglegerent, qui Simonidea — inter quos etiam Wilhelm — Anacreontei tituli rationem non haberent. Si vero lacunae nimium tribuisse viros doctos demonstrari poterit, quaestionem de titulorum diversitate ac condicione adipiscemur fere integram. Huius autem quaestionis tractandae facultas omnino demum data est, postquam Stadtmüller locorum codicis Palatini, quae in censum veniunt, accuratam dedit descriptionem, Wilhelm prius huius epigrammatis distichon agnovit in lapide eiusque imitationem in inscriptione Attica aetatis imperatoriae [119]).

Quaestiones, quae cum hoc epigrammate eiusque titulis cohaerent, eae sunt, ut obtegenda notitiarum diversitate tibimet ipsi viam ad illas solvendas obsaepias, accipiendis vero discrepantiis eas te soluturum esse sperare possis. Vel ea de causa viris doctis ex eo, quod ante ep. VI. 144 lacuna unius epigrammatis ambitum complectens extat ipsumque epigramma VI. 213* *Simonideo* titulo ornatur, deducere non licuisse putaveris lacunam occupare locum epigrammatis *Simonidei*, quod titulus nostri epigrammatis *τοῦ αὐτοῦ* respiceret. Sed ex ipsius loci aspectu quoque illa conclusio temeraria esse videtur. Scriba A enim epigramma non ornasset titulo *τοῦ αὐτοῦ*, nisi eidem poetae tributum id voluisset atque epigrammata praecedentia (VI. 134—143), neque scriba C teste eius nota (*οὐ λείπει ὡς οἶμαι*, cf. infra p. 158) epigramma h.l. novit nisi Anacreonteum; itaque si lacuna arguere videtur inter epp. VI. 143 et 144 epigramma quoddam esse omissum, sumendum

118) *Bergk* PLG. III⁴. 281, *Leo Weber*, Anacreontea (diss. inaug., Gött. 1895) p. 35. — *Wilamowitz* hoc ep. neglexit, cum p. 318 de Simonidea serie VI. 212 sqq., in qua epigramma utpote iam VI. 144 exhibitum omitti solet, dissereret.

119) *Hauvette* p. 133, quamquam ei adeo Stadtmülleri editio praesto erat, lacunam ne novisse quidem videtur neque tituli Anacreontei ceteroquin rationem habuit. Iterum cum de hoc epigrammate disputaret *Bull. de la soc. nat. des antiquaires de la France 1900 fasc. 1 satis habuisse videtur Wilhelmi scriptionem referre. Summa enim eius disputationis Rev. de Phil. 25, 1901 p. 167,25 haec esse perhibetur: 'prouve sinon l'authenticité de l'attribution (sc. epigrammatis *Simonidi*) au moins l'antiquité de l'épigramme quoique le 2e distique de l'Anthologie paraisse d'un interpolateur'. — Antequam *Simonides* Athenis in Siciliam abierit (c. a. 476) ep. conditum esse debere censet *Kirchner* Prosop. Att. II p. 12 n. 9084.

erit id fuisse *Anacreonteum*. Sed de lacunae ratione postea (p. 158 sqq.) videbimus; proficiscendum vero est lacuna interim neglecta a titulorum *dissensu*: epigramma nostrum VI. 144 esse *Anacreonteum*, VI. 213* *Simonideum*.

Cum Meleager Anacreontis epigrammata in Coronam se recepisse testetur (AP. IV. 1,35), et nostrum epigramma ex Corona per Anthologiam Cephalanam in Palatinam pervenisse constituendum est et cetera quae ei praecedant epp. Anacreontea (VI. 134 sqq.). In illa autem serie Anacreontea[120]) observatur ordo alphabeticus, qui uno tantum epigrammate 143 deseritur: 134 *ἡ*, 135 *οὗτος*, 136 *Πρηξιδίκη*, 137 *πρόφρων*, 138 *πρὶν*, 139 *Πραξαγόρας*, 140 *παιδὶ*, 141 *ῥυσαμένα*, 142 *σάν*, *143 εὔχεο*, 144 *Στροίβου*. Quoniam Corona Meleagrea secundum ordinem litteralem non digesta erat (§ 89), necesse est in Sylloge Anacreontea[121]) ipsa epigrammata iam ordine elementari sese excepisse[122]). Unum quod nunc ordinem deserere videtur ep. 143:

εὔχεο Τιμώνακτι θεῶν κήρυκα γενέσθαι
ἤπιον, ὅς μ' ἐρατοῖς ἀγλαΐην προθύροις
Ἑρμῇ τε κρείοντι καθέσσατο· τὸν δ' ἐθέλοντα
ἀστῶν καὶ ξείνων γυμνασίῳ δέχομαι,

id igitur sive in Corona Meleagrea sive in Anthologia Cephalana aliqua de causa — quae postea indicanda nobis est — inter ep. 142 et ep. 144 collocatum est. Nostrum ep., quod illud sequitur, primitus uno absolvebatur disticho:

---

120) Epigramma VI. 145 (in Sophoclem!) *τοῦ αὐτοῦ* C (non A, ut monet Stadtm.) huc non pertinet. Ep., quod in extremis paginae lineis scriptum A titulo ornare neglexerat, C instruxit praecedentium epigrammatum titulo. Cf. § 85. Est Simonideum 181 propter Simonideum titulum nostri epigrammatis VI. 213*.

121) De origine Sylloges Anacreonteae, quae a Meleagro usurpata est, disputare non huius est commentationis. Hoc autem moneo sequi ex iis, quae de antiquo epigrammatis statu disserui § 19, collectionem illam nihil cum Anacreonte commune habere. Quod et alios fugit et L. Weberum in diss. supra n. 118 laud., qui disquirere studuit, quaenam epigrammata Anacreontea certo Anacreontis censenda essent. Quaeritur autem, videaturne haec Sylloge complexa esse epp. omnia quondam lapidi insculpta (VI. 138 = CIA. I. 381) vel saltem donariis destinata (cf. Wilam. Textg. p. 36 n. 4) an genuinis intermixta demonstrativa (cf. Reitzenstein p. 107). Sunt praeterea epp. aliena, quae in Cor. Mel. vel in Anth. Ceph. perperam Anacreontis nomen asciverint, velut VII. 263, quod iure Leonidae reddidit Bergk.

122) Intra hunc ordinem iniuria traxit Stadtmüller ep. praecedens VI. 133 Archilochi (*Ἀλκιβίη*), ut *Meleagreum* fragmentum alphabeticum (epp. 133—142) adipisceretur, complectitur autem series litteralis epp. 134—142, 144. Praeterea vid. infra p. 160.

Στροίβου παῖ, τόδ' ἄγαλμα, Λεώκρατες, εὖτ' ἀνέθηκας
Ἑρμῇ, καλλικόμους οὐκ ἔλαθες Χάριτας,

lapis enim (prioris partis saeculi quinti), in quo epigrammatis reliquias agnovit Wilhelm (cf. § 41,2), altero caret disticho:

οὐδ' Ἀκαδήμειαν πολυγαθέα, τῆς ἐν ἀγοστῷ
σὴν εὐεργεσίην τῷ προσιόντι λέγω.

Quoniam pleraque huius Anacreonteae seriei epigrammata ex uno constant disticho (exceptis ep. primo VI. 134 et ep. VI. 143, quod elementarem ordinem deserere vidimus), probabile est nostrum ep., cum a concinnatore Sylloges Anacreonteae reciperetur, nondum altero disticho fuisse adauctum. Quae suspicio statim certiore argumento confirmabitur.

Ad eam quaestionem, quae est de huius epigrammatis titulis discrepantibus, solvendam, examinandus est alter locus VI. 213*, ubi ep. legitur *Simonidi* attributum. Ibi extat in serie *Simonidea* (VI. 212—217), cuius primum epigramma VI. 212 est Sim. ep. 164, quod consulto totum exhibeo:

εὔχεό τοι δώροισι, Κύτων, θεὸν ὧδε χαρῆναι
Λητοΐδην ἀγορῆς καλλιχόρου πρύτανιν,
ὥσπερ ὑπὸ ξείνων τε καὶ οἳ ναίουσι Κόρινθον
αἶνον ἔχεις χαρίτων, δέσποτα, τοῖς στεφάνοις,

alterum (VI. 213) est choregicum epigramma 145, in quo Simonides quinquaginta sex victorias cyclicas se reportasse professus est, tertium (VI. 213*) epigramma nostrum, quod exhibetur eodem ambitu (duorum distichorum) atque VI. 144.

Nunc mihi utenda est inscriptio choregica CIA. III. 82 *a* p. 484 = Kaibel. (Ep. Gr. Suppl.) Rh. Mus. 34. 1879 p. 202 n. 928 *a* Athenis reperta, aetatis Romanae, quam post imitationem epigrammatis choregici Simonidei 147 (cf. § 131,4), continere nostri epigrammatis imitationem acuta est Wilhelmi p. 232 observatio:

ὃς δὲ σὺν εὐτεχνίῃ τε καὶ] ἀγλαΐῃ τόδ' ἔτευξε[ν
nomen artificis καλλικόμους] οὐκ ἔλαθεν Χάρι[τας.

Supplementum versus 1 dubium Kaibelii est, versus alterius certum Wilhelmi. Miror autem virum cl. latuisse, quae utilitas ex hac inscriptione percipi posset. Quaeritur enim, quid carminis auctorem moverit, ut post inscriptionem *choregicam* ex choregico epigrammate Simonideo 147 expressam, hoc praesertim carmen (VI. 144 = 213*) arriperet ad monumenti artificem celebrandum. Quoniam in AP. nostro epigrammati in serie Simonidea (VI. 213) praemittitur epigramma *choregicum* Simonideum alterum (145), res explicationem habet facilem, si sumimus imitatorem usum esse epigrammatum collectione cum AP. cognata (Coron. Meleagr.), in qua iis temporibus epigrammate Sim. 147 choregico ep. chore-

gicum 145 (VI. 213) et nostrum ep. VI. 213* dirimerentur. Meleager igitur utrumque ep. choregicum Simonideum ex Sylloge Simonidea recepisse videtur, Cephalas autem alterum (147) ex Corona non ascivisse [123]).

Ex hac inscriptione discere possumus, auctorem in Meleagrea Corona ep. nostrum non invenisse in forma duorum distichorum, quam habemus in Anth. Pal. legitque iam in Anth. Ceph. Suidas v. *ἀγοστῷ*, sed uno disticho continebatur, qua forma Sylloges Anacreonteae concinnatorem id accepisse verisimile dicebamus. Etenim, cum imitatio subsistat in iisdem verbis, quibus epigrammatis nostri forma primaria, nullo pacto fieri potest, ut credamus imitatorem novisse huius epigrammatis distichon alterum insiticium.

Cum iam antea (p. 152) viderimus Meleagrum nostrum ep. petivisse ex Sylloge Anacreontea, nunc autem ex inscriptione choregica effecerimus imitatorem id invenisse in Corona Meleagrea post duo choregica epp. Simonidea, necesse est epigramma sicut hodie in Anth. Palatina, ita iam aetate imperatoria in Corona Meleagrea bis lectum esse (in unius tamen distichi forma). Multum autem abest, quin interpolatori nesciocui iterationem deberi credam; nonne Meleager saepius eo consilio epigrammata repetivit, ut nunc auctorem, nunc argumentum respiceret (cf. § 89)? Constituentibus autem nobis iam a Meleagro ipso hoc epigramma bis in epigrammatum serie collocatum esse confitendum est fieri non posse, ut ab eo epigramma ex Sylloge *Anacreontea* arcessitum altero loco *Simonidi* assignatum sit. Ergo titulus *τοῦ αὐτοῦ*, quo epigramma VI. 213* gaudet, in Corona ipsa non spectabat Simonidem (VI. 213), sed epigramma quoddam Anacreontis titulo ornatum; neque Meleager ep. posuit post duo choregica epp. Simonidea, sed in eorum vicinia, unde illuc casu aliquo aberravit [124]). Qui ille locus fuerit iam examinabimus.

Consentaneum est Meleagrum epigramma in seriem Anacreonteam propter *auctorem* receptum iteravisse altero loco propter *argumentum*. Videturne in vicinia epigrammatum Simonideorum choregicorum 145 (= VI. 213) et 147 (= ⟨VI. 213†⟩) extare epigramma, cui sententia quaedam cum epigrammate nostro communis sit? Opinor. Ep. Simonideum 164, VI. 212, quod supra p.

---

123) Aliam epigrammatum in Cor. Mel. vicinorum imitationem habemus in inscriptione Cretensi § 131,1 laudata.

124) Si quis coniciat ante ep. VI. 213* excidisse ep. Anacreonteum, reputet ep. legi in media serie Simonidea. Epp. sequentia VI. 214 sqq., quae etiam titulo *τοῦ αὐτοῦ* muniuntur, ex Syll. Simonidea fluxisse docet textus S (cf. § 138 sq.).

153 excripsi. In utroque epigrammate, dummodo recte interpreteris, de Gratiis monumenti auctori favorem testificantibus sermo est. Epigrammatis nostri (VI. 144 = 213*) interpretationem debemus Wilhelmo p. 231: 'in übertrefflicher Schlichtheit sagt das Gedicht "als du dem Hermes Stroibos' Sohn Leokrates dies Bildnis weihtest, dachten dein die Chariten" und sagt damit alles was zu sagen war. Der Stifter ist genannt, sein Vater und der Gott, dem die Weihung gilt; *und die Zuversicht wird ausgesprochen dem Stifter solle der Dank des Gottes und der ihm zugestellten Chariten nicht fehlen*'. Epigramma autem VI. 212 maximam partem expeditum atque contra virorum doctorum coniecturas defensum est a Wilamowitzio p. 318 n. 1: 'Kyton weiht etwas dem Apollon auf dem Markte in Korinth . . . . was weiht Kyton und wer ist es der ihn anreden kann? Das wird dadurch klar, dass dieser *δέσποτα* zu ihm sagt. So redet ein Sclave. Also hat Kyton dem Apollon das Bild eines Sclaven geweiht'. Haec optime. Alterius vero distichi explicatio mihi non prorsus satisfacit: 'demselben haben die korinthischen Bürger und Metoeken durch Kränze, die sie ihm votiert haben ihren Dank ausgesprochen: *ἐτίμησαν ἐπαίνων χρυσέοις στεφάνοις, ἵνα φαίνοιτο ὁ δῆμος* (*τὸ κοινὸν*) *χάριτας ἀποδιδοὺς τοῖς περὶ αὐτὸν φιλοτίμοις γεγενημένοις*'. Huius autem paraphraseos sententiam extricare non possum ex carminis verbis hisce: *ὑπὸ ξείνων τε καὶ οἳ ναίουσι Κόρινθον* | *αἶνον ἔχεις χαρίτων τοῖς στεφάνοις*. Equidem in hac sententia explananda cum littera maiuscula scripserim *Χαρίτων* 125) atque vocabulum *αἶνον* iunxerim et cum verbis *ὑπὸ ξένων τε καὶ πολιτῶν* (cf. *ἡ ὑπὸ πάντων τιμὴ* Xen. Cyr. III. 3. 2) et cum *Χαρίτων*; locutiones *ἔχεις αἶνον ὑπὸ — πολιτῶν* atque *ἔχεις αἶνον Χαρίτων* eo facilius in unam coalescere potuerunt, quo magis poeta *τὸν τῶν Χαρίτων αἶνον* manifestum factum esse dicere voluit *τῷ τῶν ξένων τε καὶ πολιτῶν αἴνῳ*: 'Gratiae, cum cives peregrinique tibi coronis grates agerent pro donario Apollini dedicato, testificatae sunt se tibi tuaeque dedicationi faventes affuisse'. Servus igitur Cytonem precari iubet (i. e. Cyto precatur ipse), ut Apollo aeque propitio animo servi simulacrum in foro positum accipere velit ac Gratiae, quarum iussu cives coronam ipsi obtulerint, vel ut *Leocratis* epigrammatis utar verbis: *Κύτων τόδ' ἄγαλμα εὖτ' ἀνέθηκας Ἀπόλλωνι, καλλικόμους οὐκ ἔλαθες Χάριτας.*

Nullum iam opinor apud lectores extare dubium, quin *Cytonis* epigramma (VI. 212) fuerit ep., cui propter argumentum repetitum Meleager subiunxerit ep. *Leocratis* (VI. 213*); quod deinde iam

125) Cf. Bergkii coniectura *Χαρίτων ἕσπετ' ὄπις στεφάνοις.*

ante imitatoris Attici aetatem librarii alicuius culpa post duo epp. choregica Simonidea, quibus praecedebat, collocatum est. Quoniam autem vidimus (p. 154) fieri non posse, quin Meleager epigramma iteratum tribuerit Anacreonti, necesse est id aut titulo ipso *Ἀνακρέοντος* munitum fuisse inter duo epp. Simonidea (VI. 212 et 213) aut titulo *τοῦ αὐτοῦ*, *qui respiceret ad titulum ep. VI. 212* *Ἀ ν α κ ρ έ ο ν τ ο ς*. Videtis, quanto hoc sit verisimilius. Etenim sic intellegitur, qui ep., cum post duo epp. Simonidea VI. 213 et ⟨VI. 213†⟩ transpositum esset, *eundem titulum* (*τοῦ αὐτοῦ*), qui nunc tamen Simonidem spectabat, servare potuerit. Itaque sumamus necesse est Cytonis ep. VI. 212 itidem a Meleagro titulo *Ἀνακρέοντος* instructum fuisse, postquam autem ante seriem epigrammatum Simonideorum solum esset relictum, errore in anthologiis proclivi, intra hanc seriem tractum esse. Sed alio quoque argumento lectoribus me persuasurum spero hoc ep. proprie Anacreonti tributum, i. e. ex Anacreontea Sylloge haustum esse (nam de Anacreonte auctore tituli Anacreontei non magis quicquam probant quam Simonidei de Simonide, cf. n. 121). Tam enim arta necessitudo extare mihi videtur inter hoc ep. et aliud ep. a Meleagro ex Syll. Anacreontea arcessitum (VI. 143, vid. p. 152), ut gemella ea dicas, sive ea ab eodem poeta profecta putanda sunt, sive — quod mihi fortasse dabis — alterum (VI. 143) ex altero (VI. 212) imitatione expressum [126]).

Fortunae autem non tribuendum est, quod Meleager ep. VI. 143 contra ordinem litteralem praemisit Leocratis epigrammati eo loco, quo hoc propter auctorem (Anacreontem) receperat (VI. 144), illius autem epigramma gemellum (VI. 212) eidem epigrammati Leocratis, quo hoc propter argumentum posuerat (VI. 213*, proprie *ante*

---

126) Exordium *εὔχεο* utrique epigrammati commune est. Hexametri prioris divisio fere eadem in utroque: 212: *εὔχεό | τοι δώροισι | Κύτων*; 143: *εὔχεο | Τιμώνακτι | θεόν*. In utroque ep. eadem fere versus primi sede leguntur *θεὸν* et *θεῶν*. In v. 2 in altero ep. ultima vox est *π ρ ύ τ α ν ι ν*, in altera *π ρ ο θ ύ ρ ο ι ς*. — Imperativo *εὔχεο* (212) dedicatorem, dominum Cytonem, servus alloquitur, eodem vero imperativo in ep. 143 herma non Timonactem, sed eos, qui gymnasium adeunt, appellat. Tum prodit imitatorem ea res, quod *θεῶν κήρυξ* versus primi nominatim indicatur tertio versu; recte in ep. 212 non explicatur, quis sit *θεὸς Λητοΐδης*. (Idem imitationis indicium invenitur in ep. Sim. 135.) Cives peregrinique iure comparent in Cytonis epigrammate, cui *ξεῖνοί τε καὶ οἳ ναίουσι Κόρινθον* coronam obtulerunt. At mera formula est (cf. Kaib. ep. 487, AP. VII. 35) *τὸν ἐθέλοντα ἀστῶν καὶ ξείνων* in ep. 143. Quod Apollo in ep. 212 vocatur *ἀγορῆς πρύτανις*, id auctori epigrammatis 143 occasionem dedit commemorandi *πρόθυρα*, in quibus hermae collocati dicuntur et alibi (cf. Preg. 119) et in ep. Simon. 159. Epitheton nihili est *ἐρατά*. Miror me horum epigrammatum necessitudinem apud neminem indicatam invenisse.

VI. 213 collocatum). Meleager enim ideo ep. VI. 143 — quod propter litteram initialem ante ep. VI. 134 collocandum erat —, posuisse videtur ante ep. VI. 144, ut eidem Anacreonteo epigrammati VI. 213* epigramma Anacreonteum argumento arte cognatum praecederet (VI. 212), VI. 144 vero huius epigrammatis Anacreontei gemellum (VI. 143).

Interpolator, qui nostro epigrammati distichon alterum adiunxit, unde materiem quaesiverit, nunc in aperto esse puto. Scilicet ex ep. VI. 143, quod praecedebat, quod et ipsum hermae inscriptum fuerat. Cum hic vero herma in *gymnasio* quodam statutus esse diceretur, Leocratis hermam in *Academia* positum fuisse finxit. Distichon insiticium altero quoque loco epigrammati, ubi id repetebatur, apposuit. Itaque constat integrum epigramma nihil habere commune cum *Academia*, in qua hermam quondam stetisse, etsi alterius distichi rationem bene habebant perspectam, negare noluerunt Wilhelm Jahresh. III. 1900 p. 98 n. 6 [127]) et Bormann VI. 1903 p. 247. Neque mirum est, quod lapis non Athenis, sed in media Attica est inventus [128]).

De eorum opinione, qui antea Simonideum titulum atque adeo Simonideam auctoritatem tuebantur loco Quintilianeo XI. 2. 11 (*cuius* [sc. Simonidis] *vulgata fabula est*, *cum pugili coronato carmen*, *quale componi victoribus solet*, *mercede pacta scripsisset*, *abnegatam ei pecuniae partem*, *quod more poetis frequentissimo digressus in laudes Castoris ac Pollucis exierat. . . . . est autem magna inter auctores dissensio*, *Glaucone Carystio*, *an Leocrati*, *an Agatharcho*, *an Scopae scriptum sit id carmen*), non multis verbis opus est; nam Simonidei tituli origo Meleagro est posterior.

Restat [129]), ut dicamus de interpolationis aetate (sitne ante an post Cephalam facta; eam novisse Suidam iam monui) et de lacunae ratione atque origine. De hac quaestione prius dicam, quoniam nobis apparebit ea soluta etiam alterius solutioni locum dari.

Lacunae rationem non recte diiudicare poterimus, nisi spectave-

---

127) Hermam Athenis positum fuisse (cf. ann. seq.) atque inde postea ablatum fuisse iure negaverat Wilhelm (Jahresh. 1899 p. 234). Hanc optimam sententiam retractavit v. cl. loco supra laudato: 'die Möglichkeit ursprünglicher Aufstellung der Herme in der Akademie und spätere Verschleppung hatte ich S. 234 doch nicht abweisen sollen'.

128) Wilhelm p. 234: 'in der Gegend von Angelisi (Hagia Triada) nordöstlich von Markopulo in der attischen Mesogeia, s. Milchhöfers Text zu den Karten von Attika III—VI. 10'.

129) Seriei epigrammatum VI. 212, 213, ⟨213†⟩, 213* casus uno conspectu comprehendam § 100, ubi de fragmento Simonideo Palatino VI. 212—217 dicam.

rimus omnes lacunas, quas versuum seriem in codice Palatino dirimere novi:

1) lacunam nostram sex lineas occupantem ante ep. VI. 144 in cod. pag. 166, ascripta est nota Correctoris *οὐ λείπει ὡς οἶμαι οὐδὲ ἐνταῦθα*, qua respicit notam suam ad
2) lacunam itidem sex linearum spatium explentem ante ep. VI. 126 in cod. pag. 164, *οὐ λείπει ὡς οἶμαι* (A marg. ext. *ζτ* scr.);
3) lacunam septem linearum ante ep. VI. 158 in cod. pag. 168, C annotavit *ζτ στίχχ ἕνδεκα* (pro *ἑπτα*, opinor, errore).
4) lacunam trium linearum inter epigrammatis V. 4 primum ac secundum distichon in cod. pag. 88; nunc vero in cod. lacuna expletur disticho secundo ac tertio eiusdem epigrammatis a manu J exaratis; quo factum, ut iidem versus bis deinceps in cod. legantur [130]).

Vix dubitari potest, quin omnibus quattuor locis versuum ordinis intermissio epigrammatis cuiusdam remoti sit indicium. Quamquam lacuna 4ª, quae est in *medio* epigrammate, huic sententiae obstare videtur. Huius vero lacunae mirum locum me infra explicaturum esse lectoribus promitto. Necesse autem est, ut constituamus scribam A non ipsum ex illis locis epigramma quoddam eliminavisse, sed ea iam eliminata invenisse in codice, quo usus sit; nam scriba C indicare non potuit, quodnam quoque loco intercidisset epigramma (fortasse sumendum est librarium, qui codicem [131]), quem C in correctione adhiberet, exaraverit, lacunam neglexisse).

Itaque iam ante codicem Palatinum conscriptum atque adeo iam ante codices, quibus A et C usi sunt, exaratos ex epigrammatum serie illis quattuor locis epigramma quoddam evanuit *in Anthologiae Cephalanae* quodam codice, ex quo manuscripta ab A et C usurpata derivata sunt. Iam quaeritur, num fuisse videatur occasio, qua ex *Cephalana Anthologia* epigrammata aliquot exsecarentur.

Demonstrare conatus sum § 94 epigrammata 31 variis metris conscripta, quae Stratonis Musam Puerilem (AP. XII) in codice Palatino consequantur, post Cephalam demum ex Anthologia

---

130) Pluresne sint lacunae in AP. quam quattuor illae nescio. Sed vel hae nostro usui sufficiunt.

131) Scribis codicis Palatini plura Anthologiae Cephalanae exemplaria praesto erant. In septimi libri correctione C non minus quam tribus deinceps usus est, quorum primum fuit exemplar Michaelis *Χαρτοφύλακος* s. Archivarii, qui teste nota Correctoris cod. p. 273 ad ep. VII. 432 *ἐπιγράμματα . . . . ἰδιοχείρως αὐτὸς ἔγραψεν ἐκ τῆς βίβλου τοῦ Κεφαλᾶ* (cf. Stadtm. II p. XII). In sexto igitur libro emendando C eodem codice usum esse, quo A, constituere non necesse est. Mihi vero prorsus non certum est eum adhibuisse in hoc quoque libro Michaelis exemplar (quae Stadtmülleri opinio est I p. VI).

Cephalana selecta esse atque in peculiari sylloge (AP. XIII) composita; cuius conquisitionis cum vestigium cerni in libro XIII ipso tum in septimi AP. libri epigrammatum calculo nonnumquam confuso. Fierine potest, ut lacunas quoque illas ad originem libri XIII referamus, ita, ut concinnator ex illis locis (vel ex eorum vicinia, cf. infra) epigramma quoddam, quod in variorum metrorum syllogen reciperet, desumpsisse videatur?

Ac revera in 31 illis libri XIII epigrammatis facili negotio indicari possunt epigrammata, quorum omissorum vestigia sunt lacunae 2ª (post ep. VI. 125), 3ª (post ep. VI. 157), 4ª (post ep. V. 4, 2). Illa (2ª) lacuna extat in medio fragmento Meleagreo (VI. 109—157); in epigrammatis circumiacentibus 121 Callimachi, 122 Niciae, 123 Anytes, 124 Hegesippi, 125 Mnasalcae, [seq. lac.], 126 Dioscoridis, 127 Niciae, 128 Mnasalcae etc. deo alicui arma (pharetra, arcus, clypeus, hasta) a milite aliquo dedicantur (cf. de Meleagreorum fragmentorum compositione § 89). Unicum libri XIII epigramma huic loco aptum est ep. XIII. 7 Callimachi, quo Lyctius (*Cretensis*) quidam, nomine Menoetas, Serapidi arcum et pharetram obtulit; huius praeterea epigrammatis gemellum legitur in serie illa Meleagrea VI. 121, quod est Callimachi in arcum ab Echemma quodam *Cretensi* Dianae consecratum. Cf. ep. Hegesippi VII. 276, cuius gemellum in AP. XIII (12) translatum esse videtur (cf. § 94). De loco Callimachei epigrammatis XIII. 7 in libro VI praeterea vid. infra.

Epigrammata, quae lacunae 3ªᵉ (post ep. VI. 157) proxime praecedunt, sunt poetarum Meleagreorum Anytes (VI. 153), Leonidae (154), Theodoridae (155—157); itaque non erraveris constituens epigramma libri XIII, quod ex hac serie amotum sit, esse ep. dedicatorium Theodoridae XIII. 8.

Lacuna 4ª, quae est post primum distichon epigrammatis V. 4, invenitur in parvo fragmento epigrammatum amatoriorum Philippeo (V. 2 Antip. Thess., 3 Philodemi, 4 Statyllii Flacci). Quoniam unum tantum in libro XIII est epigramma Coronae Philippeae idque amatorium (XIII, 1 Philippi), probabile est propter hoc epigramma dimissum lacunam esse ortam. Cum praeterea hoc ep. primum fuisse videatur, quod ex Anth. Ceph. eliminari posset, et revera libri XIII primum sit, deinde et in eius exordio (*χαῖρε θεὰ Παφίη*) et in ep. V. 3 versu ultimo (*τῆς Παφίης ἴσθι τὰ λειπόμενα*) Venus eodem celebretur epitheto, certum videtur ep. XIII, 1 in hac serie Philippea apud Cephalam lectum esse. Fieri autem non potest, ut hoc ep. apud Cephalam extiterit in medio epigrammate V. 4. De primario loco statim videbimus.

Cuius vero epigrammatis segregati vestigium esse videtur lacuna

1ᵃ, ad quam explicandam in lacunarum rationem instituimus inquisitionem? Scilicet alicuius epigrammatis Anacreontis, versamur enim in serie Anacreontea. Estne inter epp. libri XIII ep. Anacreonteum? Est idque unius distichi (cf. supra p. 153) XIII. 4:

Ἀλκίμων σ', ὦ 'ριστοκλείδη, πρῶτον οἰκτίρω φίλων·
ὤλεσας δ' ἥβην, ἀμύνων πατρίδος δουληΐην.

Sepulcrale sane est carmen, sed quin in serie Anacreontea in libro ceteroquin epigrammatum donativorum lectum sit, non est, quod dubitemus; conferantur epp. *dedicatoria* Laertiana inter epigrammata Laertiana in libro VII (cf. § 73 n. 74), ep. VI. 348 quod inter sepulcralia expectares, denique quae infra de loco, quem primitus in serie Anacreontea occupasse videtur hoc epigramma, disputata sunt.

Quoniam autem vidimus supra p. 152 ordinem Anacreonteum secundum ordinem litteralem digestum esse eumque unice perruptum esse a Meleagro epigrammate VI. 143, ut epigrammati Leocratis utroque loco (VI. 144 et VI. 213*) epigramma consimile praemitteret, fieri non potest, ut Anacreonteum ep. XIII. 4 illo loco in Cephalana Anthologia lectum sit, quo nunc in Palatina lacuna invenitur. Necesse est epigramma (Ἀλκίμων) ordinem alphabeticum aperuisse; itaque apud Meleagrum atque Cephalam legebatur ante ep. VI. 134 (igitur 24 versibus ante lacunam), ubi id optime se habuisse post Archilochi ep. VI. 133, quod est in velum Iunoni dedicatum ab Alcibia, quivis videt.

De hac discrepantia inter locum lacunae in Anth. Pal. et locum, quem ep. omissum in Anth. Ceph. occupasse videtur, non est, quod miremur. Nonne iam vidimus fieri non posse, ut ep. Philippi XIII. 1 (vel adeo quodvis epigramma) exciderit inter primum et secundum distichon epigrammatis V. 4. Immo in Cephalana legebatur ep. illud ante ep. V. 4, 1 (igitur 2 versibus ante spatium), post ultimum versum ep. V. 3, cui epitheton Veneris cum primo versu ep. XIII. 1 commune est. Neque iam probabile est ep. Callimachi XIII. 7 lectum esse inter epp. 125 et 126 (in mediis epigrammatis in clypeos dedicatos), sed post gemellum VI. 121 (igitur versibus 18 ante lacunam).

Qui hoc epigrammatum lacunarumque discrimen explicari potest? Sic opinor. Cum Anth. Cephalana, omissis in epigrammatum serie iis epigrammatis, quae in codice subiecto inducta erant utpote in peculiari sylloge composita, primum describeretur, librarius eam exaravit in codice, qui singulis paginis tot continebat lineas, quot codex ille subiectus. Librarius igitur ille haud leve auxilium inde se percepturum ratus, si quamque paginam eodem incoharet versu,

qui in exemplari illo adhibito in cuiusque paginae capite legeretur, tot lineas pro epigrammate quoque eliminato vacuas reliquit, quot versus complectebatur; nec vero hoc fecit eo loco, quo epigramma transmissum ponendum erat, sed ante eum versum, qui primus esset in nova pagina. Quo factum, ut lacuna semper extremas paginae lineas occuparet, neque solum non suo loco compareret, sed adeo in medium epigramma devenire posset. In manuscriptis recentioribus, quorum paginae plures quam illi codices versus amplectebantur, lacunae non iam in paginarum calce erant neque suum linearum ambitum servabant, quippe nescirent homines, quorumnam epigrammatum neglectorum eae essent indicia. Huius suspicionis rationem lectoribus me probaturum posse puto.

Si ea, quae dixi, rata sunt, necesse est versum, qui quamque in AP. lacunam sequatur (V. 4,3; VI. 126,1; 144,1; 158,1), cum in primo codice tum in secundo scriptum fuisse in *nova* pagina. Cum autem inter versus VI. 126,1 et 144,1 intercedant tantum versus 56 ($6 + 6 \times 4 + 2 + 4 + 8 \times 2 + 4$), probabile est haec epigrammata extitisse in *subsequentium* foliorum paginis rectis sive versis. Singulae illorum codicum paginae igitur continebant versus ($56 + 2$ [sc. ep. XIII. 4]) $: 2 = 29$. Et revera versus V. 4, 3 primus fuisse videtur in altera codicis pagina, prima enim complectebatur titulum libri (1) + prooemium Cephalae (3) + epp. V. 1—3 (3×6) + ep. V. 4, 1—2 (2) + ep. XIII. 1 (5) = versus 29. Moneo in codice Palatino singulis paginis legi versus 33—35.

Nunc videamus, quot versibus quarta lacuna (post VI. 157) abesse videatur ab ea, quae est post VI. 143: $4 + 2 + 4 \times 4 + 2 + 3 \times 4 + 8 + 6 + 2 \times 4 = 58$. Nonne numerus mire convenit? Itaque ep. VI. 158 duabus paginis post ep. VI. 144 et quattuor post ep. VI. 126 in nova pagina scriptum erat. At versuum summam non 58, sed 56 expectaveras, nam in archetypo insuper legebatur ep. *duorum* versuum XIII. 7. Itaque post hoc epigramma dimissum uni alterive epigrammati *duo* versus accesserunt. Cui epigrammati? *Scilicet epigrammati Leocratis VI. 144*, cuius alterum distichon insiticium auctor inscriptionis choregicae aetatis Romanae nondum novit, novit Suidas. Hac denique ratione demonstravimus interpolationem alterius distichi epigrammatis VI. 144 = 213* Cephala esse posteriorem [132]).

---

132) Quattuor illorum epigrammatum eliminatio non conspicitur in numeris epigrammati decimo cuique librorum quinti et sexti appositis (cf. Stadtm. I p. 223 et 419); in septimo vero libro calculorum confusionem nonnumquam ex epigrammate aliquo remoto explicari posse monui § 94. Haec res fortasse inde

§ 92. *De ep. AP. VII. 187 Philippeo = VII. 344* Simonideo.* Ep. VII. 187:

ἡ γρηῢς Νικὼ Μελίτης τάφον ἐστεφάνωσε
παρθενικῆς. Ἀίδη, τοῦθ' ὁσίως κέκρικας;

titulo *τοῦ αὐτοῦ* C munitur post *Philippi* ep. VII. 186, repetitur autem VII. 344* eodem titulo instructum *τοῦ αὐτοῦ* C inter epp. VII. 344 *a* in adulescentem Leontem (*Simonidis*) et VII. 345 in Philaenidem meretricem, quae anus facta est, de cuius epigrammatis titulo *ἀδέσποτον οἱ δὲ Σιμωνίδου* me h. l. disputaturum esse dixi § 86. Apud Planudem ep. VII. 345 sequitur itidem post VII. 344* (= VII. 187) in serie *εἰς γέροντας* (III^a^. 10. 3 sq.); unde apparet Planudem sumpsisse ep. VII. 187 = 344* non ex illo sed ex hoc loco Cephalano. Ille autem neutrum ep. Simonidi tribuit; ep. VII. 344* (III^a^. 10. 3) Leonidae inscribitur, ep. 345 (III^a^. 10. 4) *ἀδέσποτον* est.

Ad horum titulorum rationes constituendas examinandus est titulus epigrammatis, ad quod ep. VII. 344* *τοῦ αὐτοῦ* refertur. Praecedit in AP. huic epigrammati Simonideum ep. 110 *a* i. e. epigrammatis 110 distichon prius (*θηρῶν μὲν κάρτιστος κτλ.*) VII. 344 *a* [133]) titulo ornatum *Σιμωνίδου* C. Idem epigramma extat apud Planud. III^b^. 4. 9 eodem titulo instructum *Simonideo.* Sequitur autem apud Plan. deinceps III^b^. 4. 10 epigramma Simonideum 110 *β* i. e. epigrammatis 110 distichon alterum (*ἀλλ' εἰ μὴ θυμόν γε Λέων κτλ.*) munitum titulo *τοῦ αὐτοῦ* i. e. *Σιμωνίδου.* Legitur sane hoc quoque distichon in cod. Pal., at mirum in modum non excipit ep. VII. 344 *a*, sed post ep. VII. 350 in eadem pagina (257) ultimas lineas occupat [134]) neque Simonidi sed *Callimacho* (C) tribuitur. Signari solet numero VII. 344 *b*. Quaeritur igitur, num haec discrepantia inter Planudem atque Anth. Pal. cum altera, quam supra tetigimus, quodammodo cohaereat, atque num his in titulis Planudea traditio Palatinae praestare videatur.

Demonstrari potest apud Cephalam ep. 344 *b* excepisse ep. 344 *a*. Etenim a C ascriptus est libri septimi epigrammati decimo cuique numerus, usque ad ep. 497 (= *φ* = 500), ubi novum codicem correctioni adhibere coepit: quam computationem non Correctori

---

explicatur, quod in libris V et VI C ipse numeravit epigrammata (fortasse quia exemplar adhibitum numeros appictos non habebat, cf. § 92 n. 135), in libro VII (sc. in parte priore) eos ex codicibus usurpatis (Michaelis exemplari et alio quodam codice) desumpsit.

133) Epigrammatis numero vulgari 344 addidi litteram *a*.

134) Ab A, non a C scriptum, ut ante Stadtm. perhibebatur.

ipsi deberi, sed ex exemplaribus subiectis (VII. 1—432 ex manuscr. Michaelis Chartularii, 432—497 ex altero msc.) propagatam esse docuit Stadtmüller [135]). In illo Michaelis exemplari C numerum TN = 350 appictum invenerat epigrammati, quod in vulgari ordine est 348um. Litteram M = (T)M = 340 igitur appositam expectaveras epigrammati, post quod ep. 348 decimum est i. e. ep. VII. 340: intercedunt enim inter hoc et illud epigramma epp. novem 341—343, 344 *a*, 344 *b*, 344*, 345—347. Extat autem numerus M ad ep. praecedens VII. 339; ergo aut duo epp. pro uno computata videntur, aut unum ep. temere neglectum. Stadtmüller rem sic solvere voluit (II p. XIII et ann. ad p. 234, 5), ut statueret Correctorem non praetermisisse ep. 344 *b*, quod in AP. post ep. 350 in nova decade legitur, in qua revera neglectum est (τξ = 360 enim ascr. est ad ep. 358 post τν = 350 ad ep. 348). Quae ratio non constat. Tum enim epigrammati VII. *347* apponi debuerat numerus TN = 350. Neglexit autem v. cl. ep. VII. 344* = VII. 187, quod in editionibus ante ep. 345 iterari non solet. Revera igitur undecim epp. in Michaelis exemplari pro decem numerabantur; quod fieri non potuit nisi duobus epigrammatis in calculo pro uno habitis. Hoc unice usu venire potuit in epigrammatis iam argumento arte conexis 344 *a* atque 344 *b*; ergo apud Michaelem, qui ipso Cephala usus erat, ep. 344 *b* legebatur post ep. 344 *a*.

Computationem autem epigrammatum non Chartularii ipsius esse, sed ad Cephalam ipsum recurrere hisce duobus argumentis probari puto: primum, quod non solum illius Anthologiae Cephalanae exemplar, sed etiam alterum, quo C usus est, numeros decadum ascriptos habebat, deinde, quod hanc ipsam epigrammatum seriem Cephalanam apud Michaelem non undecim sed duodecim epp. complexam esse, cum epigrammati 345 adiunxisset ep. VII. 450 in Philaenidem quandam cognominem, testatur Corrector (cf. Stadtm. p. XV; p. 232 in ann. ad p. 231,5; p. 314 ad p. 313,7 sqq.). Cuius epigrammatis cum ratio habita non sit in eius exemplaris decadum numeris, sequitur Michaelem non ipsum instituisse computationem, sed Cephalae numeros transtulisse in suum exemplar, quos Corrector denuo codici Palatino ascripsit. Itaque iam apud Cephalam pro uno epigrammate epp. 344 *a* atque 344 *b* sunt habita. Quod non fieri potuit, nisi hoc illud sequeretur atque utrumque

---

135) II p. XII: 'duo priores hi codices a C usurpati ad epp. appositos habebant decadum numeros, qui a Correctore in Palatinum translati sunt; inde ab ep. 497 desunt litterae decadum indices, ut tertium illud Correctoris exemplar iis caruisse videatur'. De numeris librorum V et VI iam monui supra n. 132.

eidem poetae esset tributum; cui revera haec epp. inscripta invenisse vidimus Planudem [136]).

Ordo ergo epigrammatum 344 *a*, 344 *b*, 344*, 345

erat in Anth. Cephalana:	*est in Anth. Palatina:*
a. ep. 344 *a*: Σιμωνίδου	*a.* ep. 344 *a*: Σιμωνίδου
b. ep. 344 *b*: τοῦ αὐτοῦ	
c. ep. 344* : Λεωνίδου	*c.* ep. 344* : τοῦ αὐτοῦ
d. ep. 345 : ἀδέσποτον	*d.* ep. 345 : ἀδέσποτον οἱ δὲ Σιμωνίδου
	sequuntur epp. 346—350
	b. ep. 344 *b*: Καλλιμάχου (in ultimis pag. 257 lineis).

Ordo titulique igitur demum in codice Palatino ipso confusi sunt. Cuius rei quae causa sit, in propatulo esse puto. A enim epigr. 344 *b* omisisse videtur post 344 *a*, errore autem in tempore animadverso epigramma in duabus ultimis paginae lineis posuit. Post eum autem manuscriptum erat tractandum ab L, ut lemmata apponeret, ab C, ut textum corrigeret auctorumque titulos ascriberet. Scribam L error ab A commissus non effugit. Postquam spatium marginale iuxta ep. 344 *a* implevit lemmate εἰς Λέοντά τινα ὃν | ἐφρούρει λέων μαρμάρινος, ante ep. 344 *b* lemma rescripsit fusius, cum ei maius praesto esset spatium nullo epigrammate in hac pagina sequente: εἰς Λέοντά τινα | ὃν λέων ἐπὶ τοῦ | λάρνακος ἔσκεπε | λίθινος.

Correctorem vero epigrammatis 344 *b* transpositio latuit. Postquam epigrammati 344 *a* titulum Σιμωνίδου adiunxit, titulum τοῦ αὐτοῦ, qui pertinebat ad ep. 344 *b*, tribuit eiusdem ambitus epigrammati 344*. Sequebatur in Palatino codice ep. 345 iam ipsa metri varietate versibusque brevioribus (choliambis) ita inter dactylica carmina conspicuum, ut C, quamquam in antecedentibus titulos errore mutaverat, statim hoc carmen in Michaelis exemplari ἀδέσποτον significari videret. Quid tum? Restabat carmine destitutus epigrammatis 344* titulus Λεωνίδου. Quod nomen iuxta ἀδέσποτον illud ex coniectura epigrammati 345 additum arbitratus recipiendum non duxit. Si quaerendus esset poeta, alius ei praesto erat, idem scilicet, cui praecedens ascripserat epigramma 344*, in quo et ipso de anu fuerat sermo, sc. *Simonides*. Suo marte igitur titulum ἀδέσποτον auxit sua ipsius coniectura οἱ δὲ Σιμωνίδου; quali titulo eum ornasse iam vidimus ep. VII. 431, cf. § 87. Epigrammatis deinde tractatis 346—349 [137]) in ultimis quattuor

---

136) De epigrammatum computatione praeterea vid. § 94.

137) Ep. 346 titulo caret (etiam ap. Plan.); de epigrammatum Simonideorum 347 sqq. titulis cf. § 84. De epp. 346 et 347 lemmatum confusione vid. ap.

paginae lineis restabant duo disticha sc. ep. 350 + ep. 344 *b* (ab A huc relegatum); inter quorum lemmata nunc legitur titulus *Καλλιμάχου*. Qui unde? Quid, quod hic titulus erat epigrammatis 350? Etenim Corrector, cum unus titulus ei praesto esset, duo autem restare viderentur epigrammata, non dubitasse videtur, quin duo illa disticha, quorum alterum praeterea a particula adversativa *ἀλλὰ* incipiebat, pro uno epigrammate habenda essent eoque titulo ornanda, quo in Michaelis exemplari instructum erat distichon prius. Quod alteri disticho non tribuit titulum epigrammatis sequentis VII. 351 (Dioscoridis), id explicatur cum eo, quod hoc ep. legitur in nova pagina, tum quod quinque complectitur disticha. Callimacho, cuius nomine in editionibus unum ep. 344 *b* ornatur, Corrector cum hoc ep. tum ep. 350 (in editionibus titulo carens) instruxit, ergo vindicare possumus hoc ep. (VII. 350):

ναυτίλε, μὴ πεύθου τίνος ἐνθάδε τύμβος ὅδ' εἰμί,
ἀλλ' αὐτὸς πόντου τύγχανε χρηστοτέρου,

quod non solum prorsus convenit cum concisa dicendi ratione brevium epigrammatum Callimacheorum [138], sed etiam sententiam continet, quae redit in alio epigrammate Callimachi VII. 272,4 sqq. (ep. 18 Wil.):

. . . . . *ἐγὼ δ' ἄλλως οὔνομα τύμβος ἔχων*
κηρύσσω πανάληθες ἔπος τόδε· 'φεῦγε θαλάσσῃ
συμμίσγειν ἐρίφων, ναυτίλε, δυομένων'.

Plan. III^b. 19. 8 titulum nullum addidit (cf. § 107). Lemmatistae titulum *ἄδηλον ἐπὶ τίνι* non auctorem spectare, sed naufragi nomen esse ignotum monere, iure observat Stadtmüller.

Redeo ad epigrammatis VII. 187 (Philippi) = VII. 344* (Simonidis) repetitionem, a qua profectus sum. Huius tituli Simonidei prorsus aliam esse rationem vidimus atque eius, quo perperam muniuntur epp. iterata XI. 9* (§ 90) et VI. 213* (§ 91). Nam nostrum ep. in codice Palatino demum errore scribarum A et C accepit Simonideum titulum; cui non cessit — quod tamen expectaveras — auctoris nomen (Philippi), quo epigramma altero loco VII. 187 ornatur, sed titulus ab illo diversus (Leonidae) a Planude servatus. Itaque extra huius disputationis fines est quaerere, uter primarius epigrammati locus sit; dirimere, utrum Cephalas epi-

---

Stadtm. Quod ep. 346 in Simonideam seriem apud Lasc. (Ir. p. 94, cf. § 120) receptum est, neque epigrammatum antecedentium neque sequentium debetur viciniae: apud Plan. nempe (III^b. 1.1 sq.) praecedebat ep. Simonideum AP. VII. 302.

138) Cf. VII. 317 (ep. 4 Wil.), 318, 415 (ep. 35), 451 (ep. 9), 523 (ep. 60). Callimacho vindicandum puto ep. eiusmodi X. 105, quod perperam in AP. Simonidis auctoritatem adeptum est (ep. 122). Cf. alt. h. comm. p.

gramma ut Philippeum in Philippea Corona an ut Leonideum in Meleagrea invenerit nostra tantum interest, quod ad epigrammatis originem constituendam attinet.

Hae quaestiones aeque alteri huius commentationis parti reservanda sunt atque ea, quae est de fide Cephalanae epigrammatum 344 *a* + *b* traditionis. Ut vero commemorem, quibus vicissitudinibus iam ante Cephalam haec epp. obnoxia fuisse quaeque causae confusioni occasionem dedisse videantur, in praesens moneo meo iudicio ante Cephalam titulo *τοῦ αὐτοῦ* errore ad alterum distichon apposito ex uno epigrammate duo epp. (344 *a* et *b*) orta esse — Cephalam nihilominus pro uno epigrammate ea computasse vidimus —; hoc vero duorum distichorum epigramma a Meleagro non petitum esse ex Sylloge Simonidea, sed auctorem habere Antipatrum *Sidonium* (*A. ΣΙΔΩΝΙΟΥ*, cf. § 82 n. 103); a cuius dicendi ratione non alienum esse ep. 344 *b* (nostri ep. distichon alterum) iam animadvertit Stadtmüller, qui vero ep. 344 *a* (nostri ep. distichon prius) Simonidi non abiudicavit. Praeterea vid. in alt. h. c. parte.

§ 93. *De ep. VII. 20 (= 180 B.) a C iterato.* Ep. VII. 20, quod A titulo *Σιμωνίδου* instruxit, C iteravit in margine inf. pag. cod. Pal. 213 post ep. VII. 37,5 titulo diverso *ἀδέσποτον* ornatum. Haec repetitio non Correctori ipsi debetur, sed Michaeli Chartulario, ut demonstravit Stadtmüller II p. XV: 'iteravit C epp. libri VII ab A scripta decem *20*, 77 et 516 [de his cf. § 58], 364, 450 [cf. supra p. 163] *et quae seq.* . . . . scripsitque haec omnia in ea codicis parte, cui emendationem ex Archivarii libro adhibuit, novem priora ideo, ut quae eiusdem argumenti epp. vel in eosdem scripta extarent in Cephalana dispersa, lectoribus iuncta proponerentur'. Titulum autem *ἀδέσποτον* sive Michaelis vel Correctoris neglegentiae sive ei rei, quod epigrammatis in Sophoclis mortem potius auctorem incertum quam Simonidem indicarent, tribuendum esse docet consensus scribae A et Planudis. Iniuria igitur Stadtmüller titulum C epigrammatis iterati recipiendum duxit in locum tituli Cephalani (A = Pl.), qui ad verum epigrammatis poetam eruendum — Antipatrum *Sidonium* opinor — occasionem dare potest.

§ 94. *De Anthologiae Palatinae libro XIII.* Vix quisquam hodie negat, opinor, id, quod primum demonstravit Wolters Rh. Mus. 38. 1883 p. 109 sqq., Cephalanam Anthologiam septem tantum libros complexam esse, qui convenirent libris Palatinis V—VII, IX—XII, quibus praecessisset prooemii vice liber IV Meleagri Philippi Agathiae prooemia continens. Sternbach Melet. Gr. I. 1886 p. 18 sq. sane oblocutus est Woltersio; sed huius viri docti

ratio, qua constituere studuit praeter lib. IV ad Cephalanam Anthologiam pertinere eam tantum Anth. Pal. partem, cuius textus a scribis A et J exaratus esset (usque ad IX. 563), fundamento nititur vitioso. Mitto quod condicionem, quae est inter scribas A, J, B, non recte intellexit; quod autem imprimis ei argumento est, Suidam diligentem Cephalanae Anthologiae usuarium tantum intra fines commemoratos laudare huius Anthologiae epigrammata, redarguitur eo, quod — nescio an id nondum observatum sit — Suidas pro parte tantum excerpsit Anth. Cephalanam; post ep. VII. 244 maxime duodecim respexit epigrammata, cum inde ab initio libri Cephalani I (= AP. V) usque ad illud ep. perlustrasse videatur epigrammata omnia (cf. § 111).

Quodsi iure Stratonis Musa Puerilis (XII) ultimus Cephalanae Anthologiae liber habetur, nobis quaerendum est, unde propagata sint epigrammata *Simonidea*, quae leguntur in libro XIII, quidque horum epigrammatum titulis Simonideis tribuendum sit. Hac de causa in universum de origine libri AP. XIII, qui continet epigrammatum variis metris conscriptorum seriem, est videndum. Duae de ea, quantum scio, extant opiniones, quarum altera Woltersii prorsus reicienda mihi videtur, altera Wilamowitzii aliquatenus immutanda. Wolters (p. 113) non dubitavit, 'quin haec epigrammata (sc. libri XIII) omnia aut eo consilio congesta sint, ut scriptionem aliquam περὶ ποιήματος illustrarent, aut quod (ei) verisimilius videtur, ex tali libro excerpta'. Metricum huius operis auctorem vixisse putavit optimo tempore, quoniam nullum epigramma ipsi videtur saeculo ante Chr. n. tertio recentius. Epigramma enim primum (XIII. 1), ut sententiam suam tueretur, non a Philippo Thessalonicensi, quem ex titulo Φιλίππου auctorem esse arbitreris, confectum esse censuit [139]. Wilamowitz Herm. 20. 1885 p. 62 n. 1 Woltersii opinionem reiecit his verbis: 'dass jemand eine Sammlung ἐκ διαφόρων μέτρων auf Grund unserer Anthologie (in einem nach Philipp, vor Kephalas liegenden Stadium) angelegt habe, und davon ein dürftiges Excerpt in die Sammlung des Palatinus gelangt sei, scheint nicht befremdlich'.

Haec Wilamowitzii ratio duabus in rebus corrigenda mihi videtur: 1) quod libri XIII epigrammata non ex fontibus Cephalae sed *ex Cephalana Anthologia ipsa* desumpta esse puto; 2) quod librum XIII non ex maiore epigrammatum variis metris conscriptorum serie excerptum sed *integrum* esse arbitror.

Antequam huius opinionis argumenta afferam, necesse est demonstrare librum XIII quodammodo cognatum esse cum Anth.

---

139) Hoc est ep., de quo iam dixi supra § 91 (supra p. 159).

Cephalana vel cum eius fontibus. Quod eo probatur, quod, in hoc libro leguntur epp. quaedam, quae itidem in Cephalae fontibus lecta esse constat vel probabile est. Pausaniam (§ 65) enim in Corona Meleagrea invenisse verisimile duximus ep. XIII. 16 eodem, quo nunc ornatur, titulo *ἀδέσποτον* instructum, Herodianum (§ 64) ep. XIII. 28 Bacchylideum s. Simonideum (148 B.) et XIII. 7 Callimacheum, Hephaestionem (§ 54) Callimacheum ep. XIII. 25. Ep. XIII. 26 (Simonid. 112) in Sylloge Simonidea affuisse, demonstrabitur § 128: ex qua opinor per Meleagream Coronam in librum XIII pervenit.

Cognatione libri XIII cum Anth. Cephalana demonstrata iam transeo ad Wilamowitzii opinionem, concinnatorem composuisse hunc Anthologiae Palatinae librum ante Cephalam 'auf Grund unserer Anthologie' i. e. Cephalae usum fontibus. Quae opinio si rata foret, non mirari non possemus, quod nullum ex triginta illis libri XIII epigrammatis in ipsis libris Anthologiae Palatinae Cephalanis adest. Nam tali, qualem Wilamowitz eam fuisse proponit, auctoris libri XIII opera nullo modo fieri potuit, ut epp. ipsa ex Cephalae fontibus evanescerent. Itaque verisimile est haec epp. *ab Anthologia Cephalana ipsa* secreta in peculiari Sylloge post ultimum librum (AP. XII = Anth. Ceph. VII) composita esse. Sic neque necessarium est librum XIII pro maioris seriei fragmento haberi neque fortunae tribuendum, quod ipsi *Cephalanae* Anthologiae illa sylloge adiecta est, — quod iis faciendum erat, qui concinnatorem Cephalae fontibus usum esse arbitrarentur.

Nunc inquiramus: 1) sintne in libro XIII vestigia, quae arguant auctorem hausisse epigrammata ex Anth. Ceph.; 2) sintne in libris Anthologiae Palatinae Cephalanis vestigia, ex quibus appareat ex Anth. Ceph. epigrammata quaedam esse amota.

Ad *primam* quaestionem. Lectores attendant velim ad titulum duplicem, quo ornatum est ep. XIII. 28: *Καλλιμάχου ἐπὶ τῷ αὐτῷ τετραμέτρῳ* (sc. vers. Archil. asynart.) *ἑνδεκασύλλαβον.* | *Βακχυλίδου ἢ Σιμωνίδου* ⟨*ἐπὶ* Stadtm.⟩ *τῷ αὐτῷ τετραμέτρῳ* | *τετράμετρον ὅμοιον τῷ εἴ μοι γένοιτο παρ-* | *θένος καλή τε καὶ τέρεινα, μιᾷ δὲ μόνον συλλαβῇ* | *πλεονάζον ἐπὶ τὸν τετράποδον οὐκ ἔχει ἴαμβον* | *ἀλλ' ἀνάπαιστον* B [140]). Postquam Jacobs animadvertit duorum epigrammatum diversorum titulos hoc continere lemma Callimacheumque epigramma intercidisse suspicatus est, Hecker (Comm. II. 127) acutissime perspexit, quodnam Callimacheum ep. in priore titulo respiceretur, sc. ep. VII. 728, cui

---

140) Verba per compendia scripta soluta sunt. Notam accurate mihi descripsit Stadtmüller, cui etiam debeo notitiam de praecedentium epigrammatum lemmatis.

quamquam nullum praecedit ep., cuius versus minores eiusmodi sunt 'tetrametri', quales describuntur ad XIII. 25 (*τετράμετρος πλεονάζων μιᾷ συλλαβῇ τοῦ ἑξαμέτρου*, cf. XIII. 25,2,4; 26,1,3; 27,1,3,5,7), tamen eadem nota metrica — *ἐπὶ τῷ αὐτῷ τετραμέτρῳ κτλ.* — (a C) ascripta est, quae extat post Callimachi nomen XIII. 28 (B). Hac vero sagacissima observatione res non cum Bergkio atque Wilamowitzio dirempta est habenda. Tituli autem Callimachei notaeque metricae iterationem ante ep. XIII. 28 non recte explicasse Heckerum in aprico est, putabat enim ep. Callimacheum in cod. Pal. quidem VII. 728 legi, in aliis vero Anthologiae manuscriptis lectum esse inter epp. XIII. 27 atque 28. Cum vero ep. suum habeat locum VII. 728 in fragmento Meleagreo (VII. 707—740), nota autem metrica non in septimo libro sed in decimo tertio (variorum metrorum), rem sic propono: concinnator libri XIII, *cum ex Anthologia Cephalana epigrammatum variis metris conscriptorum seriem conquireret*, primo hoc ep. ex VII. 728 recipere voluit titulumque iam exaraverat post XIII. 27, deinde consilii eum poenituit, fortasse quod epigrammatis illius versui tertio deest exitus, epigramma suo loco reliquit, titulum vero notamque metricam non solum eradere non necesse habuit, sed contra illam itidem ascripsit ad ep. VII. 728. Utraque nota in cod. Pal. translata est (VII. 728 a C, XIII. 28 a B). Nunc perspicuum esse opinor, cur, cum nullum libri XIII ep. in libris Anthologiae Palatinae Cephalanis redeat, unum, cuius titulus solus in illo servatus est, in his inveniatur. Is titulus igitur arguit epp. libri XIII ex Cephalana Anthologia esse arcessita.

Ad *alteram* quaestionem. Primum animadvertamus ad decadum *numeros*, quos priori Anth. Pal. libri VII parti (usque ad ep. 497) ascriptos ad Cephalam ipsum recurrere vidimus (§ 92). Quodsi iure constituimus epigrammata quaedam ex pristina Cephalana sede in metricam syllogen translata esse, fieri non potest, quin nonnumquam inter duo epigrammata deinceps decadis numero insignita non novem epp. sed octo intercedentia inveniamus. Quod revera in lib. VII hic illic usu venit e.g. *λ* 29 — *μ* 38; (*σ*)*ο* 271 — (*σ*)*π* 280 — (*σ*)ϙ 289 (cf. Stadtmüller p. XIII). Ut talia discrimina tollerent, librarii in talibus decadibus vel potius enneadibus unum epigramma in duo distraxisse videntur (ep. 31; 276; 287); quamquam concedo neque omnes tales epigrammatum divisiones hunc in modum explicari posse neque adeo, etiamsi in decadibus mutilis legantur, indicari, quodnam ex libri XIII epigrammatis sepulcralibus — quae sunt haud multa — excidisse videatur. Unum autem probabiliter in Cephalanum locum restitui posse puto. Decas Cephalana 28[a] complectitur tantum epp. novem 272—280

(vid. supra). Ep. autem 276 Hegesippi in naufragum iam ab A in duo epp. dispertitum est ascripta, clausula in fine v. 4, nota initiali ante v. 5 L ultimum distichon (v. 5 sq.) novo ornavit lemmate *εἰς ναυηγὸν ἕτερον*, cui C titulum adiecit *ἄδηλον* (clausula notaque tamen deletis, opinor, quia sensit carmen dividendum non esse, cf. Stadtm. ann. ad VII. 276,4). Quid, quod hoc epigramma excepisse putamus in Cephalana Anth. alterum in naufragum ep. Hegesippi, quod, cum hexametros dactylicos sequantur trimetri iambici, in librum XIII. 12 relegatum est? — Ep. XIII. 3 Theocriti choliambicum in Hipponactem mortuum in Cephalana lectum esse conieceris post alterum ep. eiusdem argumenti VII. 536 Alcaei; illud est apud Plan. III^b. 22 (*εἰς ποιητάς*), 6, hoc III^a. 22 (*εἰς ποιητάς*), 19. Praeter hoc ep. unum libri XIII ep. invenitur apud Planudem sc. ep. XIII. 29 Nicaeneti, in quo hexametrum dactylicum sequitur trimeter iambicus; Pl. I^b. 33 (*εἰς οἶνον*), 2 (Nicerati, falso). Planudes, quippe quem epigrammata non distichis elegiacis confecta consulto evitasse notum sit, utrum epp. libri XIII iam selecta in peculiari libro an dispersa per Anthologiam invenerit, incertum est (cf. § 111 n. 155).

Deinde iam § 91 demonstrare conatus sum (p. 158 sqq.) ad compositionem libri XIII referendas esse *lacunas*, quae hic illic in codice Palatino compareant. Ep. XIII. 1 Philippi extitisse videtur in Cephalana post ep. V. 3 (lacuna est post ep. V. 4,2), ep. XIII. 7 Callimachi post ep. VI. 121 (lacuna post ep. VI. 125), ep. XIII. 4 Anacreontis post ep. VI. 133 (lacuna post ep. VI. 143), ep. XIII. 8 Theodoridae post epp. VI. 154, 155, 156 vel 157 (lacuna post ep. VI. 157). Qui fieri potuerit, ut lacuna non eodem loco inveniatur, ex quo ep. evanuisse videatur, exposui l.l. Cf. praeterea § 91 n. 132.

Quod liber XIII fere unice epigrammata Coronae Meleagreae continet — qua re Wolters ep. primum *Thessalonicensi* Philippo abiudicavit —, id Wilamowitz recte eo explicavit, quod posterioribus temporibus poetae nonnisi distichis elegiacis epigrammata condere solebant.

Ex hac disputatione igitur procedere puto nobis licere decimi tertii libri titulos Simonideos eadem norma aestimare atque ceterorum Simonideorum epigrammatum titulos, quos in Anth. Cephalana affuisse constet.

§ 95. *De Sylloge Σπ.* Ex indice codicis Palatini scimus [141]) codicem primo loco continuisse Nonni paraphrasin Evangelii Johannis, quae nunc desideratur. In eius loco in libri fronte ag-

141) Cf. Jacobs. vol. III p. 3 sqq., Stadtm. vol. I p. VI sq.

glutinata sunt quattuor folia, quorum pagina A^r indicem ipsum exhibet, pag. C^v scriptura vacat, paginae sex A^v B^{rv} C^r D^{rv} serie epigrammatum 34 implentur a scriba reliquis codicis scribis recentiore exarata, quam praeeunte Stadtmüllero notavi signo Σπ. Concinnatoris consilium hoc fuisse videtur, ut Anthologiae Palatinae adderet seriem epigrammatum, quae in ea desiderarentur; nam ex 34 epigrammatis tria tantum in ea inveniuntur (Σπ. 2 = AP. X. 104; Σπ. 20 = AP. VII. 307; Σπ. 33 = AP. VI. 256). Cetera 31, quattuor exceptis, ex Anthologia Planudea petita sunt; inter quae est Σπ. 26 = Simonid. 185a ex Plan. IV^a. 3. 4.

Inter quattuor illa epigrammata duo sunt Simonidēa Σπ. 3 = Sim. 186 et Σπ. 28 = Sim. 158. Unde haec epigrammata arcessita sint, ignoratur; ep. 186 quoque cognitum est ex Sylloge Euphemiana (cf. § 109), ep. 158 autem omnino non redit, at ex eodem fonte manasse videtur atque consimilis exordii epigramma Sim. 127, quod a Michaele exemplari suo ascriptum Corrector in marg. superiore cod. Pal. paginae 245 posuit (VII. 254 b, cf. § 102). Nescimus igitur, num haec epp. ex Corona Meleagrea propagata sint; ergo diiudicare non possumus, quomodo Simonideum titulum sint adepta.

§ 96. *Quaeritur, num praeter Syllogen Simonideam Meleager Simonideorum epigrammatum fontes habuerit.* Meleagrum ex Sylloge Simonidea Alexandrina petivisse epigrammata Simonidea § 38 contra Wilamowitzium demonstrare conatus sum. Fieri autem potest, ut ex aliis quoque fontibus Meleagro Simonidea praesto fuerint, praesertim cum demonstrari possit eum praeter editiones poetarum, quos AP. IV. 1,1 sqq. enumeravit quosque nominare supersedit (ib. 55: *ἄλλων τ' ἔρνεα πολλὰ νεόγραφα*), usum esse periegetae cuiusdam inscriptionum collectione. Vidimus enim (§ 65) Pausaniam iam in Corona invenisse epigramma Cyniscae eodem, quo instructum extaret AP. XIII. 16, titulo *ἀδέσποτον* ornatum. Unde probabile fit Meleagrum iam hoc epigramma nulli poetae tributum invenisse, quippe quod in eius fonte ex lapide ipso, in quo scilicet auctoris indice carebat, descriptum legeretur. Epigramma lapidi mandatum fuisse certum est, nam effossum est Olympiae anno 1879 (Hoffmann Syll. 381). Quoniam in singulorum poetarum syllogis epigrammata adespota inveniri non potuerunt, necesse est Meleagrum adhibuisse praeter illas eiusmodi *inscriptionum* collectionem, quales extabant Philochori Polemonis aliorum periegetarum [142]. Quae epigrammata

142) Rem iam suspicati sunt Jacobs (proleg. p. XXXV: 'ex his Polemonis operibus . . . . aliorumque similibus antiquissimum Anthologiae conditorem,

ex illa nullo auctoris titulo praedita hauserat, ea titulo ornavit ἀδέσποτον [143]).

Fieri autem potest, ut talis Sylloges concinnator nonnumquam uni alterive epigrammati sive de coniectura sive nisus auctoritate nescioqua poetae cuiusdam e.g. Simonidis adiecerit nomen, quod a Meleagro receptum in Anthologiam propagatum sit. Tali titulo ornatum esse opinor ep. conclamatum Sim. 148 = AP. XIII. 28 *Βακχυλίδου ἢ Σιμωνίδου* (cf. §§ 23, 86, 94). Qui titulus *dubius* neque Syllogae Bacchylideae neque Simonideae debetur, sed ingenio inscriptionum collectoris epigramma alterutri poetae Ceo vindicantis [144]). Huius igitur tituli duplicis prorsus alia est ratio quam eorum, de quibus iam vidimus §§ 87, 90, 92.

Sunt quoque epigrammata, quae uni Simonidi attributa, tamen non ex Sylloge Simonidea, sed ex inscriptionum collectione hausta esse probabile sit. Certum mihi esse videtur non solum ep. XIII. 16, de quo supra dixi, sed etiam ep. XIII. 13, quod itidem *ἀδέσποτον* in AP., marmori incisum inventum sit [145]) (CIA. I. 403, Kaib. 751,

---

Meleagrum, multa in collectionem suam transtulisse, probabile est') et Weisshäupl (p. 33: 'ein oder das andere *ἐπίγραμμα ἀδέσποτον* mag vielleicht aus periegetischen Quellen genommen sein').

143) Haec est origo titulorum '*ἀδέσποτον*', qui postea a librariis promiscue usurpati sunt cum titulis '*ἄδηλον*', quos Meleager nondum novit quibusque post eum demum notata sunt epp., quae auctoris titulum amiserant sive neglegentia librarii omissum sive quod Meleager ea epp. utpote praecedenti poetae continuata nullo titulo ornare necesse habuerat. Reitzenstein vero p. 99 et p. 101 n. 1 titulos '*ἄδηλον*' vetustiores esse probare studuit usus titulis epigrammatum gemellorum in puerum Echedemum XII. 55 et 124 *ἄδηλον οἱ δὲ Ἀρτέμωνος* (cuius poetae nomen non redit): 'beide Epigramme stammen aus einer Sammlung, welche zu Meleagers Zeit ohne Verfassernamen umlief; von einigen wurde sie allerdings dem Artemon zugeschrieben, und dies daher im Lemma vermerkt, aber von wem als von Meleager selbst? *Man versuche nur einmal den Hergang anders darzustellen!*' Mihi hi tituli sic explicandi videntur, ut apud Meleagrum (si revera Artemon poeta Meleagreus est) haec epp. sese excepisse putem priori epigrammati tantum titulo ascripto *Ἀρτέμωνος*; alterum, quod poeta careret, postea instructum esse ab homine aliquo, quem lateret gemellum epigramma praecedenti poetae esse continuatum (cf. § 87), titulo *ἄδηλον*; deinde tertium librarium, cum intellegeret utrumque epigramma aut *ἄδηλον* esse debere aut *Ἀρτέμωνος*, utrique ascripsisse dubitationis titulum *ἄδηλον οἱ δὲ Ἀρτέμωνος*; denique epigrammata disiuncta exhibita esse in libro XII (Musae Puerilis). Reitzensteinio assentiri videtur Radinger p. 304 n. 17.

144) Hanc esse tituli originem iam Reitzenstein bene perspexit, quamquam *Simonideae Sylloges* concinnatorem (Collectorem) fuisse putavit, qui inter utrumque poetam Ceum dubius haesisset, cf. § 23.

145) Lapide confirmata est palmaria Meinekii coniectura, qui iam pro statuarii nomine *Κριοίας* reposuerat *Κρησίλας*.

Hoffm. 269), ex eadem collectione manasse. Tum autem nullum dubium extare potest, quin Meleager eidem debuerit fonti ep. XIII. 15, *ἀδέσποτον*, quod lapidi quondam inscriptum fuisse unicuique patet. Admirationem movere non potest, quod concinnator libri XIII, cum in Anth. Cephalana (§ 95) exempla conquireret metrorum dactylicorum cum iambicis coniunctorum vel aliter quam distichis elegiacis adhibitorum, elegit epigrammata, quae revera inscriptiones fuisse scimus. Qui enim Kaibelii Epigrammata vel manu versavit, non ignorat, quantum in inscriptionibus metricis poetae a vulgari forma *abab* recedere soleant. Sunt autem epigrammata duo, quae epigrammati XIII. 15 fere sunt similia, in utraque enim cuiusdam viri victoriae enumerantur, attamen *Simonidis* nomine ornata sunt: ep. XIII. 14 et 19. Itaque non abicienda est suspicio illa epigrammata Simonideam auctoritatem adepta esse in sylloge inscriptionum. Titulum ep. 14 a Meleagro '*ἀδέσποτον*' acceptum postea errore in Simonideum conversum esse censere non licet. Nam non librariorum culpa Simonidis nomen accessisse videtur epigrammati, in quo celebrantur victoriae Olympiacae paulo post bella Medica reportatae[146]).

Agnoscendus autem talis error videtur in ep. 188, quod ab Hephaestione ex Corona Meleagrea haustum (§ 54) servatum est. Hoc ep., quod cum victorias Pythias atque Nemeas tum Olympiacam Ol. 98 (a. 388) reportatam celebrat, facile in serie inscriptionum consimilium, quarum una alterave Simonideo titulo ornata erat, ex vicinia et Simonidis nomen, quod nemo serio epigrammati ascripsisse putaverim, et certaminis nomen *Ἴσθμια* pro *Πύθια* traxisse videtur (cf. l.l.).

Ex inscriptionum sylloge itidem a Meleagro petitum esse puto ep. 152, quod Pausaniam ex Corona sumpsisse apparuit § 65.

§ 97. *Quaeritur, num Cephalas ex aliis fontibus praeter Coronam Meleagream Simonidea epigrammata petiverit.* Demonstratum est § 38 epigrammata Simonidea codicis Palatini, quatenus eorum tituli non post Cephalam librariorum culpa orti essent, ab illo desumpta esse ex Corona Meleagri, qui rursus epigrammata illa exceptis iis, quae in Corona scribarum fraude Simonideum titulum adepta essent, debuisset Syllogae Simonideae. Caret igitur iusto fundamento Wilamowitzii opinio scribentis p. 318: '*ganz windig* ist der Schluss, dass sie (epigrammata Simonidea Anthologiae Pal.) aus Meleager stammen müssten, weil sie älter als er sind, und er natürlich simonideische Gedichte aufgenommen

---

146) Dandidis victoriae sunt Ol. 76 et 77 (a. 476, 472), cf. Rutgers Afric. p. 40, Robert Herm. 35. 1900 p. 164. De Nicoladae (ep. XIII. 19) aetate nihil constat.

hatte'. Attamen nobis supersedere non licet quaerere, pervenerintne iis viis in Cephalanam Anthologiam Simonidea epigrammata, quibus ea Cephalam accepisse putat v.c. sc. ex *Herodoto* atque *Diogene Laertio* [147]). Etenim quoniam *Herodoto* usus est Collector Sylloges Simonideae (§ 44), Corona Meleagrea *Diogenes* (§ 72), utroque autem scriptore Cephalas, fieri sane potest, ut Simonidea epp., quae uterque cum Anth. Pal. communia habet, non ex Sylloge sive Corona Mel., sed ex ipsis scriptoribus in Cephalam fluxerint. Quae res facile dirimi potest, cum tria tantum Simonidea legantur apud Herodotum (VII. 228: epp. 91. 92, 94), totidem apud Diog. Laertium (V. 65 et V. 68 epp. in Pausaniam et in Acronem, IV. 45 ep. 157, cf. § 72 sqq.).

Ex *Diogenianis* epigrammatis nullum a Cephala, cum excerperet Vitas (cf. § 73) receptum est; ep. in Pausaniam, quod ei cum Diogene commune est, ille Simonidi attributum exhibet in textu S (AP. VII. 508), hic Empedocli assignatum in textu A (cf. § 75). Remansit igitur ep. in AP. ex Sylloge Simonidea (per Cor. Mel. traditum).

Tria epigrammata Simonidea, quae apud *Herodotum* leguntur, omnia in AP. redeunt. Epp. 91 et 92 extant VII. 248 sq. in principio ordinis Simonidei, in textu ab Herodoteo (A^1) diverso (S, ex A^1 et A^2 contaminato, cf. § 44), unde iam constat haec duo epp. ex *Sylloge Simonidea* in AP. propagata esse. Tertium ep. 94 (Megistiae), quod unice apud Herodotum cum Simonidis nomine est coniunctum, in AP. ab illis diremptum legitur VII. 677 nullo titulo ornatum (cf. § 82 n. 102). Argumenti indici a L scripto addidit C verba *ἐκ τῆς ἱστορίας Ἡροδότου*. Quamquam C his verbis haud scio an nihil dicere voluerit nisi ep. *legi* apud Herodotum (alia huius notae est significatio VI. 6 sqq., ubi a manu prima A ascribitur), utique fieri potest, ut hoc ep. a Cephala ex Herodoto desumptum sit. Cum autem per se constet hoc ep., quod Simonidem ipsum dedicasse traderet Herodotus, a Collectore non neglectum esse [148]), sumendum erit, quodsi constituendum videtur id eo loco quo nunc legatur a Cephala positum esse ex Herodoto ipso petitum, id a Collectore ex Herodoto receptum, a Meleagro ex Sylloge dimissum fuisse. Non prorsus certum igitur est hoc ep., cuius textus in Anthologia cum Herodoteo consentit, integrum a Collectore ex Herodoto in Syllogen translatum fuisse.

Sine ullo dubio recta via ex Herodoto (V. 77) derivatum est

---

[147]) 'In unsere Anthologie sind viele alte Gedichte z. B. aus Herodot und Diog. Laertius gekommen', vir cl. l.l.

[148]) Cf. § 82 n. 102.

AP. VI. 343 (*ἄδηλον* A, cui titulo C adiunxit *Ἡροδότου*) ep. Sim. 132 (nusquam Simonideum obvium, cf. §§ 41, 55). Hoc demonstratur non tam Correctoris nota quam loco ac textu epigrammatis. Legitur enim uno epigrammatis intervallo diremptum a Mandroclis epigrammate (AP. VI. 341), quod extat Her. IV. 88, post quod ep. epigrammata apud Herodotum conquirenti primum occurrebat ep. nostrum. Tum ep. non praebetur in eo textu, quo si ep. ex Sylloge per Meleagrum in Cephalae manus pervenisset, procul dubio in AP. legeretur, sc. in textu integro, quem codices generis *β* servaverunt Diodorusque novit (Exc. Vat. III. 40 Dind., p. 213 Vog.); comparet vero in textu temere mutato codicum generis *α*, qui habent v. 3 (= v. 1) *ἀχνυνθέντι* (vocem nihili pro *ἀχλυόεντι*) et v. 2 *ἔργμασιν ἐκ πολέμου* (pro *ἔ. ἐν π.*). De textu AP. ac de coniecturis virorum doctorum, quae lectionibus *α* nituntur, praeterea vid. in alt. h. comm. p. Fortasse tamen conicere licet Collectorem cum Herodotum ad epigrammata Simonidi attribuenda pervolveret, ei hoc quoque ep. adespoton, quippe quod propter aetatem ab eo condi potuisset, ascripsisse atque in Syllogen recepisse. Sed tum epigramma iam a Meleagro dimissum esse censendum est.

Itaque praeter Coronam Meleagream Cephalas nullo usus est fonte, ex quo recepit epigramma Simonideo titulo ornatum. Ep. enim 94, etiamsi ei id suppeditavisse videtur Herodotus, titulo Simonideo non munivit, ep. 132, quod certum est ex Herodoto in Anthol. pervenisse, Simonideum apud scriptores nostrae demum aetatis dicitur.

§ 98. *Indicia originis epigrammatum ex Sylloge Simonidea.* Quinque quaestiones, de quibus in paragraphis praecedentibus (85—97) disseruimus, docent, quam longe absit, ut epigrammata omnia, quae in Anthol. Palatina Simonidis auctoritate instructa leguntur, ex Sylloge Simonidea propagata censeantur. Quemadmodum a Collectore poetae vindicata est epigrammatum copia, in qua pauca tantum Simonidis ipsius epigrammata genuina adesse potuerunt, sic Sylloges huius Simonideae reliquiae non integrae in Anthologia Palatina sunt servatae, sed nonnullorum titulorum iacturam multorumque additamentum passae sunt.

Tractatis igitur quaestionibus, quae praemittendae erant, videndum, num indicia extent, ex quibus cognoscantur in AP. quaedam epigrammata, quae constat titulum Simonideum non posteriorum fraudi vel errori debere sed integrum servasse ex Sylloge Simonidea propagatum. Quae indicia iam supra (§ 83) enumerata haec sunt:

a. *traditio S* Simonideorum epigrammatum;

b. *ordines* Simonidei Palatini;

c. *imitationes* Simonideae Mnasalcae.

a. Quae epp. anonyma ex scriptoribus, qui ante Collectorem vixerunt, servata sunt (A), in Anth. Pal. autem Simonidis nomine instructa atque plerumque in textu mutato leguntur (S), ea in AP. ex ipsa Sylloge Simonidea propagata censenda sunt. Cf. § 99.

b. Praeter epp. Simonidea dispersa AP. continet series epigrammatum Simonideorum continuas tres (VI. 212—217; VII. 248—258 paucis alienis epp. intermixtis; VII. 507—516). Inquirendum est primum, num sive epp., quae hi ordines complectuntur, omnia sive saltem eorum nucleus per Meleagream Coronam ex Sylloge Sim. in Anth. Ceph. atque Pal. pervenerit, deinde, num alia Simonidea, in AP. non amplius extantia, ante Cephalam in illis ordinibus, quatenus eos ex Meleagro desumptos esse apparuerit, locum habuisse videantur. Cf. § 100—102.

c. Tertium indicium adipisceremur, si in AP. unum alterumve servatum esset ep., quod a *scriptore* aliquo in Sylloge Simonidea ipsa lectum esse constat. Quoniam autem epp., quae ex Sylloge a scriptoribus *laudata* esse scimus (ep. 137 a Timaeo, § 32; ep. 163 ab Aristophane Byzantio, § 37; ep. 166 ab Aristodemo, § 77), omnia a Sylloges excerptoribus neglecta sunt, videndum, num ex *imitationibus* Sylloges Simonideae epigrammatum epigrammata Anthologiae Pal. indicari possint, quae iam in Syll. Sim. affuisse videantur. Qua re inquirendum est, quatenus epigrammatici poetae Alexandrini epigrammata Simonidea (i. e. Sylloges Simonideae) imitanda sibi sumpserint. Quae inquisitio cum suum habeat locum in ea huius capitis parte, quae est de imitationibus (§ 121—§ 131), hic sufficiet illius disputationis summam commemorasse: nullum poetam epigrammaticum Alexandrinum pendere a Simonide (i. e. a Sylloge Simonidea) nisi Mnasalcam. Quae epp. Simonidea in eius imitationibus respecta esse videntur, ea Syllogae Simonideae vindicari possunt. Cf. § 103.

Complura epigrammata indicio non uno in Sylloge affuisse constat, ep. 92 adeo omnibus tribus. Cf. § 104.

§ 99. *De traditione S.* Epp. in AP. in trad. S, alibi in trad. A obvia sunt tredecim haec:

1. *AP. VI. 50*: trad. S epigrammatis 140; A ex Ephoro servavit Plut., cf. § 50.
2. *AP. VI. 197*: trad. S ep. 138; A servata ap. Thuc. et qui eo usi sunt, cf. § 43.
3. *AP. VI. 214*: trad. S ep. 141; A ex Ephoro serv. in Schol. Pindar., cf. § 76.
4. *AP. VI. 215*: trad. S ep. 134; A ex Ephoro serv. apud Plut., cf. § 29.

5. *AP. VII. 248*: trad. S ep. 91; A apud Herod., cf. § 42 (A = S).
6. *AP. VII. 249*: trad. S ep. 92 (ex A^1 et A^2 contamin., cf. § 44 sqq.); A^1 ap. Herod., cf. § 42, A^2 ap. Ephorum (Diod.) aliosque, cf. § 44.
7. *AP. VII. 250*: trad. S ep. 97; A ex Ephor. ap. Plut., cf. § 29 (A = S).
8. *AP. VII. 296*: trad. S ep. 142 (ex forma reconstruenda A^2 formata, cf. § 60); A^1 ex Ephor. ap. Diod., cf. § 48, A^3 ap. Aristidem etc., cf. § 60; A^4 ap. Arsenium, cf. § 118.
9. *AP. VII. 347*: trad. S ep. 98 (periisse videtur titulus Simonideus, qui servatus est ap. Favorinum, cf. § 53); A ex Ephor. ap. Plut., cf. § 29.
10. *AP. VII. 348*: trad. S ep. 169; A ex Thrasymacho ap. Athenaeum, cf. § 70 (A = S).
11. *AP. VII. 508*: trad. S epigrammatis in Pausaniam medicum; A, quae Empedocli ascribitur, per Heraclidis Lembi Epitomen Satyream ex philosophorum biographo nescioquo tradita servata est ap. Diog. Laert., cf. § 75.
12. *AP. VII. 677*: trad. S ep. 94 (periit titulus Simonideus); A ap. Herod., ubi Simonides vocatur inscriptionis dedicator, cf. § 11 (A = S). Fieri autem potest, ut hoc ep. ex hac serie tollenda sit, cum haud vero dissimile sit ep. ex Sylloge a Meleagro non receptum esse, sed a Cephala ex Herodoto petitum Anthologiae denuo esse illatum, cf. § 82 n. 102.
13. *AP. IX. 700*: trad. S ep. 160; A ap. Plut. et Schol. Plat., unde petita incertum, cf. §§ 51, 78 (A = S).

Epigrammatum, quibus nota A = S non adiecta est, traditio S non solum auctoritate Simonidea sed etiam textu discrepat a trad. A. De textuum comparatione videas § 138 sq.

§ 100. *De serie Simonidea Palatina prima.* Prima series VI. 212—217 complectitur epigrammata dedicatoria septem (non sex, non enim praetermittendum est ep. VI. 213* = VI. 144, cf. § 91 n. 118):

1.	AP. VI. 212	= ep. Sim.	164	
2.	213	=	145	
3.	213*	=	150	(VI. 144 Anacreontis est)
4.	214	=	141	
5.	215	=	134	
6.	216	=	168	
7.	217	=	179.	

Ordinis exordii (ep. VI. 212—213*) rationem iam exposui cum de epigrammatis VI. 213* = VI. 144 titulo diverso dissererem

§ 91. Apparuit titulos horum epigrammatum Meleagreae Coronae non integros praestari in Anth. Pal., sed variis deinceps corruptelis omnes factos esse Simonideos. Subsequebantur in Corona Meleagrea hoc ordine atque hisce ornata titulis epigrammata haece:

a. 1.	AP. VI. 212 =	ep. Sim. 164	*Ἀνακρέοντος*
b. 3.	213*=	150	*τοῦ αὐτοῦ* uno disticho absolutum
c. 2.	213 =	145	*Σιμωνίδου*
d.	< ep. Sim. 147 >		*τοῦ αὐτοῦ* a Cephala omissum.

Errore cuiusdam librarii in Corona Mel. ep. *b*, quod Anacreonti tribuebatur sicut VI. 144, post ep. *d* scriptum est; quo factum, ut titulus *τοῦ αὐτοῦ* tum Simonidem (*c*, *d*) respiceret. Deinde novo errore ep. *a* solum ante seriem Simonideorum epigrammatum sex vel plurium relictum ipsum intra illum ordinem tractum est. Deinde a Cephala ep. *d* ex Corona in Anthol. non translatum est, in Anthologia autem Cephalana ep. *b* novo disticho (utroque loco) est adauctum.

Itaque ex tribus huius Palatinae seriei epigrammatis primis unum VI. 213 apud Meleagrum quoque Simonidis titulo munitum erat. Quoniam hoc epigramma, ut ep. Sim. 147, quod apud Meleagrum sequebatur, celebrat Simonidis victorias choregicas, et epigrammata duo sequentia VI. 214 et VI. 215 propter traditionem S in Sylloge affuisse constat (§ 99), hic habemus tria epigrammata Simonidea, quae a Meleagro deinceps ex Sylloge recepta sunt. Videamus igitur, num reliqua huius seriei epigrammata duo etiam ex Sylloge per Meleagrum in Anthol. pervenisse videantur.

Ultimum epigramma VI. 217 primitus a serie Simonidea alienum fuisse omnes viri docti intellexerunt (cf. Wilam. p. 318). Et hoc ep. et sequentia (218—221) variorum poetarum epigrammata illustrant chriam Galli et leonis. Librarius igitur, cui complura deinceps epp. titulo *τοῦ αὐτοῦ* essent ornanda, nimium progressus sequentis quoque seriei primum epigramma ad praecedentem traxisse videtur.

Epigramma VI. 216 non scribarum errore antecedentibus epigrammatis ex Sylloge propagatis continuatum esse ut Simonideum, sed ex Sylloge ipsa titulum adeptum esse ideo putaverim, quod Collectorem eiusmodi *γρῖφον ἐν συλλαβῇ* sc. ep. in Acronem (§ 75) recepisse constat.

Ex septem igitur huius ordinis epigrammatis quattuor ex ipsa Sylloge per Meleagrum in Anth. Pal. propagata sunt. Procul dubio Meleager plura Simonidea deinceps ex Sylloge excerpta in hac serie composuerat; nonne vidimus eum post ep. VI. 212 gemellum eius ep. Sim. 147 recepisse?

Ex hoc ordine nullum epigramma a Planude receptum est.

§ 101. *De serie Simonidea Palatina altera.* Sepulcralium

epigrammatum Simonideorum series leguntur in septimo libro duae, quarum prior complectitur epp. VII. 248—259, paucis aliorum poetarum (VII. 252 Antipatri, 255 Aeschyli, 256 Platonis) epigrammatis interpositis. Leguntur haec epigrammata omnia praeter ep. 254 b, de quo infra dicam, etiam apud Planudem, in libri tertii capitibus εἰς ἀνδρείους, sc. epp. VII. 252 Antipatri in sylloge posteriore 4^b, 5 (nomine omisso), cetera omnia in sylloge priore 5^a, 19—28 (nominibus omissis epigrammatum 19—23 = VII. 248—251, 253), eodem ordine quo in Palatino, nisi quod Platonis epigramma VII. 256 non post VII. 255 legitur sed ante gemellum VII. 259 (Plan. III^a. 5. 29). Qua de causa conicio post Cephalam librarii errore illud epigramma a gemello suo divulsum intra Simonideorum epigrammatum seriem tractum esse [149]); Stadtmülleri enim coniectura (p. LXIII), Cephalam fortasse Eretriensia duo separata exhibuisse, quod posterius 259 e Diogene Laertio (III. 33) hausisset, prius 256 cum antecedentibus 246—258 ex Cor. Mel., ordine Planudeo refellitur. Utrumque ep. Cephalas ex Meleagro hausit; ep. vero VII. 259 ei cum apud hunc tum apud Diogenem praesto erat (cf. § 74). Ecce series:

1.	AP. VII. 248	= ep. Sim.	91	
2.	249	=	92	
3.	250	=	97	
4.	251	=	99	
[	252			Antipatri]
5.	253	=	100	
6.	254	=	108	
7.	254b	=	127	in marg. sup. a C scr.
[	255			Aeschyli]
[	256			Platonis]
8.	257	=	101	ap. Ceph. (C = Pl.) 'incerti auctoris', sed Simonidis nomen in Cor. Mel. epigrammati ascriptum invenit Schol. Arist. cf. § 57.
9.	258	=	105	
[	259			Platonis].

Unum epigramma post Cephalam demum ordini Simonideo accessit: sc. ep. VII. 254 b, quod neque Planudes novisse videtur et a C in margine superiore paginae scriptum est, ex Michaelis

---

[149]) Hac cum re fortasse quodammodo cohaeret, quod L huic ep. et sequenti VII. 257 unum lemma (idque ad prioris epigrammatis distichon alterum) attribuerit εἰς τοὺς Ἐρετριεῖς καὶ Ἀθηναίους κτλ., quod a C inductum est.

Chartophylacis, ut videtur (cf. Stadtm. II p. XIV sq. et supra § 93), exemplari petitum. Itaque non ex Meleagro sumptum est; quod praeterea eo demonstratur, quod abhorret a ceterorum huius seriei Simonideae et totius seriei Cephalanae (226—259) epigrammatum argumento (sc. in viros fortes); tum neglegitur in epigrammatum computatione codicis Palatini, lemma denique epigrammatis 255 respicit ad lemma ep. 254.

Restant epp. octo. Tria prima (VII. 248—250) iam ex traditione S (§ 99) in Sylloge affuisse constat; ultimum ep. VII. 258 (Eurymedontium) non neglectum esse a Collectore verisimile est, quem eiusdem argumenti ep. VII. 296 (Sim. 142) recepisse sciamus ex trad. S. Ergo valde probabile est hanc continuam seriem a Meleagro totam ex Sylloge excerptam in Cephalanam Anthologiam translatam esse. Quae suspicio eo confirmari videtur, quod ex quattuor epigrammatis, quae nunc unice ex ordine Simonideo Syllogae Simonideae adiudicamus (VII. 251, 253, 254, 257), duo (251, 253) ex imitatione Mnasalcae quoque ei attribuuntur (etiam ultimum ep. 258), cf. § 103. — Seriei Simonideae sive a Cephala sive — quod potius credo — a Meleagro ipso duo alia epp. (Antipatri VII. 252, Aeschyli VII. 255) interserta sunt, quae sententiam quandam cum ep. VII. 251 communem habent. Platonis autem epigrammati VII. 256 primarius locus fuisse videtur post ep. VII. 258; qua de re vid. supra.

Iam per se probabile est in Corona Mel. hanc sepulcralium epigrammatum Simonideorum seriem continuam plura complexam esse epp. quam octo illa in AP. servata; quemadmodum donativorum epigrammatum Simonideorum ordini (VII. 212 sqq.) accensere poteramus Sim. ep. 147, quod in Palatino non amplius comparet. Atque revera unum ep. indicare posse mihi videor, quod apud Meleagrum in nostra serie lectum sit. Videamus modo epigrammatum VII. 248—253 lemmata:

	Anth. Pal.	*Anth. Plan.*
VII. 248 / 249	*εἰς τοὺς μετὰ Λεω-* | *νίδην μαχεσαμένους* | *πρὸς Πέρσας* L [*ἐν Θερ-* | *μοπύλαις* add. C].	*εἰς τοὺς ἐν Θερμοπύλαις θανόντας.* / *εἰς τοὺς αὐτούς.*
250	*εἰς τοὺς αὐτούς.*	*εἰς τοὺς αὐτούς.*
251	*εἰς τοὺς αὐτοὺς μετὰ Λεωνίδου πεσόντας.*	*εἰς τοὺς αὐτούς.*
252	*εἰς τοὺς αὐτούς.*	—
253	*εἰς τοὺς αὐτούς.*	*εἰς τοὺς αὐτούς.*

Hac in lemmatum serie duae res miros nos habent. Ep. VII. 250 lemmate refertur ad Lacedaemonios, qui una cum Leonida in Ther-

mopylis ceciderunt, cum tamen constet ex Plutarcho (§ 29) hoc ep. inscriptum fuisse cenotaphio Corinthiorum in pugna Salaminia occisorum. Qua re Stadtmüller corruptelae cruce notavit et huius epigrammatis lemma et insequentis. Praeterea etiamsi epigrammata VII. 250—253 omnia referenda viderentur ad trecentos illos Spartiatas, lemma ep. VII. 251 recte se habere non posset. Nam tum post lemma epigrammatum 248 sqq. quater repetitionis lemma *εἰς τοὺς αὐτοὺς* expectaveris. Quod revera sensit Planudes, qui huius epigrammatis lemmatis verba *μετὰ Λεωνίδου πεσόντας* ut supervacanea abiecit. Horum autem lemmatum ratio facile expediri posse videtur reputanti epigramma VII. 250 (= Sim. 97) optime habuisse et in Sylloge Simonidea et in Corona Meleagrea epigramma alterum, ad quod lemmate *εἰς τοὺς αὐτοὺς* referretur, sc. epigramma suum gemellum 96, quod, a Collectore ex Ephoro (A) petitum, in traditione S a Favorino in Corona inventum (§ 53), cum ex Plutarcho tum ex lapide ipso nuper reperto Salamine inscriptum fuisse constat in ipso Corinthiorum sepulcro. Constituendum igitur videtur in Meleagrea Corona interpositum fuisse epigrammatis VII. 249 atque VII. 250 ep. Corinthiacum 96, quod postea a librario quodam neglectum esset, cum consimile haberet exordium atque ep. Thermopylense, quod nunc epigrammati VII. 250 praecedit (ep. 96: *ὦ ξένε εὔυδρον*; ep. 92 = VII. 249 *ὦ ξεῖν' ἄγγειλον*). Tum recte se habebat lemma *εἰς τοὺς αὐτοὺς* epigrammatis 97, — minime cum Wilamowitzio p. 309 n. 1 'byzantinisches Geschreibsel ohne jede Gewähr' vocandum —, quippe quod referretur ad gemelli epigrammatis lemma, quod refingere possumus sic: *εἰς τοὺς Κορινθίους τοὺς ἐν τῇ Σαλαμῖνι μάχῃ ἀποθανόντας.* Nunc quoque explicationem habet lemma epigrammatis sequentis VII. 251. Quod cum post Corinthiaca duo denuo ad Thermopylensia epigrammata 248 sq. referendum esset, *novo* instruendum erat lemmate *εἰς τοὺς μετὰ Λεωνίδου πεσόντας*; epigrammata VII. 252 sq. deinde mero lemmate *εἰς τοὺς αὐτοὺς* muniri poterant. Epigramma autem Corinthiacum 96 postquam intercidit, lemmata primaria integra manebant, nisi quod a librario quodam in lemmate epigrammatis VII. 252 post *εἰς τοὺς* insertum est vocabulum [*αὐτοὺς*], quod neque in praecedentis neque in sequentium epigrammatum lemmatis desiderari animadverterat.

Epigramma illud non post Cephalam excidisse cum eo demonstratur, quod Planudes id non legisse videtur, tum eo, quod in decadum computatione nullum ep. neglectum est. Neque epigrammatis omissio Cephalae ipsi imputanda est; qui si consulto id praetermittendum duxisset, epigrammati gemello VII. 250 uni servato illius lemma ascripsisset. Error igitur est alicuius Coronae Melea-

greae librarii. Ep. a Corona iam afuisse videtur iis temporibus, quibus Scholiasta Aristidis ea uteretur. Nam eum p. 52 Fr. 136 D. ep. 97 (VII. 250) iuxta Simonideum ep. 101 (VII. 257) non allaturum fuisse opinor exemplo, quantopere Graeci Persas despexissent (cf. § 57), nisi illud ep. ad *Thermopylas* pertinere putasset.

Ex lemmatis tractatis denique apparet lemmatistam saepius usum est fontis sui lemmatis antiquioribus ac tralaticiis. Cuius rei demonstrandae praeterea mihi occasio erit in disputatione de Mnasalca (§ 125—128). Cf. quae dixi § 94 de lemmate ep. VII. 728.

§ 102. *De serie Simonidea Palatina tertia.* Altera in septimo libro sepulcralium epigrammatum Simonideorum est series eaque epigrammatum undecim (VII. 507, 507 b—516), quae multis rebus ab ordinibus duobus Simonideis iam tractatis discrepat. Unum tantum ep. (VII. 512) pertinet ad eiusmodi epigrammata Simonidea (ut ita dicam, bellica), ex qualibus priorem sepulcralium epigrammatum seriem totam compositam esse vidimus. Cetera epp. argumenti sunt diversi e.g. in naufragos, in pueros vel puellas praematura morte ante nuptias abreptos. Tum in prioribus (epp. 507 b—513) ordo litterarum alphabeticus observatur. Duo tantum huius magnae seriei epp. in Syll. Sim. affuisse constat: ep. 508 (ep. in Paus.) ex traditione S (§ 99), ep. 512 (Sim. 102) ex imitatione Mnasalcea (§ 103). Ecce tabula:

1.	AP. VII. 507	=	ep. Sim. 124a	(Plan. Alexandri)
2.	507b	=	124b	
3.	508	=	in Paus. med.	a Bergkio inter Simonidea non receptum.
4.	509	=	118	
5.	510	=	119	
6.	511	=	113	
7.	512	=	102	
8.	513	=	115	
9.	514	=	120	
10.	515	=	117	
11.	516	=	128.	

Planudes, quem donativorum epigrammatum seriei nullum, sepulcralium ordinis prioris omnia recepisse vidimus epigrammata, huius seriei alia neglexit alia quidem exhibet, diversis vero in capitibus collocata. Cum septimum librum Cephalanum pervolveret ad caput εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους componendum, recepit epigrammata 507 (III[a]. 6. 21, *Alexandri* non Simonidis) et 516 (III[a]. 6. 11, Simon.); hoc autem ep. illi non adiunxit, sed in praecedentis paginae margine inferiore post VII. 359, 2 scripsit, ut cum epigrammatis eiusdem argumenti AP. VII. 356—359 (Plan. III[a]. 6.

7—10), quae in illa pagina leguntur, artius coniungeretur. In capitis εἰς ναυηγήσαντας sylloge posteriore duo deinceps posuit epp. 510 (III^b. 19. 22, Simon.) et 513 (III^b. 19. 23, Simon.), illud autem errore, nam recipere debuit et fortasse voluit in syllogen εἰς νέους, in qua iure legitur epigr. 515 (III^a. 20. 16, Sim.) in iuvenem cognominem atque fortasse eundem Timarchum. Quae in Syll. Sim. affuisse monui epp. duo, ea Plan. recepit 508 (III^b. 14. 12, εἰς ἰατροὺς) et 512 (III^b. 4. 11, εἰς ἀνδρείους) nomine Simonidis destituta. Cetera epp. neglexit.

Primum epigramma 507 ad Cephalanam seriem proprie non pertinuit. Carmen enim legitur in AP. in unum coniunctum cum sequenti epigrammate 507 b — duo disticha duo epigrammata esse diversa iam intellexit Jacobs — lemma autem, quo instructum est novum duorum distichorum carmen, unice respicit alterius distichi argumentum. Itaque probabile est alterius epigrammatis esse et lemma et Simonideum titulum, quibus ornatum esse videatur novum carmen, postquam hoc epigramma et praecedens lemmate tituloque casu nescioquo privatum in unum coaluerint. Quod confirmare videtur Planudes, qui prius tantum recepit distichon ut carmen peculiare neque id Simonidis titulo instruxit sed Alexandri. Non huius loci est quaerere, num revera carmen Aetolo debeatur, sed hoc constare puto Planudi neque epigramma fuisse Simonideum et seriei Simonideae epigramma primum ep. 507 b.

Valde dubito, sitne series illa 507 b—516 ut reliquae duae habenda pro fragmento maioris ordinis a Meleagro ex Sylloge Simonidea excerpti. Iam per se mirum est, quod post priorem sepulcralium epigrammatum Simonideorum seriem continuam in viros fortes alteram invenimus, in qua adesse non videtur certum ordinis consilium. Ep. Tegeaticum 512, quod in hac varii argumenti serie unicum est in viros fortes, potius in priore positum vel saltem cum gemello suo VII. 442 iunctum expectaveris. Quae autem res maxime me movet, ne Meleagrum hanc seriem composuisse putem, is est ordo litteralis, qui in his epigrammatis cernitur exceptis tribus extremis (507 b οὐκ; 508 Παυσανίαν; 509—511 σῆμα, σῶμα, σῆμα; 512 τῶνδε; 513 φῆ). Qui Stadtmüllero seriei originem ex Sylloge Simonidea probare videbatur (vid. ad titulum ep. 507: 'fr. Syll. Simon. epp. 507—513 (*A* — *Φ*)'), mihi contra posteriorem originem arguit. Nam neque in Sylloge Simonidea digerenda elementarem ordinem observavit Collector (qui epigrammata argumento coniuncta ut epp. Thermopylensia, Corinthiaca, alia, quae iam apud scriptores composita invenit, diremisse non videtur) neque in Corona Meleager (cf. § 89). Itaque epigrammata illa post Meleagrum i. e. a Cephala demum in hunc ordinem congesta

esse videntur, cum in Corona legerentur dispersa. Convenit, quod horum epigrammata argumenta eadem sunt atque epigrammatum, ex quibus magni fragmenti Meleagrei, quod nostrae seriei praecedit, altera pars composita est (sc. in naufragos et in pueros puellasque praematura morte absumptos). Epigramma 512 apud Meleagrum haud magno intervallo diremptum lectum fuisse videtur ab ep. VII. 442; epitaphium Pausaniae medici fortasse iam apud eum sequebatur ep. in puerum Gorgippum ante nuptias mortuum 507 b, quia in utroque de *thalamis* Proserpinae sermo est, — quae locutio in hoc ep. sane optime se habet, in illo autem perversa est (ex trad. A orta *Φερσεφόνης ἀδύτων*, cf. § 139). In epigrammatis Simonideis ex hac Coronae Meleagreae parte conquirendis unum tantum neglexit Cephalas VII. 496. Quod nostrae seriei epigrammata ex Sylloge non uno ordine propagata sunt, id praeterea demonstratur titulo epigrammatis 514 *Σιμωνίδου*, quem ex titulo [*Ἀντιπάτρου*] *Σιδωνίου* perperam lecto ortum esse certum mihi est (coll. ep. VII. 303, vid. alt. h. c. p.). Praeter epp. 508 atque 512 et 516 (de quo vid. § 104) horum igitur epigrammatum tituli Simonidei eadem norma diiudicandi sunt atque eorum epigrammatum, quae in fragmentis Meleagreis dispersa leguntur. Error subesse potest Meleagri librariorum Cephalae.

§ 103. *De imitationibus Simonideis Mnasalcae.* De Mnasalcae, quem ut imitatorem Simonidis ludibrio habuit Theodoridas AP. XIII. 21, imitationis ratione, cum accuratius disputaturus sim in ea huius capitis parte, in qua in universum epigrammatum Simonideorum imitatio tractabitur (§ 124—130), nunc tantum (ut § 98 *c*) illius disputationis summam indicare necesse habeo: Mnasalcam epigrammatum Simonideae Sylloges sententias suum in usum convertisse, imitationes autem eius una excepta (AP. VII. 242) ad unam omnes in traditione posteriore rursus Simonidi vindicatas esse ea ipsa de causa, quod Simonideae essent (sc. epp. Simon. 143, 95, 103, 106 = AP. VI. 2, VII. 301, 442, 443); in his quinque epigrammatis respici mihi videri et alia epp. Sylloges Simonideae et haec, quae in AP. legantur: ep. 92 (VII. 249), epp. gemella 99 et 100 (VII. 251, 253), ep. 105 (VII. 258), ep. 98 (VII. 347), ep. 102 (VII. 512), ep. 94 (VII. 677, cf. § 99,12 et § 97 n. 148), ep. 112 (XIII. 26).

Itaque ex Mnasalcea imitatione nunc Syllogae Simonideae vindicare possumus ep. VII. 512 (cf. § 102) et XIII. 26, cetera epp. enim ex ceteris indiciis ei assignare iam potuimus.

§ 104. *Quid de Anthologiae Palatinae epigrammatis Simonideis constituere potuerimus.* Ex tribus, quibus usi sumus, indiciis apparuit inter 70 (73) epp. Simonidea, quae in Anth. Pal.

legantur, certo vel saltem probabiliter indicari posse epp. *viginti duo*, quae ornata essent titulis Simonideis vetustioribus i. e. ex Sylloge Simonidea propagatis: VI. 50 et 197 (§ 99), 213 (§ 100), 214 et 215 (§§ 99, 100), 216 (§ 100), VII. 248 (§§ 99, 101), 249 (§§ 99, 101, 103, *ex omnibus igitur tribus indiciis*), 250 (§§ 99, 101), 251 et 253 (§§ 101, 103), 254 et 257 (§ 101), 258 (§§ 101, 103), 296 (§ 99), 347 (§§ 99, 103), 348 et 508 (§ 99), 512 (§ 103), 677 (§§ 99, 103), IX. 700 (§ 99), XIII. 26 (§ 103). Exciderunt tituli epp. VII. 257, 347, [677].

Unum ep. illis viginti duobus adiecerim, sc. ep. VII. 77 (Sim. 129), quod Simonidis somnium celeberrimum celebrat. Hoc ep. apud scriptores antiquos vulgatum (cf. § 58) a Collectore praetermissum non videtur. Noli tamen inde deducere ep. 128, quod pro huius epigrammatis gemello haberi soleat atque VII. 516 alterius seriei epigrammatum Simonideorum sepulcralium sit ultimum, etiam in Sylloge affuisse. Nullo enim in testimonio epigrammata illa coniunguntur nisi in annotatione (Michaelis Chartularii) in cod. Pal. pag. 219 marg. sup. servata.

Fragmenta maiora ordinum epigrammatum ex Sylloge Simonidea a Meleagro excerptorum habemus duo: donativorum epp. VI. 213, ⟨ep. Sim. 147⟩, VI. 214, 215, 216 atque sepulcralium epp. VII. 248, 249, ⟨ep. Sim. 96⟩, VII. 250, 251, 253, 254, 257, 258.

A Sylloge Simonidea aliena esse sive in nostra disquisitione apparuit sive verbo monui epp. *duodetriginta* haec: V. 158 (§ 90 n. 116), VI. 2 (§ 103), 145 (§ 91 n. 120), 212, 213* = 144 (§ 91), 217 (§ 100), 343 (§ 97), VII. 20 (§ 93), 24, 25 (§ 82 n. 103), 254 b (§ 101), 301 (§ 103), 344 $a+b$, 344*, 345 (§ 92), 431 (§ 87), 442, 443 (§ 103), 507, 514 (§ 102), 647 (§ 88), IX. 147 (§ 84), XI. 9* = V. 160 (§ 90), XIII. 11 (§ 82 n. 103), 14, 19, 28 (§ 96).

Itaque *undeviginti* sunt epp. (VI. 52, VII. 177, 270, 300, 302, 349, 496, 507 b, 509, 510, 511, 513, 515, 516, IX. 757, 758, X. 105, XIII. 20, 30), quae num ex Sylloge Simonidea in AP. pervenerint an perperam (i. e. contra Sylloges auctoritatem, nam de Simonide ipso auctore nunc non quaeritur) Simonideum nomen nancta sint, indiciis nostris dirimi non potuit.

Vix denique monendum erit parum religiose agere eos, qui mero Anthologiae titulo freti epigramma quoddam Syllogae Simonideae, nedum dicam Simonidi ipsi, vindicent.

20. ANTHOLOGIA PLANUDEA.

§ 105. *Anth. Plan. epp. Simonideorum tabula.* Simonidea epp., quae Anth. Plan. sive Simonidis nomine ornata exhibet sive

alibi illo munita, praebeo eo ordine, quo leguntur in Planudis autographo (Marciano). Distinctae igitur sunt librorum primi (demonstrativ.) tertii (sepulcr.) quarti (*εἰς θεῶν ἀγάλματα κτλ.*) syllogae priores (*a*) et posteriores (*b*), cf. Stadtmüller II p. XXXII. Sextus liber continet epp. dedicatoria, septimus (in capita non divisus) amatoria.

Notitias de iis epigrammatis, quae nondum a Stadtmüllero edita sunt, debeo ipsius viri clarissimi comitati. In huius editione ipsa lectores videant velim, quae discrepantiarum ratio sit inter Planudis autographon et Planudeae Anthologiae editiones (quae etiam inter se saepius differunt) obviarum. De ordine libri IV capitum 6—12, quem, cum ea non *κατὰ στοιχεῖον* disposuisset (vid. n. 24—27, *ac* = ante correcturam, *pc* = post corr.), Planudes ipse mutavit, vir cl. disputabit in librorum AP. VIII et IX editione, quae sub prelo est.

Quae epp. desiderantur in Anth. Palatina, ea insignivi numero, quo notantur in Anthologiae Palatinae, quae dicitur, appendice Planudea, i. e. in sylloge epigrammatum Planudeorum in Anth. Pal. non obviorum, quam ut peculiarem librum (XVI) Anthologiae Palatinae adiecit Jacobs [150]).

Num.	AP.	Bgk.	Marcianus (autographon Planudis).	Plan. Edit.	Titulus.
1	X. 105	122	Ia c. *36* (*εἰς θάνατον καὶ εἰς θανόντας*), 4	I. *37*. 4	*ἄδηλον.*
2	XI. 9*	p. 515	Ia c. *70* (*εἰς πόρνας*), 2	I. *72*. 2	Contra AP. V. 60 *Hedyl. s. Asclep.* Cf. § 90.
3	*XVI.* 23	154	IIIa c. 2 (*εἰς ἀγωνιστάς*), 1	III. 2. 1	
4	*XVI.* 24	156	IIIa c. 2 (» »), 2	III. 2. 2	
5	VII. 248	91	IIIa c. 5 (*εἰς ἀνδρείους*), 19	III. 5. 19	Nomen poetae omittitur.
6	VII. 249	92	IIIa c. 5 (» »), 20	III. 5. 20	» » »
7	VII. 250	97	IIIa c. 5 (» »), 21	III. 5. 21	» » »
8	VII. 251	99	IIIa c. 5 (» »), 22	III. 5. 22	» » »
9	VII. 253	100	IIIa c. 5 (» »), 23	III. 5. 23	» » »
10	VII. 254	108	IIIa c. 5 (» »), 24	III. 5. 24	
11	VII. 257	101	IIIa c. 5 (» »), 26	III. 5. 26	*ἀδέσποτον* (sic Pal. *ἄδηλον*).
12	VII. 258	105	IIIa c. 5 (» »), 27	III. 5. 27	
13	VII. 516	128	IIIa c. 6 (*εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους*), *11*	III. 6. *12*	[In marg. inf. f. 31v, ut cum eiusdem argumenti epigrammatis componeretur VII. 357 sqq. Cf. § 102.]
14	VII. 507	124a	IIIa c. 6 (» » » »), 21	III. 6. 21	*Ἀλεξάνδρου.* Cf. § 102.

150) Altera extat Jacobsiana appendix (vulgo AP. XVII), quae continet seriem 'epigrammatum apud scriptores veteres passim et in marmoribus servatorum'. Cavendum est, ne putemus huius sylloges epigrammata in alterutra Anthologia tradi (cf. § 110).

15	VII. 344*	p. 515	III^{a} c. 10 (εἰς γέροντας), 3	III. 10. 3	Λεωνίδου (Pal. τοῦ αὐτοῦ = Σιμωνίδου, at VII. 187 = Φιλίππου). Cf. § 92.
16	VII. 345	p. 515	III^{a} c. 10 (» »), 4	III. 10. 4	ἀδέσποτον (Pal. ἀδ. οἱ δὲ Σιμ.).
17	VII. 270	109	III^{a} c. *19* (εἰς ναυηγήσαντας), 8	III. *22*. 8	Nec vero=VII.650*. Cf.§141,6.
18	VII. 647	116	III^{a} c. *20* (εἰς νέους καὶ νέας), 13	III. *23*. 13	Σαμίου (Pal. Σιμωνίδου οἱ δὲ Σιμμίου). Cf. § 88.
19	VII. 515	117	III^{a} c. *20* (» » » »), 16	III. *23*. 16	
20	VII. 20	180	III^{a} c. *22* (εἰς ποιητάς), *28*	III. *25*. *38*	Σιμ. (cum A, ἀδεσπ. C).
21	VII. 24	183	III^{a} c. *22* (» »), *36*	III. *25*. *48*	
22	VII. 25	184	III^{a} c. *22* (» »), *37*	III. *25*. *49*	
23	*XVI.* 60	185a	IV^{a} c. 3 (εἰς εἰκόνας Βακχῶν), 4	IV. 3. 4	[Etiam Σ^{π} n. 26.]
24	*XVI.* 204	p. 515	IV^{a} c. 6^{ac} [c. 12^{pc}] (εἰς ἀγάλματα θεῶν καὶ θεαινῶν), *52*	IV. 12. *53*	
25	*XVI.* 232	133	IV^{a} c. 6^{ac} [c. 12^{pc}] (» » »), *87*	IV. 12. *85*	
26	*XVI.* 82	185b	IV^{a} c. 10^{ac} [c. 6^{pc}] (εἰς ζωγράφους καὶ ἀγαλματουργοὺς καὶ ἁπλῶς εἰκόνας), 4	IV. 6. 4	
27	IX. 757	161	IV^{a} c. 10^{ac} [c. 6^{pc}] (» » »), *6*	IV. 6. 7	Σιμ. [Ep. primo omissum in marg. sup. f. 52^{v} positum.] In Pal. titulus mutilus est, at fuit *Sim.* Cf. § 84.
28	IX. 758	162	IV^{a} c. 23 (εἰς οἴκους), *16*	IV. 23. *15*	Σιμ. Pal. τοῦ αὐτοῦ respicit ad tit. mutilum, antea Σιμ. (supra n. 27).
29	VI. 50	140	VI c. 19 (εἰς ναούς), 1	VI. 19. 1	
30	VI. 2	143	VI c. 25 (ἀπὸ στρατιωτῶν), 1	VI. 25. 1	
31	VI. 52	144	VI c. 25 (» »), 4	VI. 25. 4	
32	V. 158	178	VII. 12	VII. 12	
33	*XVI.* 2	149	I^{b} c. 1 (εἰς ἀγῶνας), *3*	I. 1. 7	
34	*XVI.* 3	153	I^{b} c. 1 (» »), *4*	I. 1. *8*	
35	VII. 302	121	III^{b} c. 1 (εἰς ἀγαθοὺς ἄνδρας), *1*	III. 1. *18*	
36	VII. 344*a*	110^{α}	III^{b} c. *4* (εἰς ἀνδρείους), *9*	III. *5*. *45*	
37	VII. 344*b*	110^{β}	III^{b} c. *4* (» »), *10*	III. *5*. *46*	Σιμ., Pal. *Callimachi*. Cf. § 92.
38	VII. 512	102	III^{b} c. *4* (» »), *11*	III. *5*. *48*	Nomen poetae omittitur.
39	VII. 431	182	III^{b} c. *4* (» »), *14*	III. *5*. *51*	» » » (Pal. ἄδηλον οἱ δὲ Σιμ.). Cf. § 87.
40	VII. 442	103	III^{b} c. *4* (» »), *16*	III. *5*. *53*	
41	*XVI.* 26	89	III^{b} c. *4* (» »), *18*	III. *5*. *55*	
42	VII. 301	95	III^{b} c. *4* (» »), *19*	III. *5*. *56*	
43	VII. 348	169	III^{b} c. *5* (εἰς ἄνδρας οὐκ ἐπισήμους), *3*	III. *6*. *39*	
44	VII. 349	deest	III^{b} c. *5* (» » » »), *4*	III. *6*. *40*	Nomen poetae omittitur.
45	VII. 508	deest	III^{b} c. *14* (εἰς ἰατρούς), *2*	III. *15*. *3*	» » »
46	VII. 510	119	III^{b} c. *19* (εἰς ναυηγήσαντας), *22*	III. *22*. *69*	
47	VII. 513	115	III^{b} c. *19* (» »), *23*	III. *22*. *70*	[Ep. poni debuerat in capp. III. 20^{ab} vel 27^{a}, 25^{b}; cf. epp. VII. 646 sq. Cf. § 102.]
48	VII. 300	123	III^{b} c. *25* (εἰς υἱοὺς καὶ θυγατέρας), *1*	III. *31*. 5	
49	IX. 147	p. 515	IV^{b} c. *28* (εἰς πόλεις), *10*	IV. *29* (εἰς ποταμούς), *1*	Σιμωνίδου, Pal. *Antagorae*.

In universum tria intercedunt discrimina inter Anthologias Planudeam atque Palatinam:

1. Planudes habet epp., quae desunt in Anth. Pal. (§ 106).
2. Planudei tituli non semper cum Palatinis conveniunt (§ 107).
3. Planudeus epigrammatum textus saepe a Palatino discrepat (§ 108).

De his discrepantiis, quod ad Simonidea attinet, deinceps nobis dicendum est.

§ 106. *De epp. Simon. Planudeis in AP. non obviis.* Inter epp. Simonidea 49, quae in Anthologia Planudea inveniuntur — Palatina habet 70 vel si syllogen $\Sigma\pi$ comprehendis 73 — *novem* (XVI. 2, 3, 23, 24, 26, 60, 82, 204, 232 = conspectus mei n. 33, 34, 3, 4, 41, 23, 26, 24, 25) sunt, quae in Anthologia Palatina desiderantur. Si quis quaerit, num haec epp. sive omnia sive nonnulla per Cephalanam Anthologiam Meleagreamque Coronam ex Sylloge Simonidea propagata videantur, ei necesse erit inquirere in universam, quae intersit inter Planudeam atque Cephalanam Anthologias, condicionem, quam nondum ita constituit virorum doctorum pervestigatio, ut communis opinio formari potuerit (cf. Susem. Al. L. II. 570; PW.—RE. I. 2386; Krumb. Byz. L.[2] 728). Nostrae autem commentationis fines nimium egreditur disquisitio eiusmodi, neque investigationi Simonideae obesse quicquam puto, si utar ea opinione, quam hodie plerique viri docti amplectuntur, Planudem praeter Cephalae Anthologiam ipsam usurpasse fontes eius (de libri AP. XIII usu apud Plan. cf. § 111 n. 155). Sic fieri potuisse concedendum est, ut ex Corona Meleagrea reciperet Planudes Simonidea epp. nonnulla, quae in Cephalanam non transissent. Revera Planudea epp. aliquot ad Syllogen Simonideam referri possunt.

Indicia praecipua, ex quibus Palatinae Anthologiae epp. quaedam Syllogae Simonideae vindicare potuimus (§ 98 sqq.), in Planudeae epp. illis novem parvi sunt auxilii. Nullum enim ex his epigrammatis alibi in trad. A invenitur (qua ex re effici posset hic traditionem S praeberi) [151] aut legitur in serie continua Simonidea ex Meleagro propagata [152]). Tertio autem indicio, Mnasalcea imitatione, Syllogae accensetur ep. XVI. 26 (Sim. 89), cf. § 129. Praeterea

151) De ep. 185 b (XVI. 82), quod apud Strabonem anonymum est et in textu a Planudeo discrepanti traditur, vid. § 114, de ep. XVI. 204, cuius eadem condicio extat inter Athenaeum et Planudem, vid. § 71.

152) Planudes ex serie Cephalana anathematicorum epp. Simonideorum nullum ep. recepit (§ 100), seriem priorem sepulcralium totam ascivit (§ 101), ex serie posteriore, quae non ex Meleagro fluxit, alia omisit alia assumpsit (§ 102).

ex argumento ep. XVI. 2 (Sim. 149) Syllogae vindicandum esse § 77 apparuit, quoniam cum in hoc tum in ep. deperdito 166, quod Aristodemum laudavisse ad Nem. VII. 1 Scholion Pindaricum tradit, pueri Aeginetae victoria celebrata esse videtur.

Ex Sylloge Simonidea non desumpta Corona Mel. continebat epp. XVI. 23, 24 (Sim. 154, 156); quod epigrammatum par eidem deberi auctori atque epp. AP. VII. 64, 65 demonstraturus sum in altera huius comm. parte sc. Antipatro *Sidonio* (cf. § 82 n. 103). In Corona praeterea affuisse certum est ep. XVI. 232 (Sim. 133), quippe quod Meleager ipse imitatus esse videtur AP. VII. 207 (cf. § 131 n. 168), licet incertum sit, utrum Simonideum id Meleagro fuerit necne.

Tenendum denique est fieri posse, ut inter epigrammata, quae Planudi cum Cephala communia sunt, sint, quae ille non ex hoc, sed recta via ex Corona Meleagrea receperit.

§ 107. *De titulis Planudeis.* Epigrammatum Simonideorum, quae Planudeae Anthologiae cum Palatina communia sunt, titulorum ratio potest esse generum quinque:

1. Planudes cum Palatino consentit.
2. Cum ep. in AP. sive titulo dubio instructum sive alibi alio titulo ornatum sit, Planudes alterutrum titulum praebet (cf. n. 2, 16, 20).
3. Planudes nullum ascripsit titulum epigrammati, quod in AP. titulum habet. Editiones Anth. Planudeae tum praebere solent ἄδηλον, Marcianus vero nomine vacat (cf. n. 5—9, 38, 39, 44, 45). Ab his epigrammatis distinguenda sunt ea, quibus Planudes ipse apposuit titulum ἀδέσποτον vel ἄδηλον, e.g. n. 1, 11, 16 [153].
4. Palatinus Simonidem, Planudes alium poetam praebet (cf. n. 14, 15, 18) vel ἄδηλον (cf. n. 1).
5. Planudes Simonidi tribuit ep., quod in Palat. alio nomine insignitur (cf. n. 37, 49).

In titulis Planudeis atque Palatinis controversis hoc nobis semper quaerendum est, praebeatne Planudes integrum titulum Cephalanum vel Meleagreum in Palatino corruptum an apud illum demum corruptio compareat. Nam etiam epigrammatum Planudeorum tituli corruptelis obnoxii erant, cum iisdem atque Cephalani (§ 82) tum Planudis ipsius erroribus. Fieri igitur potest, ut inter epigrammata, quae solus exhibet Planudes, sint, quae Simonideum titulum post Meleagrum vel adeo post Cephalam demum sint adepta.

---

[153]) Stadtmüller in tabula epp. sepulcralium Planudeorum (II p. XXXIV sqq.), cum epp. titulo carentia tum epp. ἀδέσποτα vel ἄδηλα nota 'adesp.' signavit; quae diverso signo iure distinxerat in epp. eroticorum Anth. Pal. et Plan. comparatione (I p. XXIII sqq.).

§ 108. *De textu Planudeo.* Planudem non semper textum receptum integrum chartae mandasse, sed saepius locos difficiles vel a se pro corruptis habitos vel parum honestos suo marte coniecturis temptasse notum est. Exempla quaedam ex Simonideis epigrammatis afferam. In ep. 95, cuius sententiam v. 3 sq. contortam expedire non potuit (cf. § 129), v. 4 post *Μηδείων* inseruit *τε* mutavitque *πολέμῳ* in *πόλεμον*; in ep. 97 reposuit *ἡμῶν* pro *αὐτῶν*, quod pro *ἡμετέραις αὐτῶν* adhibitum non agnovit; sententiam minime perspicuam ep. 103 v. 4 sollicitavit tribus deinceps coniecturis *ἀποφθιμένοις* (ex *-ον*) *κάρτος* (ex *κρατὸς*) *ἐλευθερίας* (ex *-αν*), cf. § 128; in ep. 105 pro accusativo post *παρὰ* non intellecto dativum scripsit *παρ' Εὐρυμέδοντι* (pro *-τα*), cf. § 127 n. 165; ep. 110 *οὔνομα τ'* in *ὡς ὄνομ'* mutavit, fortasse ut evitaret formam Ionicam; simplicius verbum *ἤμβροτες* dedit pro *ἤμπλακες* in ep. 119; ep. 123 adiectivum *μέγ' ἄριστος*, quod etiam hodierni vitium alere putant — scribi solet cum Grotio *Μεγάριστος* nomen proprium — in genere neutro ad *μνῆμα* traxit; cum epigrammatis 140 versum primum iure haberet suspectum (cf. § 137,3) scripsit *ἔργον* pro *ἔργῳ*; commutavit in ep. 169, opinor, propter exordium epigrammatis sequentis, participia *πιὼν* et *φαγών*, quae in formis A et S eodem leguntur loco, cf. § 70 n. 68; recte vidit corruptum esse vocem *πέλας* in Pausaniae medici epigr. VII. 508,2 (trad. A iure *Γέλα*), medelam vero adhibuit malo peiorem *κόνις*.

At, ut titulos, sic lectiones nonnumquam servavit sanas, quas depravatas exhibet Palatinus. Velut in ep. 169 trad. A habet *ἀνθρώπους*, Palat., in quo epigrammatis trad. S legitur, praebet *ἀνθρώποις*; quam lectionem non Collectoris esse mutationem, sed errorem librarii post Cephalam commissum docet Planudis cum trad. A consensus, cf. § 70. In ep. 105 servavit *ἀγλαὸν* (Pal. *ἀγλαάν*), *αἰχμηταὶ* (P. *-αῖς*); ep. 109 *Φοίβῳ ἄγοντας* (Pal. *Φοίβ' ἀγαγόντας*), cf. § 141,6; ep. 119 *σῶμα* (P. *σῆμα*) et *ἐς* (P. *ἐπ'*), quae lectiones Planudeae qua re Palatinis praeferendae sint demonstrabitur in alt. h. comm. parte; ep. 115 *Τίμαρχος* (P. *πρόμαχος*); ep. 117 *ἐρατᾷ* (P. *ἀρετᾷ*); in ep. 116 exordio *ὕστατα δὴ τάδ' ἔειπε* servavit *δή*, quod in Pal. excidit (cf. ep. eiusdem tenoris atque argumenti in AP. praecedens *λοίσθια δὴ τάδε κτλ.*). Nonnumquam utraque ratio in eodem epigrammate (e.g. epp. 119, 169) apud Planudem obtinet. Ubi igitur textus Planudeus a Palatino discrepat, controversiae ratio constituenda est.

Non prorsus certum igitur est ea epigrammata, quae ex uno Planude cognoscimus, non praeberi in textu plus minusve ab ipso Planude mutato.

21. SYLLOGE EUPHEMIANA.

§ 109. *De epp. Sim. in E obviis.* Duo epp. Simonidea continet epigrammatum sylloge (E), quae dicitur Euphemiana (cf. Stadtm. I p. XIII, II p. XXIX; Krumb. B. L.[2] p. 727; PW.—RE. I. 2384; ed. Schneidewin, Progymn. in Anth. Gr. [Comm. Acad.] Gött. 1855) sc. ep. 186 = E n. 12 (Schn. p. 24) = $\Sigma\pi$ n. 3 et ep. 143 = E n. 49 (Schn. p. 28) = AP. VI. 2. Quoniam nondum data opera, quantum scio, inquisitum est, quibus ex fontibus huius sylloges epp. hausta sint qualisque condicio inter eam atque Anth. Ceph. et Plan. intersit (cf. Stadtmüller Fleck. Jb. 139. 1889 p. 770 sq.) pro certo constitui non potest, unde haec duo epp. petita sint. Attamen ep. 143 ex Corona Meleagrea propagatum esse qui contenderit coll. AP. VI. 2 a vero non aberraverit. Unde haud scio an ep. 186 quoque fluxerit; quod tum a Cephala ex Meleagro non receptum esse auctorique sylloges $\Sigma\pi$ in sylloge minore eiusmodi, qualis sit E, praesto fuisse censendum est.

22. STOBAEUS.

§ 110. *Unum ep. 176 ap. Stob. Simonideum esse; incertum esse, qua auctoritate nitatur.* Ursinus Simonideorum epigrammatum seriem suam p. 168 (§ 1 n. 1) clausit tribus 'epigrammatis' ex Stobaeo desumptis; primum constat ex duobus distichis Flor. CXVIII. 4 Mein. (Erinnae fr. 3 B. III.[4] 143) + 5 (Sim. fr. 38 B.), alterum itidem ex duobus distichis Ecl. Phys. I. 8. 15 Wachsm. (ep. 175 B., vid. infra) + 16 (Agath. unic. fr. lyr. B. II.[4] 268), tertium ex hexametro poetae ignoti Ecl. Phys. I. 1. 9 adiuncto pentametro incerti elegiaci I. 1. 6. Haec Ursinianae neglegentiae testimonia profecto prorsus abiecta atque oblitterata essent, nisi Jacobs (Animadv. I. 272) aures praebuisset Ursinianae ad alterum 'epigramma' annotationi (p. 335): 'citat Simonidis hos versus ἐκ τῶν ἐπιγραμμάτων Ioannes Stobaeus in libro ἐκλογῶν φυσικῶν γνωμῶν'. Qua ex auctoritate Jacobs ipse distichon prius (Ecl. Phys. I. 8. 15) recepit in Anth. Pal. append. epp. [XVII] n. 84, deinde Schneidewin p. 150 n. 156, Bergk ep. 175, unde 'epigramma Simonideum' pervenit in librum Hauvettii p. 31 (Ursini testimonio ex Meinekiana editione Stobaei repetito) et p. 64 n. 19, qui v. d. tantum tribuit Ursino, ut non dubitaret distichon habere inter ea epigrammata Simonidea, quorum fides nullo dubio esset obnoxia[154]).

---

154) In Hilleri—Crusii Anthol. Lyr. distichon inter epp. Simonidea non amplius comparet.

Quamquam iamdudum Wachsmuth in ed. Stobaei monuerat nihili esse auctoritatem Ursini 'cum ille praeter Canterianam Farnesinum solum adhibuerit, in quo Simonidis nec vola nec vestigium'. Nihilominus Wachsmuth ipse eclogae, quae in Parisino quoque auctore caret, inscripsit ⟨Σιμωνίδου⟩, quod nomen latere arbitrabatur in litteris μονου praecedentis eclogae titulo appositis quodque confirmare aliud testimonium ei videbatur sc. Anth. Pal. appendicis [*Jacobsianae*] n. 84. *Hunc locum vero pro testimonio habere non licet, ipsa enim Ursini auctoritate nititur* (cf. supra et § 105 n. 150). Ursini annotatio viro clarissimo inde orta esse videtur, quod 'ille ascito titulo eclogae 22 [vid. infra] coniecturam ex argumento fecit'. Equidem potius putaverim eum ipsam illam eclogam, quae post paucarum eclogarum intervallum sequatur *desitque in eius Simonideorum epigrammatum serie*, recipere voluisse, argumenti vero similitudine ad priorem aberrasse.

Altera illa ecloga (Ecl. Phys. I. 8. 22) revera cum in Farnesino tum in Parisino titulum *Σιμωνίδου ἐπιγραμμάτων* habet appictum (ep. 176): *ὅ τοι χρόνος ὀξὺς ὀδόντας* | *καὶ πάντα ψύχει* (*πάντα καταψήχει* Sintenis, Bergk) *καὶ τὰ βιαιότατα.* Qua vero auctoritate nititur hic titulus, quem fontem Stobaeus vel anthologii, quo usus sit, concinnator adhibuit? Hae quaestiones non solum ea de causa vix solvi possunt, quod valde intricatae sunt disquisitiones de florilegiorum istorum origine in universum, sed praeterea quod in illis epigrammatica poesis tantum non neglegitur, atque adeo sesquiversus ipse an revera epigrammatis sit fragmentum iure dubitaveris. Fortasse conicere licet versus ex scriptore quodam (e. g. ex Herodiano, quem ex Corona Meleagrea exempla petivisse vidimus § 64) pleniore titulo ornatos *ὡς Σιμωνίδης ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν* esse arcessitos (cf. § 113); an cogitandum de Favorini, qui etiam Coronam novit (§ 53), Gnomologicis (de quibus cf. Wachsmuth, Studien zu den gr. Florilegien, Berl. 1882 p. 131 sqq.)? Sed nolo in re tam incerta indulgere coniecturis. Bergkio atque Hauvettio horum versuum adeo *auctoritas* Simonidea explorata erat.

23. SUIDAS.

§ 111. *De epp. ex Anth. Ceph. petitis.* Suidas arcessivit epp., quae laudat, Simonidea ex fontibus duobus diversis, ex Anthologia Cephalana et ex scriptoribus; quo factum, ut nunc ad traditionem S nunc ad A pertinentia epigrammata afferret.

Suidas 'Aristophanem si excipis nullum alium scriptorem tam frequenter citat, quam epigrammatum Corpus non multis annis ante a Constantino (Cephala) paratum'. Quae verba sunt Stern-

bachii (Melet. Gr. p. 18), qui v. d. tamen ex epigrammatum Cephalanorum copia a Suida prolata iniuria effecit Cephalam Anthologiae suae finem imposuisse post AP. IX. 563 (ubi manus B textum exarare incipit). Percurrenti autem in scriptorum a Suida laudatorum indice apud Bernhardyum II p. 1963 sqq. seriem epigrammatum Anthol. Palatinae, quae Suidas respexit, statim elucet illum sedulo excussisse Cephalanam Anth. usque ad VII. 247, tum autem labore supersedisse; ex epigrammatis reliquis non amplius decem vel duodecim laudavit (cf. § 94) [155].

Vulgo Suidas epp. Cephalana vel eorum fragmenta laudat adiecta nota (ὡς) *ἐν ἐπιγράμμασιν* auctoris nomine omisso. Non solet ea cum aliis excerptis conflare. Vel ea de causa errasse censendus est Hiller p. 233, cum Suidam ep. Sim. 90 — quod ceteroquin in Anthologia Palatina non legitur — ex Anth. Cephalana petitum glossae *Ποικίλη* adiecisse putaret (cf. § 59 et § 112). Textus Suidae saepius eadem ostendit vitia atque Palatinus. Epigrammata Simonidea a Suida respecta haec sunt: ep. 141 (s. v. *δαρετίου*, cf. § 137,4); ep. 144 (s. v. *ἧσο, μελίαι, ταναή, τέτρυσαι*); ep. 150 (s. v. *ἀγοστῷ*, cf. n. 155 et § 91 p. 154); ep. 179 (s. v. *ἀπεμορξάμην, βουφάγος, ἤρασσον, κατήλυσιν, λάτρις, ὄρεια*); ep. 180 (s. v. *οἰνωπός*); ep. 183 (s. v. *γεραιός, ἡμερίς, λαρός*); ep. 184 (s. v. *μολπή*). In his epigrammatis, quatenus non librariorum culpa Simonidis nomen acceperunt, Suidas repraesentat traditionem S.

§ 112. *De epp. ex scriptoribus petitis.* Ex scriptoribus praeter Anth. Cephalanam hausta leguntur apud Suidam Simonidea epp. haec:

Ep. in Acronem s. v. *Ἄκρων*. Fons nimirum Diogenes Laertius V. 68 est (cf. § 75). Epigrammatis utraque traditio (A et S), quae ibi legitur, a Suida repetitur.

Ep. 90 (quod nusquam Simonidis nomine insignitum invenitur, cf. § 44) s. v. *Ποικίλη*. Unum epigramma ad Anth. Ceph. referre voluit Hiller (§ 59 et § 111), nos totam glossam ad Ephorum referre malumus (cf. § 59). Incertum autem est, ex quo scriptore venerit in manus Suidae. Fortasse eiusdem erat generis atque is, cui Schwartz PW.—RE. II. 928 sq. debere Suidam putat

Ep. 138 s. v. *Πανσανίας*. Quamquam et ex textu A et ex nomine

---

155) Suidam librum AP. XIII iam ab Anth. Cephalana segregatum novisse, non eo scilicet constat, quod nullum huius libri ep. laudat, sed eo, quod alterum distichon ep. VI. 144 = 213* respicit s. v. *ἀγοστῷ*; id enim priori interpolatione accessit post librum AP. XIII compositum (cf. § 91 p. 161). — Contra haud scio an Planudes integram Anthologiam Cephalanam usurpaverit (cf. § 94 p. 170).

poetae omisso elucet Suideam notitiam recurrere ad Thucydidem I. 132, Schwartz l.l. haud scio an iure contenderit sumptam esse glossam ex scriptore quodam, qui in fundamento Herodoteo atque Thucydideo varias struxisset narrationes [156]). Ad idem historiarum genus viro cl. pertinere videtur libellus Aristodemi (cf. § 119), qui FHG. V p. 7 eiusmodi de Pausania praebet narrationem. Suidas in Anthologia Cephalana idem ep. Simonidi tributum atque in textu S (AP. VI. 197) reperire potuerat.

Epp. 91 et 92 s. v. *Λεωνίδας* leguntur in trad. A (ep. 92 A¹) manifesto ad Herodotum recurrentia, cum trad. S Suidae in Anth. Ceph. (AP. VII. 248 sq.) praesto fuisset. Fieri potest, ut haec quoque glossa ex tali historica scriptione sit desumpta, qualis supra commemorata est. Nisi ceteroquin textus vitio laboraret, equidem sane pro insiticio habere non ausim ep. 91, quod, cum desit in codicibus ABV (potioribus sane) vulgo non adiectum censent a Suida. Qui postquam de Leonidae maioribus atque de Thermopylis disseruit, pergit sic: *ἐπελθόντος δὲ τοῦ βασιλέως οἱ μὲν ἄλλοι πάντες τὸ πλῆθος εὐλαβηθέντες ἔφυγον. Θηβαῖοι δὲ ηὐτομόλησαν· οὓς λαβὼν ἔστιξε βασιλεὺς †σὺν στρατιώταις τριακοσίοις Σπαρτιάταις· ἐπιγέγραπται ἐπὶ Λεωνίδου ἐπίγραμμα·* [*μυριάσιν κτλ.* . . . . (ep. 91) *καὶ ἕτερον ἐπὶ δυσὶν ἀδελφοῖς·*] *ὦ ξεῖν' κτλ.* . . . . (ep. 92). Fratres duo, qui commemorantur in sententia cancellis inclusa, sunt Alpheus atque Maro, quorum audaciam laudat Herodotus VII. 227. Ex capite sequenti propagatus est epigrammatum 91 et 92 textus; lectio *ἄγγελε* (ep. 92) igitur depravata est ex *ἀγγέλλειν* (A¹, sic recte cod. E), non ex *ἄγγειλον* (A² et S).

24. PS.-TRYPHO.

§ 113. *De syllabes hyperbato in ep. 159 obvio.* In scriptione *περὶ τρόπων* (ed. a Boissonadio An. Gr. III. 270—284 Tryphonis nomine, a Walzio Rh. Gr. VIII. 761—778, Spengelio Rh. Gr. III. 215 sqq. Gregorio Corinthio attributa, quo vero Krumbacheri iudicio Byz. L.² 588 sq. paulo est vetustior, cf. praeterea Suse-

156) 'Auf dem herod.-thukydideischen Grundstock sind allerlei Geschichten aufgepflanzt, die berühmt und beliebt waren, hier und da haben auch Varianten den Bericht der Hauptquelle verdrängt . . . . die Quellen, von denen diese Seitentraditionen hergeleitet sind, lassen sich nicht mehr nachweisen und so ist es gefährlich hier mit bestimmten Namen, wie mit dem des Ephoros um sich zu werfen' (vidimus autem § 59 verisimile esse ex Ephoro fluxisse glossam *Ποικίλη*).

mihi Al. L. II. 213 n. 372) p. 768 W. in capite de hyperbato ad syllabes hyperbaton exemplo illustrandum fragmentum affertur epigrammatis Simonidei 159: *ἔνιοι δὲ καὶ ἐν ταῖς συλλαβαῖς ὑπερβατὰ πεποιήκασιν, ὡς καὶ Σιμωνίδης ἐν ἐπιγράμμασιν· 'Ἑρμῆν τόνδ' ἀνέθηκε Δημήτριος· ὄρθια δ' οὐκ ἐν προθύροις', ἀντὶ τοῦ οὐκ ὄρθια δέ.* Quo testimonio freti Bergk, Preger (119), Hauvette (p. 31) non dubitaverunt, quin ipsius Simonidis esse versum iudicarent.

Quoniam rhetores eiusmodi posteriores, qualis nostrae scriptionis est auctor, in exemplis figurarum troporumque eligendis ipsi ultra Homerum oratoresque progredi non solent, necesse est hoc *lyrici* fragmentum in scriptionibus rhetoricis tralaticium hyperbati *ἐν συλλαβῇ* fuisse exemplum. Haud scio an non erraverim id referens ad Herodianum; cuius ex scriptis rivulos fluxisse creberrimos in posteriores grammaticos satis constat (cf. Lentz I p. XIII) quemque *fragmenta epigrammatum* in *Corona Meleagrea* inventorum laudasse *adiecta nota ὡς καὶ* (e.g. *Σιμωνίδης* vel *Καλλίμαχος*) *ἐν ἐπιγράμμασιν* vidimus § 64.

Sed sive Herodianus fuit sive alius grammaticus, qui Ps.-Tryphoni Simonideum tradidit, fieri non potest, ut hic ex illo sententiam integram servaverit. Etenim quod hyperbaton inesse dicitur in his versibus (*ὄρθια δ' οὐκ*] *ἀντὶ τοῦ οὐκ ὄρθια δέ*), id *syllabes* hyperbaton non est; vitiis praeterea metricis laborat versus ipse (corripitur vocis *Δημήτριος* syllaba prima, deest in fine hexametri post *οὐκ*, una syllaba). Unus ex viris doctis, qui versum in integrum restituere conati sunt — ceterorum coniecturas videas apud Bergkium atque Pregerum, accedunt Ludwichianae Progr. Königsb. 1897 p. 4 —, W. Headlam, et lenissima et felicissima correctione metrica vitia sustulisse mihi videtur atque syllabes hyperbaton revocasse. Journ. of Philol. 26. 1899 p. 93 et Class. Rev. 14. 1900 p. 9 textum refinxit sic:

Ἑρμῆν τόνδ' ἀνέθη Δημήτριος Ὀρθιάδου κεν
ἐν προθύροις . . . .

Syllabes hyperbaton apparet in vocabulo *ἀνέθη-κεν* diviso. De nomine proprio *Ὀρθιάδης* v. d. conferri iubet CIG. 2338 et Fick. Personennamen p. 131. Itaque explicatio *ἀντὶ τοῦ οὐκ ὄρθια δέ* demum apposita est, postquam textus epigrammatis ipse pessumdatus est neque iam genuina explicatio intellegi potuit.

Valde veri dissimile est epigramma, in quo eiusmodi lusus occurrat, iam ante Collectorem conditum esse. Qua de causa, si revera ep. ab Herodiano ex Corona Meleagrea petitum esse videtur, id in illa errore aliquo Simonidis nomen adeptum esse constituendum est.

25. CONST. VII. PORPHYROGENNETUS.

§ 114. *De textibus diversis epigrammatis 185 b.* Porphyrogennetus de adm. imp. p. 99 (Bonn. vol. III) enarrat casus Colossi Rhodii commemoratque epigrammatium (Sim. 185 b), quod integrum habemus apud Strabonem XIV. 2. 5 p. 652, in textu duobus locis corrupto (ὀκτάκις pro ἑπτάκις, cf. Plin. H. N. 34. 18: '*septuaginta* cubitorum altitudinis fuit', et Λάχης pro artificis nomine Χάρης). Idem autem corruptus textus redit in Anth. Plan. IV[a]. 6. 4 (app. Plan. 82) *adiecto Simonidis nomine.* Quamquam Porphyrogenneti fontem indicare non possum, hoc mihi constat Simonideam auctoritatem infima demum aetate accessisse. Nam aut ep. in Cor. Meleagrea affuisse censendum est atque ex ea et in Porph. et in Plan. propagatum esse, aut Planudes ep. hausto ex Porph. errore tali, qualem commisit e.g. in ep. Antagorae AP. IX. 147 (§ 105 tab. n. 49), Simonideam auctoritatem ascripsisse videtur. Alter scriptor Byzantinus, qui etiam in corrupto textu atque anonymum ep. praebet, Cedrenus (Bonn. I p. 755, cf. § 119), ad Porphyrogennetum videtur recurrere. Itaque inter textum anonymum Strabonianum et textum ab eo diversum Planudeum non extat condicio A ∾ S, quam in huius epigrammatis traditionibus non obtinere iam monet eius argumentum.

26. TZETZES.

§ 115. *De epigrammatis apud Tzetzam obviis.* Lectoribus gratum me facturum spero Tzetzae historiam περὶ τῶν νικῶν Σιμωνίδου (Chil. I. 24. 619—639) totam describentem. Scholii vice fungitur ad epistolae (Chil. IV. 468 sqq.) ad Joannem Lachanam grammaticum datae versum 487[um]: ὁ Σιμωνίδης νίκαις δὲ πεντήκοντα καὶ πέντε sc. ἡβρύνετο vel ἐγαυρία.

ἦν Σιμωνίδης Σάμιος υἱὸς ὁ τοῦ Ἀμόργου.
οὗτος δ' ὁ Λεωπρέπεως, ὁ Κεῖος Σιμωνίδης,
ἦν πένης, ἀλλ' εὐχάριστος, ἀεὶ νικῶν ποιήσει,
ὥσπερ Κοννᾶς (cf. Ar. Eq. 534) ὁ αὐλητὴς ὁ ὀλυμπιονίκης.
Ἀριστοφάνης (Pac. 698 sq.) κωμῳδεῖ πενίαν Σιμωνίδου·
ὁ δ' Ἀριστείδης (*Schol.* Ar. 201 Fr., 533 D.) γέγραφεν ἀνδρὸς εὐχαριστίαν.
πλέων φησὶ γὰρ ὁ ἀνὴρ ἄταφον εὗρε νέκυν,
ὅνπερ τιμήσας ἔθαψεν. ὄναρ φανεὶς δ' ὁ νέκυς
λέγει, μὴ πλεύσῃς, ἄνθρωπε. ναυτῶν δὲ μὴ πεισθέντων,
μόνος ὁ Σιμωνίδης μὲν συμπλέειν ἀπελείφθη.
οἱ δὲ πάντες ἀπώλοντο τυχόντες ναυαγίας.

εὐχάριστον δ' ἐπίγραμμα (129 B.) γράψας ὁ Σιμωνίδης
τῇ στήλῃ παρενέγραψε νεκροῦ τοῦ σεσωκότος·
'οὗτος ὁ Κείου Σιμωνίδεω ἐστὶ σαωτήρ,
'ὃς καὶ τεθνειὼς ζῶντι παρέσχε χάριν.'
οὗτος ὁ Σιμωνίδης μὲν ἐν Σικελίᾳ θνήσκει.
ἐπίγραμμα (Preg. 254) δὲ γέγραπται τόδε τῷ τάφῳ τούτου·
'ἓξ ἐπὶ πεντήκοντα, Σιμωνίδη, ἤραο νίκας,
'καὶ τρίποδας· θνήσκεις δ' ἐν Σικελῷ πεδίῳ.
'Κείοις (Preg., -ῳ codd.) δὲ μνήμην λείπεις, Ἕλλησι δ' ἔπαινον
'εὐξυνέτου ψυχῆς σῆς ἐπιγεινομένοις.'

Epigrammatis 129 testimonium, quod continetur v. 624—634, consulto non sextum adiunxi iis, de quibus disputavi § 58, quod Tzetzes uno ex iis sc. *Scholiasta* [157]) Aristideo usus est neque plus praebere potuit quam ille. Erravit igitur Bergk, cum verbo *παρενέγραψε* ep. 128, quod iniuria huius epigrammatis gemellum esse credunt, respici putaret (cf. § 58 n. 24). De textu epigrammatis cf. § 58.

In hac de Simonidis victoriis vel potius de Simonide historia neutrum commemoravit epigramma Simonideum (145, 147), quod celebrat poetae victoriam. Quamquam epitaphium v. 636—639 (Preg. 254) ex illo epigrammate formatum est. Ep. 147 vero adducitur in Scholiis, quibus Tzetzes rursus historias suas instruxit (Cram. An. Ox. III. 353; anonyma sunt, sed ipsi Tzetzae debentur, cf. Cram. p. IV); praemittuntur verba (cf. § 79): *λυρικὸς γὰρ* (sic) *ὢν ποιητὴς οὗτος ὁ Σιμωνίδης ἐκ νεότητος μέχρις ὀγδοήκοντα ἐτῶν ἐνίκα ἐν τοῖς ἀγῶσιν Ἀθήνησιν, ὡς καὶ τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ·* seq. ep. 147, tum verba *φασὶ κτλ.* § 79 n. 100 laudata. Auctorem Tzetzae esse Scholiastam Anonymum Hermogenianum VII. 1084 W. non est, quod moneam. De textu, quo ep. apud Tzetzam praebetur, vid. § 79 n. 101.

Tzetzae Scholia ad Hermogenem metrica (Cram. An. Ox. IV. 119, 13) etiam Simonideum continent, sc. Acronis ep., quod ex Diog. Laert. petitum est. Omisit Tzetzes traditionem S, quae traditioni A apud Diogenem adiuncta est (cf. § 75). Praeterea vid. § 80.

Unius Tzetzae testimonio Bergk inter epigrammata (ep. 177) recepit duos hexametros, quos ne Tzetzes quidem pro epigrammate (*πού φησιν ᾄσματι Σιμωνίδης*) habet quique anonymi redeunt apud Plut. de coh. ir. 456 c (cf. § 51). Leguntur in historia de Marsya Chil. I. 15. 372 sqq. Auctoritas autem Simonidea ficta

---

157) Saepius cum apud alios Byzantinos tum apud Tzetzam (cf. *Chr. Harder*, de Joannis Tzetzae Historiarum fontibus quaestiones selectae, diss. Kiel. 1886 p. 2) laudantur scriptores, ubi Scholia ad illos laudanda erant.

est a Tzetza ipso; quem Plutarcho ipsi debere versus docent duo trimetri eidem (Nauck TGF. p. 911) apud utrumque praecedentes. Omnes Plutarchi Moralium locos a Tzetza adhibitos congessit Harder in diss. supra n. 157 laudata p. 61; saepius Tzetzes plura rettulit quam in fontibus suis invenit, cf. Harder p. 42 sqq. et Krumbacher Byz. L.[2] p. 527. Non necessarium igitur est cum Schneidewino (p. 88 n. 5) de Simmia versuum auctore cogitare, neque eos cum Hauvettio (p. 32) pro lyrico Simonidis fragmento habere. Bergkium sequuntur Anthologiae eius Lyricae editores Hiller—Crusius (fr. 167) [158]).

27. EUSTATHIUS.

§ 116. *De Eustathii testimoniis.* Ad ξ 350 Eustathius p. 1761,25 laudat ep. 163 ex Aristophane Byzantio. Cuius λέξεων libri usus est capite περὶ τῶν ὑποπτευομένων μὴ εἰρῆσθαι τοῖς παλαιοῖς, ut contra Nauckium, qui fragmentum (22) capiti περὶ βλασφημιῶν adiudicaverat, evicit L. Cohn Fl. Jb. XII. Suppl. Bd. 1880 p. 288, cf. iam Kaibel p. 452 (cf. § 22). Vidimus § 37 Aristophanem ep., ex quo vocis ἄσιλλα peteret χρῆσιν, arcessivisse ex Sylloge Simonidea; quo factum, ut Simonidis auctoritate ornatum laudaret ep., quod in Collectoris fonte Aristot. Rhet. 1. 7. 32, 1. 9. 31 sine auctoris nomine legeretur. Quid nostro loco in Sylloges aetate definienda tribuendum sit, monui § 37. Levia discrimina in epigr. textu apud Aristot. (τραχεῖαν, Τεγέαν, ἔφερον) et Eust. (τρηχεῖαν, Τεγέην, ἔφερε) obvia non Collectori sed librariorum vel Eustathii neglegentiae imputanda videntur. De *prima* persona ἔφερον cf. § 37 n. 49.

Cetera Eustathii testimonia epp. Simonideorum neglegi possunt, quoniam extant fontes eius. Ex Hephaestione (§ 54) haustum esse ep. 131 (984,5) in aprico est. Ep. 173 (1323,60 et 1606,60) debere se Athenaeo (§ 68) ipse altero loco indicavit. Acronis epigrammatis fragmentum laudatur 1634,10 sic: π α λ α ι ὸ ς μέν τις ἐπίγραμμα τωθαστικὸν εἴς τινα ἰατρὸν Ἄκρωνα ἔγραψεν (sequente epigrammatis exordio), quamquam in fonte eius sc. Diogene Laertio V. 68 cum Empedocles tum Simonides auctor tradebatur.

28. APOSTOLIUS.

§ 117. *De Apostolii testimoniis.* Apud Apostolium, qui non confundendus est cum filio Arsenio (cf. § 118 n. 160), duo Simo-

---

158) Ursinus versus nondum novit, apud Brunckium (Anal. I. 122), Jacobsium (Anim. I. 206), Gaisfordium (I. 361) non inter epigrammata sed inter μελῶν fragmenta leguntur. — In versu 1 Tzetzes dedit προσήρμοσεν pro συνήρμοσεν (Plut.).

nidea occurrunt. Ep. 138 sine nomine Simonidis atque in textu A legitur Paroem. VII. 9 *d*; ep. igitur sive ex Thucydide ipso (I. 132, cf. § 43), sive ex fonte, qui ad eum recurrit (§ 112), haustum est. Ep. 142 invenitur VII. 57 *b* in textu prorsus cum Aristideo (A^3, cf. § 60) conspiranti additis verbis *Σιμωνίδου ἐλεγεῖα περὶ Ἀθηναίων*; ergo Apostolius non Aristide ipso usus est, sed Scholiis Aristideis (p. 70 Fr. 209 D.), in quibus epigrammati ex Aristide hausto appositum est nomen Simonidis ex Corona Meleagrea petitum (§ 57). Paroemiographum saepius Scholia illa excerpsisse constat (cf. Crusius PW.—RE. II. 183). Hoc Scholion Aristideum sive ex Scholiasta ipso sive ex Apostolio patre cognitum quomodo usurpaverit Arsenius, sequenti § demonstrabitur.

29. ARSENIUS.

§ 118. *Cum de ceteris Arsenii testimoniis, tum de epigrammatis 142 textu A^4 apud eum obvio.* Tria epp. Simonidea inveniuntur in Arsenii, Apostolii filii, Violario. Quae recurrunt ad traditiones diversas, prout ille diversos adiit fontes.

Excerpto — sine dubio ex Diodoro XI. 33 — de Artabazo p. 118 Walz. subiunxit, tamquam ad hunc pertinentia, quae de Pausaniae donario atque de Peloponnesiorum Lacedaemoniorumque sepulcris apud Diodorum subsequuntur (cf. § 48). Oculus autem eius aberravit a priore voce *τόδε*, quae epigrammati 91 praecedit, ad alteram, quam excipit ep. 92: *κοινῇ μὲν πᾶσι* (*ἅπ.* Diod.) *τόδε*· [Diod. *μυριάσιν κτλ.* . . . . (ep. 91), *ἰδίᾳ δὲ αὐτοῖς τόδε*·] ep. 92. In huius epigrammatis textu (Diodoreo, Ephoreo, A^2) neglegenter scripsit *ὦ ξεῖν'* pro *ὦ ξένε*. Cf. § 44.

Pag. 119 invenitur ep. 157 Simonidis auctoritate adiecta. Quod arcessitum esse ex Diog. Laertio IV. 45 (cf. § 72) ipse ostendit, cum praemittat *Διογένους Λαερτίου ἐπίγραμμα εἰς Ἀρκέλαον*, quod itidem apud Diogenem nostrum ep. antecedit.

Ep. Simonideum apud Arsenium gravissimum est Eurymedontium ep. 142, quod p. 329 W. legitur s. v. *Κίμων* post prooemium, quod exile esse excerptum ex Diodoro XI. 61 sq. nemo non videt: *Κίμων στρατηγὸς Ἀθηναίων· τούτου τοὺς Μήδους νικήσαντος κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν* (quae verba comprehendunt capitis 61 exitum) *ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων* [*δεκάτην ἐξελόμενος* Diod.] *ἐκ τῶν λαφύρων* ⟨*ὧν εἰλήφει* add. Ars. sic complexus cap. 61 praetermissum⟩ *ἀνέθηκε τῷ θεῷ* (ap. Diod. *ἀν. τ. θ.* ante *ἐκ* leg.) *καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἐπὶ τὸ κατασκευασθὲν ἀνάθημα ἐπέγραψε τήνδε*· seq. ep. 142. Expectaveris nunc epigrammatis textum Diodoreum (= Ephoreum = A^1, cf. §§ 48, 60). Sequitur vero textus, cuius lectiones insigniores (§ 60)

in nulla huius epigrammatis forma (A[1], A[2], A[3], S) ita coniunctae inveniuntur. Tres tantum varietates (1. 9. 10) formae Diodoreae A[1] exhibentur, ceterae omnes formae A[3] (var. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 11). Luculentum igitur est Arsenium iuxta Diodorum usurpasse traditionem A[3], quae ei sive ex patris opusculo (§ 117) sive ex Scholiis ad Aristideam or. Panath. nota 159) Diodoreae praeferenda visa esset. Cur vero Aristideum textum (A[3]) non integrum recepit? Diodori scilicet textum a textu sibi familiari A[3] diversum esse demum animadvertit, postquam apud illum pro ἔκρινε (A[3], var. 2) legit ἔνειμε. Nam quod non animadvertit discrepantiam in var. 1 ἐξ οὗ γε (Diod.) — ἐξ οὗ τε (Schol.), nemo miratur. Perrexit igitur epigramma describere secundum A[3], sed tum haesit in versu quinto, ubi praebebat Scholiasta ἐν γαίῃ (var. 9), apud Diodorum vero ipse et legerat et excerpserat: τῇ δὲ ὑστεραίῃ τρόπαιον στήσαντες ἀπέπλευσαν ἐς Κύπρον νενικηκότες δύο καλλίστας νίκας κτλ. Itaque non dubitavit, quin etiam in epigrammate Diodorea lectio ἐν Κύπρῳ servanda esset. Tum autem hoc ei accidit humani, quod vocabulum, quod consequitur, Μήδους (A[1], Μήδων A[3]), simul ex Diodoro arriperet. Nunc demum ad Scholiastam rediit, ut apparet ex var. 11 ὑπ' αὐτῶν A[3] (A[1] ὑπ' αὐτῷ). Sic factum, ut Arsenius tres varietates exhiberet secundum A[1], ceteras secundum A[3]. Eius textum contaminatum designavi (§ 60) siglo A[4] 160).

30. SCRIPTORES RELIQUI.

§ 119. *De reliquis testimoniis.* Aristodemus FHG. V p. 7 (Wescher, Poliorcétique des Grecs p. 355), de cuius libro iam dictum est § 111, eandem de Pausania praebet narrationem atque Suidas s. v. *Παυσανίας*, itidem adiecto ep. 138 in trad. A. Nititur fundamento Thucydideo (I. 132).

Isidorus Pelusiota (*Migne Patr. Gr. LXXVIII) de interpr. div. scr. epist. III. 224 presbytero cuidam superbo atque fatuo, humili tamen genere nato proponit exemplum Archedicae, quae licet pater coniunx fratres filii tyranni essent, perpetuo animi

159) Post Apostolii mortem scripta eius in manus filii pervenerunt, cf. Krumbacher Byz. L.[2] p. 603. Scholiorum in Panath. exemplar in Bibl. Nat. Parisiis asservatur Arsenii ipsius manu scriptum, cf. Frommel p. 314.

160) Haud abs re videtur annotare apud neminem Apostolii atque Arsenii huius epigrammatis lectiones rite ac diligenter enotatas inveniri. Aut easdem lectiones praebere uterque dicitur aut utriusque lectiones confunduntur (cf. e.g. Keil p. 343: 'ἐν Κύπρῳ soll bezeugen . . . . Apost.') aut eorum testimonia prorsus negleguntur.

servavisset moderationem. Epigrammatis 111 fragmentum nimirum ex Thucydide VI. 59 petitum est.

Cedrenus p. 755 (Bonn. I) ep. 185 b, plane ut Porphyrogennetus p. 99 (Bonn. III) laudat; vid. praeterea § 114.

Ps.-Hesychius Milesius 29 FHG. IV. 164 ex Diog. Laert. V. 68 (§ 75) excerpsit ep. Acronis (tantum trad. A).

31. CONSTANTINUS LASCARIS.

§ 120. *De Simonideis apud Lascarin.* Corollarii loco sequitur conspectus epigrammatum Simonideorum, quae leguntur in libris Constantini Lascaris manu scriptis (ed. in libro 'Regiae Bibliothecae Matritensis Codices Graeci mss. rec. Ioanes Iriarte. Vol I. Matriti 1769'); cuius testimonia silentio praeterire possemus, nisi operae pretium esset videre, qualia epp. infima illa aetate in Simonidea serie composita essent, et redarguere necessarium eos, qui illius viri notitiis quibusdam aliquid tribuendum putarent.

Codex XXIV (cf. Stadtmüller II p. LXIV sq.) cum alia continet collectanea tum syllogas epigrammatum diversas, quarum aliae eiusdem poetae aliae eiusdem argumenti epp. continent, ex Anthologia i. e. Anth. Planudea excerptas. 'Simonidis' epigrammatum sylloge legitur Ir. p. 93—96. Ad quam componendam antequam procederet Lascaris, iam quinque deinceps Simonidea, quae ordine continuo per Mel. Cor. atque Anth. Ceph. ex Syll. Simonidea in Planudeam transierant, receperat in ordinem Alcaei (Messenii) p. 91, sc. epp. 91, 92, 97, 99, 100 (AP. VII. 248—251, 253 = Plan. III^a. 5. 19—23), quibus Planudes post Alcaei ep. VII. 247 = Plan. III^a. 5. 18 nomen Simonideum adiungere neglexerat.

Lascaris ita seriem suam Simonideam composuit, ut primum evolveret exemplar suum Anth. Planudeae (in quo scilicet ut in omnibus praeter Marcianum Anthologiae Plan. exemplaribus, priores atque posteriores syllogae librorum I—IV in unum conflatae erant, cf. § 105 et Stadtm. I p. XI sq., II p. XXXII), unde depromeret secundum ordinem Planudeum (praeterquam quod ep. 117 = n. *12* non ante ep. 119 = n. *10* sed alteri epigrammati in Timarchum 115 = n. *11* adiunxit) epp. viginti haec *1—20* (cf. Stadtm. II p. LXXI):

Ir. p. 93: 1. AP. XI. 9* (= V. 160). Cf. § 90 p. 150.

Ir. p. 94: 2. ep. 121 + AP. VII. 346 (quod auctoris nomine carens cum in AP. tum in Plan. apud hunc prius ep. excipit); *3.* ep. 108; *4.* ep. 105; *5.* epp. 110 α + 110 β + 102 in octastichon iuncta (hoc ep. [sc. 102] apud Plan. auctoris nomine

destitutum denuo Simonidi, praecedentium epp. poetae, assignatur); *6.* ep. 89; *7.* ep. 95; *8.* ep. 169; *9.* AP. VII. 349 (quod in AP. Simonidis, in Plan. nomine carens denuo ei accensetur propter praecedens ep. n. *8* = AP. VII. 348); *10.* ep. 119.

Ir. p. 95: 11. ep. 115; *12.* ep. 117 (vid. supra); *13.* ep. 180 + AP. VII. 22 (quod in AP. Simmiae est, ap. Plan. titulo destitutum sequitur); *14.* ep. 183; *15.* ep. 184; *16.* ep. 123; *17.* ep. 161 + app. Plan. 84 sq. + AP. IX. 761 (in octastichon iunctis epigrammatis, quae ap. Plan. sese excipiunt); *18.* ep. 162; *19.* ep. 144; *20.* ep. 178.

Tum denuo perlustravit Anthologiam recepitque epp. octo (*21—27*):

Ir. p. 95: 21. ep. 149; *22.* ep. 153; *23.* ep. 185 a; *24.* app. Plan. 204; *25.* ep. 133; *26.* AP. IX. 147 (Antagorae, ap. Plan. Simonidis); *27.* AP. IX. 683 (ep. cum in AP. tum in Plan., ubi praeced. ep. excipit, anonymum).

His denique adiecit epp. quinque dispersa (*28—32*) insertis ante ep. ultimum epigrammatis alienis sex:

Ir. p. 95: 28. ep. 128; *29.* ep. 109; *30.* AP. VII. 55 (quod cum in AP. tum ap. Pl. III[a]. 22. 14 Alcaei est neque post Simonideum legitur).

Ir. p. 96: 31 ep. 103. Sequuntur epp. aliena sex VII. 747, X. 108, IX. 327, 394, X. 61, VII. 125, quae Lasc. ut Simonidea recipere noluisse apertum est; quae eum adiecisse putaveris, ut post *32.* ep. 185 b (Simonidis nomine consulto apposito) novam epigrammatum seriem (in Homerum) incipere posset in nova codicis pagina.

Codex LXXII complectitur praeter alia excerpta Lascaris epigrammata varia. Ir. p. 263 (cod. pag. 131 v.) legitur celeberrimum ep. 137 Corinthiarum *ἱεροδούλων* hoc miro titulo munitum *ἐπίγραμμα Ἀριστοτέλους ἐλεγεῖον ἐν ναῷ τῆς Κορίνθου.* Kaibel p. 450 suspicatus erat Lascarin Anthologiam quandam adiisse, in qua epigrammati vitiose Aristotelis nomen praefixum esset. Fontem Lascaris indicavit Preger p. 54 n. 1 sc. Scholiastam Pindari Ol. XIII. 30 (cf. § 25 sqq.); nam consequitur ap. Lasc. Eumeli fr. (2 Kinkel), quod in eiusdem carminis Pindarici Scholiis invenitur. Lasc. igitur repraesentat epigrammatis traditionem A; eius lectiones, cum prorsus (praeter errorem proclivem v. 1 *Ἑλλήνων* pro *Ἑλλάνων*) cum scholio conspirent, neglegi possunt. Eo magis mirandum est, quod Preger ipse tantum tribuit spiritui accentuique vocis *εσταcαν* (= *ἕσταcαν*, de codd. vid. § 33 p. 64) apud Ir. omissis, ut genuinam lectionem fuisse *ἕσταcαν* (pro *ἕστηcαν*) putaret coll. Il. *M* 56 (ubi iure cum Spitznero nostrates editores

legunt ἵστασαν) neque matronas (debuit servas Venereas) Corinthias deam comprecatas esse constitueret, sed illi donarium dedicasse (cf. § 30 n. 31).

Neque unde Aristotelis venerit nomen, Preger explicavit. Ex Scholio Pindarico non accessit, in quo ep. utpote in trad. A anonymum erat. Ni fallor, ap. Lasc. duorum diversorum epigrammatum titulos casu coniunctos habemus sc. titulum Simonidei ex Schol. Pind. petitum ἐλεγεῖον — *Κορίνθου*, atque titulum alius epigrammatis ἐπίγραμμα *Ἀριστοτέλους*, quo nullum nisi unicum Aristotelis ep. in Hermiam Atarnea (Preg. 163), quod apud Diog. Laert. V. 6 servatum est, designari potest. Quoniam revera in eundem codicem (p. 101—110) sententias atque fragmenta philosophorum ex Diogene collecta recepit, suspicor Lascarin foliis quibusdam praetermissis in summa cod. p. 131 incohasse Aristotelis ep., sed errore patefacto rediisse ad eam paginam, unde aberravisset. Titulo non eraso postea adiunxit titulum ep. 137.

Codex LXXIX praeter alia collectanea continet cum epigrammata alia tum tria Thermopylensia 91, 92, 94. Nomen poetae non adiectum est, quamquam fons est Herodoti locus conclamatus VII. 228. Lectio *κλειτοῖο* (ep. 94,1) docet Lascarin adhibuisse codicem Herodoteum generis *β* (*κλεινοῖο*, gen. *α*). Iniuria aliquid tribuit Stadtmüller (ad AP. VII. 248) eius lectioni *τριακοσίαις* (ep. 91 v. 1), quae quamquam haud dubie in lapide ipso legebatur (test. cetera *τριηκοσίαις*), apud Lasc. tamen ex hac depravata est (cf. § 139 fin.). Epp. 91 et 92 etiam legi in cod. XXIV sub Alcaei nomine vidimus; hoc ep. in nostro cod. in forma A^1 (Her.), in illo in forma S (Anth. Plan.) invenitur.

32. IMITATIONES.

§ 121. *De imitationum inquirendarum consilio.* In disputatione nostra de testium epigrammatum Simonideorum fontibus non neglegendae sunt Simonideorum epigrammatum *imitationes* cum in inscriptionibus tum in epigrammatis litterariis obviae. Ex illis discere possumus, quamnam auctoritatem cum in traditione antiquiore anonyma tum in recentiore Simonidea epp. ea, quae in Sylloge Simonidea composita erant, in Graeca poesi epigrammatica habuerint. Qua re fieri potest, ut et Syllogae Simonideae attribuamus epigrammata, quae ex scriptorum testimoniorum examinatione illi assignare non potuimus, et vestigium deprehendamus traditionis A epigrammatum, quorum apud scriptores tantum traditio S servata est.

Distinxi tres imitationum aetates, quarum in alia aliam fuisse

imitationis rationem apparebit. In prima aetate, quae complectitur imitationes factas ante Syllogen Simonideam concinnatam, epp. pauca, quae vulgata erant, ut anonyma, imitatione expressa sunt (§ 122), in altera, quae usque ad Coronam Meleagream consertam extenditur, Alexandrina, ex omnibus poetis Alexandrinis epigrammaticis unus Mnasalcas Syllogen Simonideam secutus est (§§ 123—130), in tertia, Romana, quae comprehendit imitationes Meleagro posteriores, Simonidea epp. tantum inservierunt inscriptionùm auctoribus vulgaribus, qui in Meleagrea Corona epigrammatum quaerebant exempla (§ 131).

§ 122. *Imitationes ante Syllogen Simonideam concinnatam factae.* Poetae, qui epp. Simonidea imitatione expresserunt ante Syllogen Simonideam conditam, scilicet carmini suo subiecerunt Simonidei epigrammatis traditionem anonymam A, quae iis sive ex marmore ipso sive quod vulgata erat, nota fuisse videtur. Quae extant huius aetatis imitationes, eae omnes reperiuntur in lapidibus. Qua de re non est, quod miremur. Etenim *litterariae* poeseos epigrammaticae primordia haud multo ante ipsam Syllogen Simonideam concinnatam ponenda esse videntur.

Novimus huius aetatis imitationes hasce:

1. Imitatio epigrammatis Eurymedontii 105 extat in inscr. CIA. IV. 446 *a* p. 108 (Hoffmann 36, Hicks—Hill 46, cf. Kirchhoff Herm. 17. 1882 p. 623 sqq.). Tabula marmoris Pentelici est, quae memoriam continet eorum, qui ad Hellesponti oras pugnantes ceciderunt saeculo quinto exeunte; de accuratiore aetatis definitione controversia est inter viros doctos. Ecce:

hοίδε παρ' Ἑλλήσποντον ἀπώλεσαν ἀγλαὸν hήβην
βαρνάμενοι, σφετέραν δ' ηὐκλέισαμ πατρίδα,
hώστ' ἐχθροὺς στεναχεῖμ πολέμου θέρος ἐκκομίσαντας·
αὐτοῖς δ' ἀθάνατον μνῆμ' ἀρετῆς ἔθεσαν.

Consulto appono ep. Eurymedontium 105 (AP. VII. 258):

οἵδε παρ' Εὐρυμέδοντα ποτ' ἀγλαὸν ὤλεσαν ἥβην
μαρνάμενοι Μήδων τοξοφόρων προμάχοις
αἰχμηταί, πεζοί τε καὶ ὠκυπόρων ἐπὶ νηῶν,
κάλλιστον δ' ἀρετῆς μνῆμ' ἔλιπον φθίμενοι.

Etenim Keil (Herm. 20. 1885 p. 342 sq.), cuius opinioni assentiti sunt Christ Handb.[3] p. 162 n. 1 et Schwartz Herm. 35. 1900 p. 118 n. 4, contrariam rationem inter utrumque epigramma obtinere putavit. Postquam Reitzenstein p. 149 iam professus est sibi Eurymedontium ep. non posterioris aetatis fetus videri, Ed. Meyer Forsch. II p. 20 arguit ex argumento hoc epigramma esse genuinam inscriptionem cenotaphii eorum, qui in pugna Eurymedontia cecidissent. Hanc praeclaram disputationem fusius referam in altera

huius commentationis parte, cum dicendum erit de alterius epigrammatis Eurymedontii 142 origine. Keilio in Eurymedontio epigrammate imitationis indicium esse videtur caesura in v. 1 neglecta; arbitratur ergo v. c. huius epigrammatis auctorem, cum pro *παρ' Ἑλλήσποντον ἀπώλεσαν* scribere vellet nec vero posset *παρ' Εὐρυμέδοντα | ἀπώλεσαν*, hiatus evitandi gratia et particulam *ποτέ* inseruisse et praepositionem *ἀπ-* omisisse. Attamen neque in antiquioribus epigrammatis particulam *ποτέ* pro *παραπληρώματι* habere licet ('ein Flickwort' Keil, quocum hac in re adeo Meyerum p. 12 facere video) [161]) neque in Eurymedontio epigrammate hanc particulam consequitur verbum *ὤλεσαν* sed adiectivum *ἀγλαόν* [162]). Itaque concedendum est imitatorem esse auctorem Hellespontii epigrammatis; qui illud *ποτέ* neglexit, *ἀπ-* addidit (cf. in Tettichi ep. Kaib. 1, Hoffm. 2 *νεαρὰν ἥβην ὀλέσαντα*), verba *ἀγλαὸν* et *ὤλεσαν* traiecit (cf. v. 4 verba *μνῆμα* et *ἀρετῆς* item traiecta), cum *Ἑλλήσποντόν ποτ' ἀγλαὸν ὤλεσαν ἥβην* metro repugnare videret. Quis praeterea non sentit, quanto ultimus Eurymedontii epigrammatis versus *κάλλιστον δ' ἀρετῆς μνῆμ' ἔλιπον φθίμενοι* praestet Hellespontii epigrammatis clausulae *αὐτοῖς δ' ἀθάνατον μνῆμ' ἀρετῆς ἔθεσαν*? Denique auctoritas Simonidis, qua in AP. epigramma ornatur, quod spectat pugnam Eurymedontiam uno anno post poetae mortem commissam, nobis sane nulla causa est, cur epigramma posterioris aetatis esse iudicemus. Nonne epigrammati antea anonymo Simonidea auctoritas demum accessit in Sylloge Simonidea? Hellespontium epigramma nobis traditionem A Eurymedontii 105 repraesentat, quae apud nullum scriptorem servata est. Imitator epigramma novisse videtur ex inscriptione in Ceramico ipso.

2*a*. Imitatio alterius epigrammatis Eurymedontii 142 (formae A', cf. § 60) adest in epigrammate Graeco, quod inter medias inscriptiones Lycias legitur in celeberrimae Columnae Xanthiae latere septentrionali v. 20—31. Haud multo post annum 412 lapidi mandatum est, ut demonstravit novissimus editor Kalinka Tit. As. Min. I. 44, cf. Benndorf in praeclara scriptione 'Zur Stele Xanthia', Jahresh. öst. arch. Inst. III. 1900 p. 98 sqq., in qua nitidum epigrammatis apographon iteratur p. 111. Inde Hicks—

---

161) Cf. Simonides in epp. Thermopylensibus 91 et 94, praeterea ep. Corinthiacum 96 et quinti saeculi ep. Kaib. 487 (Hoffm. 59). De particulae *ποτέ* in poesi epigrammatica usu dicturus sum in alt. h. comm. parte, cum Simonidis epigrammata Thermopylensia cum vulgaribus inscriptionibus metricis comparanda erunt (cf. § 20 p. 33).

162) Keil etiam in epigrammatis textu ipso *ὤλεσαν* ante *ἀγλαὸν* praebet.

Hill 56. Secundum apographon antiquius carmen legitur CIG. 4269 (unde Kaib. 768, Hoffm. 330), ubi aetati Alexandri assignatur. Exordium, in quo imitatio cernitur, iam exhibui § 60.

2*b*. Eiusdem epigrammatis (formae vero A²) imitatio legitur in inscr. CIG. 85 (CIA. II. 555, Kaib. 844, Hoffm. 352), quam § 60 descripsi. Praemissa est decreto, quo archonte Charisandro (a. 376/5) Pyrrhae (vel Pyrrho) cuidam ob merita de tribu Cecropide corona aurea est attributa.

Keil (Herm. 20. 1885 p. 347) arbitratus est non ep. 142 utrique inscriptioni (2*a* et 2*b*) subiectum esse, sed cum Simonideum ep. tum utramque inscriptionem ortam esse ex imitatione quarti epigrammatis nunc deperditi, quod etiam respexisse putavit Isocratem Paneg. 179, quem ad epigrammatis nostri exordium alludere ceteroquin iure observavit. Haec opinio vel inscriptionum textu — ut de ceteris causis nunc taceam (cf. p. alt.) — refutatur. Etenim idem sane epigramma secuti sunt inscriptionum auctores nec vero eandem eius traditionem. Ille (*a*) legit in exempli sui exordio *ἐξ οὗ . . . . οὐδέν πω τοιοῦτον κτλ.*, hic (*b*) pro *τοιοῦτον comparativum* aliquem invenit. Eadem autem traditionum discrepantia adest in ep. 142 ipso, cuius traditio A¹ habet *τοιοῦτον* (var. 7, § 60), A² *κάλλιον*. Qua ex re, opinor, probabile est respondere inscriptionem *a* epigrammatis 142 traditioni A¹, inscriptionem *b* traditioni A². Ne quis similitudinem traditionum epigrammatis inscriptionibus subiecti traditionumque A¹ atque A² epigrammatis 142 casui tribuat, moneo illas traditiones A¹ atque A² non solum diversas esse *exordii* lectionibus (cf. § 60, var. 3 et 7), sed etiam lectione *Μήδους* A¹ — *Μήδων* A² in medio epigrammate (vers. 5, var. 10).

Ex traditionibus diversis subiectis etiam apparet auctores inscriptionum adhibuisse fontes diversos. Atheniensis poeta usus esse videtur traditione populari, litteraria autem, eadem fortasse, ex qua hausit epigramma Ephorus (Diod. XI. 62), poeta Lycius.

3. CIA. II. 3111 (Kaibel 47, Hoffmann 87) legitur inscriptio 'tabellae marmoris Pentelici cum aetomate et relliquiis anaglyphi', exeuntis quarti saeculi:

('Ε)νθάδ(ε) γῆ κατέχει τίτθην παίδων Διογείτου
ἐκ Πελοποννήσου τήνδε δικαιοτάτην.
Μαλίχα Κυθηρία.

Verba *ἐκ Πελοποννήσου* epigrammatis auctor recordatus esse mihi videtur ex notissimo epigrammate Thermopylensi 91, ubi eadem carminis sede leguntur:

μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννήσου χιλιάδες τέτορες.

§ 123. *Imitationes aetatis Alexandrinae.* Haec altera aetas, quae definitur concinnata Sylloge Simonidea atque composita Corona Meleagrea, imitationibus in *lapidibus* servatis tantum non destituta est. Una est inscriptio, in qua imitatio epigrammatis Simonidei (100) indicaverunt viri docti, CIA. II. 2724, Hoffm. 122, medio tertio saeculo non recentior (cf. Preg. 8):

εἰ τὸ καλῶς ἐστὶ θανεῖν, κἀμοὶ τοῦτ' ἀπένειμε τύχη.
οὐδὲ φάος λεύσ(σ)ων ὅγε δαίμοσιν ἦν ἀγέραστος,
πᾶσιν δ' ἀνθρώποισι παρέσχὸν ἀνένκλητον ἐμαυτό[ν.
ἔντιμον χθονίοισι θεοῖς ὑπεδέξατο γαῖα.

Ep. 100 appono:

εἰ τὸ καλῶς θνῄσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον
ἡμῖν ἐκ πάντων τοῦτ' ἀπένειμε τύχη·
Ἑλλάδι γὰρ σπεύδοντες ἐλευθερίην περιθεῖναι
κείμεθ' ἀγηράντῳ χρώμενοι εὐλογίῃ.

Imitator utrum traditionem A anonymam (quam alibi non extare in transitu moneo) an S Simonideam inconditis suis versibus subiecerit, dirimere non possum. Eum alias quoque epigrammaticae poeseos locutiones respexisse docet cum vocabulum *ἀνένκλητον* eadem carminis sede atque *ἀνενκλήτως* tum eadem forma hypothetica obvia in inscriptione item Attica eiusdemque fere aetatis (CIA. II. 1791, Kaib. 65, Hoffm. 126):

Μνησαρχίδης Μνησάρχου Ἁλαιεύς.
εἰ τὰ θεῶν τιμ[ᾶν χρ]ηστῶν τ' ἔργων ἐπιθυμεῖν
καὶ τὸ δικαιοσύν[ηι τε φίλο]ν τε φίλοισι προσεῖναι
δόξα ἀρετή τε βροτοῖς καὶ ἀνενκλήτως βιοτεῦσαι,
πάντα σὺ ταῦτ' [ἔ]σχ[ε]ς, [Μ]νησα[ρ]χίδ[η], ἀπρο[φ]ασίσ[τ]ω[ς.
Μνήσιππος Χαριταίου Ἁλαιεύς.
Μνησ[. . . . .

De nominibus cum mortui tum dedicatorum extra metrum adiectis cf. § 6 n. 4.

Imitationes *litterarias* tractanti post Syllogen conditam factas semper dirimendum est, adhibuerintne auctores epp. Simonidea ut Simonidea (S) an ut anonyma (A). Ep. 92 Thermopylense complures poetae Alexandrini imitati sunt (e.g. Phaennus VII. 437 idque in forma *vulgari* A², Nossis VII. 718, cf. Reitzenstein p. 137 n. 2), non quod Simonidis esset, sed quia vulgatissimum erat; atque adeo apostropha apud Alexandrinos decantata *ὦ ξεῖν'* vel *ὦ ξένε*, qua primitus *peregre* defuncti utuntur (epp. 92, 96), quae vero apud illos fere synonyma facta est enuntiato *ὁδῖτα* (cf. e.g. VII. 163,10, 164,9 cum 165,11) ab hoc epigrammate celeberrimo profecta esse videtur.

Non adhibuit Syllogen Simonideam Pepli auctor, qui in ep. 13

imitatur Simonidei epigrammatis 98 formam A (οὗτος Ὀδυσσῆος κείνου τάφος, ὃν διὰ πολλὰ Ἕλληνες κτλ. coll. c. οὗτος Ἀδειμάντου κείνου τάφος, ὃν διὰ πᾶσα Ἑλλὰς κτλ., sic A, S vero οὗ διὰ βουλὰς κτλ.). Ep. igitur ex eodem fonte ei innotuisse videtur atque Collectori ipsi sc. ex Ephoro, quemadmodum epp. 1 et 2, quae secundum exemplum Thermopylensium epigrammatum 92 et 94 formata sunt, ex Herodoto novisse censendus est.

Nunc quaerendum, num Sylloge Simonidea ipsa ab Alexandrinis poetis epigrammaticis adhibita sit. Qui cum Reitzensteinio putat Scholam poetarum epigrammaticorum Peloponnesiacam imprimis exemplo sibi sumpsisse Simonidem, — eum e.g. p. 149 n. 2 fuisse dicit 'das Hauptvorbild der Peloponnesier', cf. p. 129 'da Anyte öfters die Simonides-Sammlung benutzt' —, is accipiat necesse est Syllogen Simonideam ab illis poetis esse usurpatam. Nobis, qui Syllogen Simonideam exeunte saeculo quarto concinnatam esse putemus idque propter ipsa poeseos epigrammaticae litterariae Scholaeque Peloponnesiacae primordia (§ 24 p. 46), vel temporum ratio obstat, quominus Reitzensteinio assentiamur; qua vir cl. ipse sane non offenditur, qui Syllogen Simonideam circa annum 400 esse conditam, illis autem poetis praesto fuisse putet in recensione recentiore 'Peloponnesiaca' (cf. § 38 n. 54). Maxime tamen opinioni Reitzensteinianae refragatur, quod nullius epigrammatis Simonidei, quod sive ex textu S sive ex ordinibus Simonideis Palatinis in Sylloge affuisse scimus (§§ 99—101), imitatio in Peloponnesiorum epigrammatis indicari potest. Perpaucae Simonideae imitationes, quae apud illos deprehendi dicuntur, omnes sumptae sunt ex eiusmodi Simonideis epigrammatis, quorum indoles prorsus abhorrens ab epigrammatis Simonideis bellicis, immo Alexandrina videretur, si cui Simonideo titulo destituta proposita essent (e.g. AP. VI. 52 = Sim. ep. 144 coll. Anytes ep. VI. 123, Niciae ep. VI. 122; AP. VII. 513 = Sim. ep. 115 coll. Anytes ep. VII. 646, Simonidis vel *Simmiae* ep. VII. 647 = Sim. 116; cf. Reitzenstein p. 124, 128 sq.); quae epp. Simonidea praeterea leguntur omnia in Anthologia Palatina eaque in Meleagreae Coronae fragmentis, cum tamen nostris indiciis tribus (§ 98) ad Syllogen Simonideam referri non possent (§ 104). In altera huius commentationis parte demonstrabitur epp. illa Simonidea pauca, quae in censum veniant, ipsorum esse poetarum Peloponnesiorum, atque Simonidis nomen demum librariorum culpa ascivisse in Corona Meleagrea.

Ceterum iure efficias non totam Scholam Peloponnesiacam Simonidem esse sectatam, ex eo ipso, quod uni ex huius Scholae asseclis imitatio Simonidis imputari solebat sc. M n a s a l c a e. De

quo poeta et de condicione, quae inter eum atque Syllogen Simonideam extare videatur, in sequentibus §§ disputabo [163]).

§ 124. *De Mnasalca.* Mnasalcam Simonidis fuisse imitatorem testatur Theodoridas, qui hoc in eum condidit ep. irrisorium (AP. XIII. 21):

Μνασάλκεος τὸ σᾶμα τῶ Πλαταΐδα
τῶ ᾿λεγηοποιῶ.
ἁ Μῶσα δ᾽ αὐτῶ τᾶς Σιμωνίδα πλάθας
ἦς ἀποσπάραγμα·
κενά τε κλαγγὰν κἀπιλακυθίστρια
διθυραμβοχάνα.
τέθνακε, μὴ βάλωμες· εἰ δέ κε ζόεν,
τύμπανον κ᾽ ἐφύση.

Lectiones codicis Palatini, in quo uno hoc ep. legitur, roganti mihi benigne praebuit Stadtmüller: 'v. 1. *κα̅ μνασαλκεοσ τῶ πλαταϊδα* 2. *τῶ λεγηοποιῶ* (hyphen B) 3. *ἀμῶσα τὰς* (non *τᾶς*) *σιμωνίδα πλάθας* 4. *ησ ἀπο σπάραγμα·* 5. *καιν ατε ὲς γαν* (sc. *καὶ γαν*) *ς πιλα κυθιστρια* (sc. *και πι*) 6. *διθυραβοχανα* (non-*χωνα*) 7. *εἰ δεκε ζοεν* 8. *τύμπανον γεεφύση* (sic)'. — V. 3 *τᾶς* corr. Brunck, 5 *κενά τε κλαγγὰν* Jacobs, 8 *κ᾽ ἐφύση* Schaefer.

Antequam videamus, quid huic testimonio tribuendum sit, dicendum est de verbis ipsis, quae viri docti, quamquam Mnasalcam appellari Simonidis imitatorem non negant, alii aliter interpretantur. Ad unum omnes verbum *πλάθας*, quod ceteroquin non redit, vitium alere putant; iam Salmasius, deinde Toupius coll. Ar. Thesm. 770 sqq. reposuerunt *πλάτας*. Quam coniecturam Meineke *Del. Anth. p. 197 (locum debeo lexico Stephani) sic defendit: '*πλάτα* . . . . idem videtur significare quod *σελίς*, ut Mnasalcae poesis nonnisi decerpta Simonideae chartae particula fuisse dicatur'. Longe aliter Wilamowitz (GGA. 1898 p. 158 sq. n. 1): 'für seine (i. e. Simonidis) Epigramme liegt das tadelnde Urteil eines Fachgenossen aus dem dritten Jahrhundert vor . . . . *τᾶς Σιμωνίδου πλάτας ἦν ἀποσπάραγμα*, Kalauer, gemeint *τῆς πλατύτητος*

---

163) In commentationibus, quas scripserunt de epigrammate Alexandrino Couat (la Poésie alexandrine 1882 p. 170 sqq.) et Knaack (ap. Susemihl. Alex. Lit. II. 523 sqq.), condicio poeseos Alexandrinae epigrammaticae et Sylloges Simonideae non tangitur. Qua ex re efficio hos viros clar. existimare nullam extare inter Simonidem et epigrammaticos Alexandrinos relationem. Contra Bergk p. 442 scripsit: '*manifestum est*, tam eos poetas, qui proximis saeculis floruerunt, quam eos, qui post Alexandri mortem hoc poesis genus illustraverunt, Anyten, Mnasalcam, Callimachum, alios saepenumero haec ipsa quae feruntur Simonidis nomine epigrammata imitatos esse'. In Callimachi autem epigrammatis nullum est Simonideae imitationis vestigium, licet grammaticus Syllogen Simonideam in tabulis suis respexisse videatur (cf. § 132,5).

ἔκμαγμα' cf. § 21 n. 55. Bergk (p. 442 n. 1), cui haec mutatio iure non placuit, *σπάθας* legi iussit — quod iam antea Piersono placuerat — 'Simonidis artem in his epigrammatis collocatam cum textoris opera componi' ratus. Hecker II p. 12 denique adeo *πλάτας* pro codicis Pal. lectione habuit atque contra hanc coniecturam defendit: 'miror pro *πλάτας* coniectatum esse *σπάθας*, quum Hesychius *πλάται* interpretatus sit: *τῶν σπαθῶν τὰ πλατέα*. Recte Toupius vulgatam tuitus est cl. Ar. Thesm. 772 sqq. Libri carminum Mnasalcae dicuntur frusta fuisse tabellarum Simonidis eiusque adeo poesis ex hoc fonte rivuli ritu manasse. Hac voce usus Theodoridas in mente habuisse videtur verba *πλατειάζειν, ἀλαζονεύεσθαι, φενακίζειν* Hesych. et *πλατυγίζειν* Arist. Eqq. 830, quod *μεγαλορρημοσύνης δεῖγμα* esse Scholiastes annotavit'.

Mihi nihil obstare videtur, quominus a radice *πλαθ-* (*πλάσσειν*) formetur substantivum barytonon in *-α πλάθα*, quemadmodum ab aliis radicibus in litteras explosivas desinentibus *παθ-, βλαβ-, σκαφ-, μαχ-, τυχ-* derivantur eiusmodi substantiva *πάθη, βλάβη, σκάφη, μάχη, τύχη*. *Πλάθ-α* igitur optime notionem habere potest *formae*, deinde *formationis*. Eandem ergo loci significationem adipiscimur, quam Meinekiana interpretatio suggerit: Mnasalcae carmina fuisse Simonidis '*ποιήσεως*' frustula avulsa. Neque in bonam partem, ut voluit Bergk, neque in malam, ut Wilamowitz, de *Simonidis* epigrammatis fertur iudicium.

Fieri autem potest, ut Theodorideae cavillationi subtilior subsit sententia. Etenim cum a radice *πλαθ-* derivetur et vocabulum *πλάθανον*, quo (Theocr. Adon. 115, Poll. VII. 22) designatur orbis, in quo panes effinguntur, et *cauponae* ancillae nomen insigne *Πλαθάνη* apud Ar. Ran. 559 obvium, haud scio an vocabulum *πλάθα* notione latiore usurpatum sit *cibi* vel *coenae* Theodoridasque alluserit ad illud Aeschyli, qui tragoedias suas *τεμάχη τῶν Ὁμήρου δείπνων* fuisse dixit (Athen. VIII. 347 e), ut ironice *τᾶς Σιμωνίδα πλάθας ἀποσπάραγμα* vocaretur poesis poetae, qui fragmenta ex principis epigrammatici poetae epigrammatis direpta suis tumidis carminibus intexuisse videbatur.

§ 125. *De condicione, quae inter Mnasalcam atque Simonidem extare videtur.* Mnasalcas, quem Scholae Peloponnesiacae fuisse asseclam atque ab Anyte poetria eius principe pendere satis constat (cf. Reitzenstein p. 125 sqq.), utrum iure Simonidis imitator a Theodorida appellatus sit an iniuria, nunc videndum. Knaackio (ap. Susem. A. L. II p. 541 n. 107) haec vituperatio non iusta videtur: 'für diesen Vorwurf findet sich in den erhaltenen Epigrammen durchaus kein Beleg . . . . So scheint Meineke die feindselige Gesinnung, die sich in diesem Gedichte ausspricht,

mit Recht auf persönliche Differenzen zwischen Mn. und Th. bezogen zu haben'. Aliter Reitzenstein p. 126: 'dass die Dichtungen des Mnasalkas und der Anyte im Wesentlichen gleichen Ton und Inhalt haben, ist bekannt; nur hat Mnasalkas häufiger die auch von Anyte benutzte (cf. tamen § 123) simonideische Sammlung vor Augen', atque p. 125 Mnasalceum VI. 128 ex Simonideo VI. 52 (ep. 144), p. 127 Mnasalceum VI. 9 ex Simonideo VI. 2 (ep. 143) imitatione formatum esse contendit v. cl.; neque quisquam negabit haec epp. arto vinculo esse conexa. Epigrammata vero Simonidea ad bellum Medicum pertinentia vel alia, quae in Sylloge affuisse constet, a Mnasalca usurpata esse demonstrari non potest; epigrammatum duorum Simonideorum, quae Mnasalcas Reitzensteinii iudicio secutus esse videtur, ratio eadem est atque eorum epp. Simonideorum, quae Peloponnesii poetae respexisse videntur (§ 123): sunt coloris Alexandrini, leguntur in fragmentis Meleagreis nec vero ullo ex nostris indiciis ad Syllogen referri potuerunt (cf. § 104, de ep. 143 vid. § 130, de ep. 144 p. h. comm. alt.). Simonidea autem imitatio si revera in Mnasalcea poesi inesse videtur, necesse est, ut in ea quoque elementa quaedam inveniantur, quibus a Peloponnesiis epigrammatis distinguitur.

Inter epigrammata Mnasalcae auctoritate insignita unum est — quod Knaackium Reitzensteiniumque fugisse videtur — cum argumento tum dicendi ratione plane a ceteris eius epigrammatis, in quibus Scholae Peloponnesiacae tenor non obscurus est, abhorrens. Volo ep. VII. 242:

οἵδε πάτραν πολύδακρυν ἐπ' αὐχένι δεσμὸν ἔχουσαν
ῥυόμενοι δνοφερὰν ἀμφεβάλοντο κόνιν·
ἄρνυνται δ' ἀρετᾶς αἶνον μέγαν. ἀλλά τις ἀστῶν
τούσδ' ἐσιδὼν θνᾴσκειν τλάτω ὑπὲρ πατρίδος.

Stadtmüller iam alterum versum conferri iussit cum Simonidei ep. 99 (AP. VII. 251) versu altero, at haud scio an v. cl. epigrammatis indolem non agnoverit, denegavit enim fidem lemmatistae ep. ad Thermopylarum pugnam referenti. Necessitudo inter Mnasalceum et Simonideum, quod et ipsum Thermopylas respicit, tam arta est, ut concedere nos oporteat Mnasalcam consulto Simonideum imitatum esse (quod in Syll. Sim. affuisse constat ex loco in ordine Simonideo per Meleagrum in Cephalanam Palatinamque Anthol. propagato, § 101):

ἄσβεστον κλέος οἵδε φίλῃ περὶ πατρίδι θέντες
κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλοντο νέφος·
οὐδὲ τεθνᾶσι θανόντες, ἐπεί σφ' ἀρετὴ καθύπερθε
κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀίδεω.

Eadem epigrammatis sede Mnasalcas servavit verbum ἀμφεβάλοντο, cuius quidem obiectum νέφος mutavit in κόνιν, quod coll. Mnas. VI. 128,4 non miramur. Cui substantivo languidum epitheton δνοφεράν, opinor, numquam tribuisset, nisi in Simonideo νέφος esset κυάνεον. Locum de virtute quodammodo variavit. Adhibuit verbum in Simonideis solemne ῥύεσθαι (e.g. VII. 250,2). Postquam in versibus prioribus Simonideum tumidis reddidit locutionibus, novam adiecit sententiam ἀλλά τις ἀστῶν κτλ., qua illud ep. caret. Qua Mnasalcas demonstrativo epigrammati speciem inscriptionis genuinae praebere voluit, quam iam affectaverat servato ex exempli exordio pronomine οἵδε. Huius sententiae particulas suggessisse ei videntur duo alia epp. Simonidea: verba θνᾳσκειν τλάτω ὑπὲρ πατρίδος sumpta sunt ex ep. 100 (quod epigrammatis 99 est gemellum, supra § 123 exhibitum), in quo redit locus de virtute εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον, *civium* allocutione ideo eum usum esse putaveris, ut carmen cenotaphio destinatum videretur, cum in praeclaro ep. Thermopylensi 92 peregre occisi *peregrinum* (ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν) mortem Spartam nuntiare iubeant.

Sic ex frustulis memoriisque epigrammatum Simonideorum, imprimis ep. 99, deinde epp. 92 et 100 compositum est carmen inflatum; ut Theodoridae incriminatio non iniusta fuisse videatur. Fontem Mnasalcae fuisse Syllogen Simonideam — in qua omnia tria epp. 99, 92, 100 affuisse constat — iam per se probabile est; id postea (§ 128) eo confirmabimus, quod Mnasalcas usus est textu S.

Nunc quoque elucet Stadtmüllerum iniuria pro ficticio habuisse lemma epigrammatis Mnasalcei (VII. 242), quia in lacuna ab A post εἰς relicta suppleta sunt a L verba τοὺς μετὰ Λεωνίδου τελευτήσαντας ἐν Θερμοπύλαις. Etenim scriba A munus ascribendi lemmata atque auctorum titulos dereliquerat inde ab ep. VII. 156 (cod. pag. 229) idque in pag. cod. 243 denuo suscipere ei erat in animo. Appinxit igitur nomina poetarum omnibus paginae epigrammatis (VII. 238—244), lemmata autem tantum quattuor prioribus, tum eum operis resumpti denuo piguit, quo factum, ut trium epigrammatum (242—244) lemmata, quorum tantum exordia εἰς omnium communia apposuerat, lemmatistae manus suppleturas expectare deberent. Nulla autem est causa, cur hunc scribam ficticiis lemmatis et Mnasalcae ep. et sequentia 243 sq. munivisse putemus, praesertim cum ep. Mnasalceum revera Thermopylense esse viderimus et ep. 243 Lollii Bassi, quod eiusdem argumenti gaudet lemmate, meram continere videatur celeberrimi ep. Sim. 92 enarrationem. Epigrammatis Mnasalcei lemma ea aetate conditum

est, qua carmen esse Simonideam imitationem sciri posset ideoque ad Thermopylas referri debere. Haec lemmata ab L quidem exarata sunt, sed ut lemma epigrammatis Corinthii VII. 250 (§ 101), debentur iam grammatico antiquiori [164]). Plura de lemmatis imitationum Simonidearum Mnasalcae vid. § 127 sq.

§ 126. *De ceteris imitationibus Mnasalcae Simonideis.* Praeter Simonideam imitationem unam, quae Mnasalcae ipsius nomine instructa traditur, plura huius poetae epp., ut ita dicam, *Simonidea* aetatem tulisse mihi videntur; quae tamen miro casu non Mnasalcae sed ipsi Simonidi tribuit traditio. Epp., quae volo, omnia — quattuor sunt — eandem indolem atque eandem rationem ostendunt, quas Mnasalcae ep. Simonideum Thermopylense. Extant in Anthologiae Palatinae fragmentis Meleagreis, ad Syllogen Simonideam vero referri non potuerunt (§ 104). Imitatio in iis cernitur Simonidei epigrammatis praesertim unius, deinde aliorum quoque epigrammatum locutiones vel sententiae respiciuntur. Sermo tumidus est atque nonnumquam ita contortus, ut viri docti vera indole talium carminum non perspecta alii aliis coniecturis asperitatem eliminare studuerint. Lemmata iis apposita videntur antiquiore aetate ab hominibus, qui vel sciebant vel intellegebant, quorumnam epigrammatum Simonideorum essent imitationes. Titulos Simonideos, quibus nunc muniuntur, inde ortos esse puto, quod primitus insignirentur Simonideae imitationis aliqua nota, quae postea Mnasalcae nomen summoverit totumque titulum occupaverit. Epp., quae huc pertinere puto, sunt AP. VII. 443 (Sim. 106, § 127), VII. 442 (Sim. 103, § 128), VII. 301 (Sim. 95, § 129), VI. 2 (Sim. 143, § 130).

§ 127. *De ep. Eurymedontio 106.* Ut Mnasalceum ep. VII. 242 Thermopylensem pugnam, sic Simonideum VII. 443 (ep. 106) Eurymedontiam spectare nisi ex lemmate ipso effici non potest: *εἰς τοὺς πεσόντας παρ' Εὐρυμέδοντα ποταμὸν Ἕλληνας* (expectaveris *Ἀθηναίους*, hac de re vid. § 128 p. 219); qua de causa Jacobs Stadtmüller Schwartz (Herm. 35. 1900 p. 118 n. 4) mentiri putant lemma. Epigrammatis vero indoles examinata docebit, quam optime id se habeat:

τῶνδέ ποτ' ἐν στέρνοισι τανυγλώχινας ὀιστοὺς
λοῦσεν φοινίσσᾳ θοῦρος Ἄρης ψακάδι.
ἀντὶ δ' ἀκοντοδόκων ἀνδρῶν μνημεῖα θανόντων
ἄψυχ' ἐμψύχων ἅδε κέκευθε κόνις.

Etenim in hoc epigrammate oppositio eadem inter Graecos hasta

---

164) Ei quoque debetur falsum ep. VII. 244 (Gaetulici) lemma, non lemmatistae, qui id tantum exaravit.

cominus atque Persas arcu eminus pugnantes extare videtur, quam in altero epigrammate Eurymedontio Simonideo 105 — quod in Sylloge affuit (VII. 258, cf. § 101) — obtinere monuit Ed. Meyer Forsch. II p. 21 sq.: *αἰχμηταὶ — Μῆδοι τοξοφόροι* (invenitur etiam in Corinthiarum *ἱεροδούλων* ep. 137, *ἀγχέμαχοι — τοξοφόροι*, Wilamowitz Comm. p. 6, cf. § 33 n. 44 et § 128). In nostro enim ep. hostes armati sunt *ταννγλώχισιν ὀιστοῖς*, mortui autem, quorum memoria celebratur, vocantur *ἄνδρες ἀκοντοδόκοι*. Illi igitur sunt *τοξοφόροι*, videnturne autem hi esse 'viri fortes, qui telorum ictus recipere non dubitant', ut Bergk, vel viri, qui ne iaculo feriantur cavent, ut Etym. Magn. explicat vocabulum [165]? Insolitum epitheton intellegendum est ut *φαρέτρα ἰοδόκος*, quae sagittas continet, deinde sagittis instructa est, de viro hasta instructo, armato, igitur de *αἰχμητῇ*. Peropportune ex Mnasalca VI. 9 conferri potest epitheton *ἰοχέαιρα* Dianae proprium pharetrae attributum (pro *ἰοδόκος*). Ergo constituendum videtur auctorem oppositionem epithetorum Simonidei carminis in suo reddere voluisse lemmaque iure indicare ep. esse Eurymedontium.

Praeter hanc Simonideam imitationem praecipuam in hoc ep. aliorum Simonideorum epigrammatum memoriae inveniuntur. Commemorantur *ἄψυχα μνημεῖα θανόντων ἐμψύχων* (ossa exanimia mortuorum animatorum), quibus poeta significat heroum memoriam, quamquam corpora anima sint destituta, non esse interituram; qua sententia respicit Simonideum ep. 99 — quod Mnasalcae quoque exemplo fuisse vidimus (§ 125) suum ep. Thermopylensi componenti —: *οὐδὲ τεθνᾶσι θανόντες*. Simonidei epigrammatis

---

165) Etym. Magn. 50, 56 *ἀκοντοδόκος*] *δοκιμάζειν λέγεται τὸ ἐπιτηρεῖν· καὶ δοκεύειν τὸ αὐτό, καὶ δοκεῖν. καὶ ἀπὸ τούτου ἀκοντοδόκος ὁ ἐπιτηρῶν, μήπου ἀκοντίῳ βληθῇ*. Vox novicia ac procul dubio *ἅπαξ εἰρημένη* nisi ex nostro epigrammate laudari non potuit. Quamquam glossatorem hunc ipsum versum respexisse non cum Bergkio putaverim. Eum adiectivum perrarum offendisse arbitror apud *Herodianum*, qui Cathol. Pros. I. 150, 20 L. de accentu verborum in *-οκος, -δοκος* disputavit. *Hic* legit ep. in Corona Meleagrea (cf. § 64). Nihili igitur est facienda glossae explicatio. — Hecker II. 292 atque Stadtmüller vocabulum etiam legi monent Schol. ad Il. *Π* 361 *σκέπτετ᾽ ὀιστῶν τε ῥοῖζον καὶ δοῦπον ἀκόντων*] *τοῦτον ἀκοντοδόκον φασίν*. Glossam vero Etymologii Magni non ad Scholia Homerica recurrere, sed contra Scholiastam glossa ipsa usum esse mihi constat. Hoc enim Scholion valde est recens neque legitur in Scholiis Ven. A neque in Scholiorum cod. Ven. B neque in codicibus, qui post hunc cod. alterum Scholiorum genus repraesentant, primariis, sed in codice Victoriano Monacensi saeculi XVI[1] (ed. tantum apud Bekkerum), quem apographon esse constat (Dind. vol. III p. IX) codicis Townleiani; qui codex, post Venetum B alterius classis Scholiorum testis princeps, ipse hoc Scholio caret. De Scholiis Victorianis disputavit *A. Roemer (Monach., diss. 1874).

auctor adeo necesse habuerat addere causam (*ἐπεί σφ' ἀρετὴ κτλ.*), qua imitator nimirum se carere posse arbitratus est. Superfluae igitur sunt coniecturae: *εὐψύχων* Meinekii a Stadtm. in textum recepta, *ἀψύχων* Hartungii, *ἔμψυχ' ἀψύχων* Bergkii. Itidem Simonidi debetur locutio *ἅδε κέκευθε κόνις*, sc. epigrammati Archedicae 111, non magis igitur coniecturis eliminanda (*τάνδε κέκευθε κόνιν* Hartung, *ἅδε κέλευθος ἔχει* Hecker, *ἅδ' ἀνέθηκε πόλις* Reitzenstein p. 115, Jacobs totum v. 4 delendum censuit).

Auctor cumulavit locutiones, quibus genuinae inscriptionis species epigrammati demonstrativo apponeretur: *τῶνδε, ποτέ, ἥδε.* Sermo fucatus atque contortus neminem latet. Alexandrinae artis est praepositio *ἀντὶ* in carminibus sepulcralibus, cuius exempla ex Callimacho collegit Hecker II p. 292 (VII. 271,5; 467,7; 649,1; IX. 600,3), qui antea I p. 224 praepositionem h.l. coniectura eliminaverat. Neque quinti vel quarti saeculi est *λοῦσεν ψακάδι*, cf. *αἵματι λουσάμενα* in ep. 143 (de quo vid. § 130).

Videamus denique lemma *εἰς τοὺς πεσόντας παρ' Εὐρυμέδοντα ποταμὸν Ἕλληνας.* 'Ad victoriam Eurymedontiam temere ep. referri a lemmatista vidisse Jacobsium' annotat Stadtmüller, cf. Schwartz supra laud. Sed ipsa quam indicavimus imitatio arguit lemma optime se habere. Id autem iam antiquitus additum esse necesse est. Unde enim lemmatista efficere potuit Eurymedontiacos heroas celebrari? Quod confirmare videtur hoc lemma comparatum cum lemmate eius epigrammatis Eurymedontii (VII. 258, ep. 105), cuius ep. 106 praesertim est imitatio: *εἰς τοὺς μετὰ Κίμωνος ἐν Εὐρυμέδοντι ἀριστεύοντας.* Cuius lemmatis auctor non intellexit ipsius epigrammatis versum primum: *οἵδε παρ' Εὐρυμέδοντα*, quae verba tamen in imitationis lemmate integra sunt servata. Quod qui explicandum? Imitationi, opinor, ab homine, qui non ignorabat, cuius epigrammatis esset imitatio, lemma optimi sermonis ascriptum est aetate antiquiore; epigramma ipsum sero demum lemmate ornatum est ab homine, cui usus praepositionis *παρὰ* cum accusativo coniunctae post verba, quae commorandi in loco habent notionem, ignotus erat [166]). De huius lemmatis voce ultima *Ἕλληνας* vid. § seq.

Itaque quam inter Simonideum ep. Thermopylense VII. 251 et

166) Etiam Planudi, qui in epigr. textu suo marte (cf. § 108) dedit *παρ' Εὐρυμέδοντι.* Conferatur Eust. 403,13 ad *Γ* 187 *ἐστρατόωντο παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο*] *ἀντὶ τοῦ κατὰ ὄχθας, οἱ δὲ μεθ' Ὅμηρον παρ' ὄχθαις φασίν.* Priscian. XVII. 264 (G. L. III. 344 K.): *Attici 'παρὰ σέ' pro 'παρὰ σοί', quomodo et nos 'apud te'. Aristophanes Ποιήσει* (fr. 388 Dind.): *γυναῖκα δὴ ζητοῦντες ἐνθάδε ἥκομεν, ἥν φασιν εἶναι παρὰ σέ.* (Locos hos debeo lex. Steph.)

Mnasalcae VII. 242 extare vidimus condicionem, eandem adesse apparet inter Simonidea epp. Eurymedontia VII. 258 et VII. 443, neque est, quod dubitemus, quin hoc ep. pro imitatione Simonidea Mnasalcae habendum sit; quem quoque arguere videntur, ut supra iam in transitu indicare conatus sum, vocis *ἀκοντοδόκος* abusus et epigrammatis 99 imitatio. Ut iam monui (§ 126) nomen Simonidis ortum esse videtur ex nota Simonideae imitationis epigrammati apposita; cui notae iam antiquitus adiecta videtur nota argumenti (cf. § 128 de Tegeatici epigrammatis lemmate).

Epigrammata, quae in hoc ep. respiciuntur, omnia in Syll. Simonidea affuisse iam nobis apparuit: epp. 105 et 99 ex ordine Palatino Simonideo (cf. § 101), de ep. 111 cf. §§ 37, 43.

§ 128. *De epigrammate Tegeatico 103.* Duo inter Simonidea sunt epigrammata Tegeatica, quorum condicio a viris doctis recte constitui non potuit, cum aut utrumque ab eodem auctore profectum esse pro explorato haberent aut confunderent quaestiones prorsus diversas de origine epigrammatum ex Sylloge Simonidea et de Simonidis auctoritate. Ecce:

Ep. 102. AP. VII. 512:

τῶνδε δι' ἀνθρώπων ἀρετὰν οὐχ ἵκετο καπνὸς
αἰθέρα δαιομένας εὐρυχόρου Τεγέας,
οἳ βούλοντο πόλιν μὲν ἐλευθερίᾳ τεθαλυῖαν
παισὶ λιπεῖν, αὐτοὶ δ' ἐν προμάχοισι θανεῖν.

Ep. 103. AP. VII. 442 (praecedit Mnasalcae imitationi Simonideae Eurymedontiae 106):

εὐθυμάχων ἀνδρῶν μνησώμεθα, τῶν ὅδε τύμβος,
οἳ θάνον εὔμηλον ῥυόμενοι Τεγέαν,
αἰχμηταὶ πρὸ πόληος, ἵνα σφίσι μὴ καθέληται
Ἑλλὰς ἀποφθιμένου κρατὸς ἐλευθερίαν.

Kaibel p. 457 utrumque ep. pro demonstrativo habuit, Bergk contra utrumque a Simonide conditum existimavit sc. alterum ep. 103 sepulcro destinatum (cf. v. 1. *τῶν ὅδε τύμβος*), alterum 102 cenotaphio; Hauvettio genuinum i. e. Simonidis videtur ep. 103, imitatoris autem alicuius ep. 102. Mea autem opinione plane contraria adest condicio: ep. 102 genuinum est i. e. e Sylloge Simonidea propagatum — nam de origine atque auctore nunc non videndum est, quamquam lectores monere velim hoc pulcherrimum ep. unum esse ex paucissimis illis, quae quin praeter Thermopylensia illa tria iure a Collectore Simonidi vindicata esse putanda sint, non dubito, cf. § 146 et p. h. comm. alt. —, ep. 103 autem imitatio Simonidea Mnasalcae est.

Miror Hauvettium, quamquam intellexerit non necesse esse eidem auctori deberi utrumque ep., non sensisse epigramma 103

demonstrativum esse epigrammatisque 102 imitationem. Quae mihi certa imitationis indicia videantur, indicabo. Verbis *εὐθυμάχων ἀνδρῶν μνησώμεθα* hymnum exordiri poetam putaveris, quid autem sequitur? . . . . *τῶν ὅδε τύμβος*, quale additamentum nonnisi obvium in epigrammatis genuinarum inscriptionum speciem affectantibus iam docet carmen esse demonstrativi generis, cf. Mnasalcae imit. Sim. Thermopyl. ep. VII. 242,3 sq. (§ 125) et imit. Sim. Eurym. VII. 443,4 = Sim. 106 (§ 127). Compara, quaeso, epigrammatis 102 simplicitatem cum tumidis atque grandiloquis verbis epigrammatis 103; compone epitheton Tegeae, quae in illo ep. nitide atque insigniter *εὐρύχορος* dicitur — flammis enim *ampla* urbs conflagrasset, nisi cives imminens periculum propulsavissent — cum urbis epitheto in ep. 103 *εὔμηλος*, quod non urbi sed toti regioni aptum est (*Ἀρκαδία εὔμηλος* Pind. O. 6. 170, Theocr. 22. 157). Metro coactus imitator epico usus est genetivo *πόληος*, studuit enim vocabulum *πόλις*, ut urbis ipsius nomen (102,2 fin. *Τεγέας* — 103,2 fin. *Τεγέαν*), eadem sede servare in imitatione atque in epigrammate subiecto (102,3 ante caesuram *πόλιν* — 103,3 ante caesuram *πόληος*).

Auctor igitur epigrammatis 103 sibi proposuerat, ut secundum epigrammatis Simonidei Tegeatici 102 exemplum novum eiusdem argumenti conderet epigramma. Neque tamen aliorum Simonideorum epigrammatum sententias sprevit. Adhortatio inepta *μνησώμεθα* desumpta esse videtur ex Simonideo ep. 112 v. 1 *μνήσομαι*, ubi huius miri exordii statim sequitur explicatio *οὐ γὰρ ἔοικεν ἀνώνυμον ἐνθάδε κεῖσθαι . . . . Ξανθίππην*, quae omissa, sicut eiusmodi sententia causalis in Mnasalcae imitatione Simonidea Eurymedontia (§ 127), arguit imitatorem. Mortui appellantur *εὐθύμαχοι ἄνδρες*, deinde *αἰχμηταί*. Hoc vocabulum eadem sede legitur in ep. Eurymedontio 105, quod Mnasalcam in Sim. 106 imitatum esse vidimus, ubi Graeci hasta cominus pugnantes opponuntur *τοῖς τοξοφόροις Μήδοις*. Casu autem non accidisse videtur, ut iisdem *τοξοφόροις Μήδοις* in alio ep. Simonideo (sc. ep. Corinthiarum *ἱεροδούλων* 137, trad. S vid. infra) opponantur Graeci *εὐθύμαχοι*. Itaque auctor nostri Tegeatici epigrammatis cum et *εὐθυμάχους* et *αἰχμητὰς* vocaret Tegeatas, eos utroque epitheto mente opposuisse videtur hostibus *τοξοφόροις*. De eadem oppositione a Mnasalca in ep. 106 adhibita iam dixi § 127. Participium *ῥυόμενοι* Simonideis familiare redit etiam in Mnasalcae epigrammatis Thermopylensis VII. 242 versu secundo (§ 125). Quamquam nondum vidimus, quodnam epigramma Simonideum versui ultimo subiectum esse videatur, neque in lemmatum condicionem inquisivimus, tamen iam nunc, opinor, constitui licet inter epp. Tegea-

tica 102 atque 103 eandem obtinere rationem, quam inter epp. Thermopylensia 99 atque VII. 242 et epp. Eurymedontia 105 atque 106 extare apparuerit.

Versus quartus interpretibus magnam peperit molestiam: *ἵνα σφίσι μὴ καθέληται | Ἑλλὰς ἀποφθιμένου κρατὸς ἐλευθερίαν*. Planudes ultima verba praebet *ἀποφθιμένοις κάρτος ἐλευθερίας*, quae aut recipienda cuncta aut reicienda esse elucet. Quoniam apta sententia ex iis extricari nequit, cum Bergkio statuendum est Planudem suo marte, quae non intellegeret, mutasse (cf. § 108). Schneidewin p. 158 docte coniunctionem *ἵνα* non, quod quivis primo obtutu dicat, a *ῥυόμενοι* pendere arbitratus est, sed a *μνησώμεθα*: 'memoriam Tegeatarum instaurandam dicit poeta, ne Graecia a capite defunctorum deripiat libertatem, h. e. ne eos, postquam Lacedaemoniis succubuerunt, tamquam servilis animi homines patriaeque incuriosos proculcet'. In qua versione — ut hoc tantum vitium indicem — non reddita est Palatina lectio *ἀποφθιμένου*, sed Planudea, quam ipse v. cl. reiecit, *ἀποφθιμένοις*. Bergk coniecturam temptavit *ἀποφθιμένη*: 'poetas dicit Tegeatas fortiter pugnavisse pro urbe sua, ut communis patriae salutem tuerentur: Graecia enim subacta se quoque hostilis dominationis haud fore expertes intellexerunt' [167]). Neque tamen hac neque aliis nobis opus erit coniecturis (*ἀπ' ἰφθίμου* Jacobs, *ἰλλὰς*? Stadtm.), si hic quoque agnoverimus imitationem epigrammatis Simonidei sc. 98, quod est in Adimantum, cuius consilio (trad. S) *Ἑλλὰς ἐλευθερίης ἀμφέθετο στέφανον*. In utroque ep. sermo est de Graecia (*Ἑλλὰς* eadem pentametri sede), de libertate, in hoc de libertatis corona, quae Graecia sibi imponit, in illo de libertate, quam Graecia a capite suo deripit (*καθέληται*). Itaque comparato Simonideo versu, hoc Mnasalcas voluisse mihi videtur: 'ne Graecia iis (*σφίσι*, cf. *ὅ μοι γέρας οἴχεται ἄλλῃ*) a capite suo extincto coronam libertatis deriperet', qua sententia contorte significatur 'ne Graecia iis in servitutem redigeretur'.

Inquirendum denique est, num, ut in epp. Eurymedontiis (§ 127), recentius ep. Tegeaticum lemmate vetustiore, vetustius recentiore instructum sit. Ep. Simonideum 102 lemma habet: *εἰς τοὺς Ἕλληνας τοὺς τὴν Τεγέαν ἐλευθέραν ποιήσαντας*; ep. 103, quod Mnasalcae attribuimus: *εἰς τοὺς ἐν Τεγέᾳ πεσόντας ἀριστῆς Ἀθηναίους*. Utrumque vitiosum, utrumque enim ep. est in Tegeatas, qui pro patria ceciderunt. Unde illi *Ἕλληνες*, hi *Ἀθηναῖοι*? Quodsi iure Mnasalcae adiudicavi epigramma 103, id una cum epigrammate

---

167) Hauvette p. 87 Bergkianam interpretationem dubitanter probavit lectione tamen Planudea *κάρτος* accepta.

Mnasalcae Simonideo, quod in AP. (VII. 442 sq.) consequatur, sc. ep. Eurymedontio 106 in Coronam receptum esse probabile est. Huius vero epigrammatis (106) lemma antiquum leve alere vitium iam praecedenti § monui: *εἰς τοὺς πεσόντας παρ' Εὐρυμέδοντα ποταμὸν . . . . Ἕλληνας* — immo *Ἀθηναίους*. Videntur igitur lemmatum epp. VII. 442 sq. voces finales alicuius librarii errore iam in Corona Mel. commisso sedem mutavisse atque in prius lemma *Ἀθηναίους* pro *Ἕλληνας*, in posterius *Ἕλληνας* pro *Ἀθηναίους* ingruisse. Tegeatici epigrammatis lemma, quod nunc recuperamus, (*εἰς τοὺς ἐν Τεγέᾳ πεσόντας ἀριστῆς Ἕλληνας*) rectum quidem non est, sed facile nobis persuademus id appositum esse ab homine, qui versum ultimum contortum iam non intellegeret. Hoc autem lemma usurpatum esse videtur (iam ante Cephalam) ab eo, qui carminis Tegeatici 102 postea lemmate ornavit, textu epigrammatis ipsius ceteroquin non respecto: *εἰς τοὺς Ἕλληνας τοὺς τὴν Τεγέαν ἐλ. π.* Non necessaria igitur est Bergkii transpositio *εἰς τοὺς Τεγεάτας τοὺς τὴν Ἑλλάδα ἐλ. π.* Hac lemmatum ratione confirmari opinor, quod iam posui, Mnasalcam epigrammatis 103 esse auctorem.

In hoc ep. imitationes deprehenduntur, praeter praecipuam Tegeatici ep. 102, epigrammatum Simonideorum 137, 112, 105, 98. Epp. 137 et 98 Corinthiaca in Syll. Sim. affuisse iam constabat ex trad. S (§ 99), ep. 105 ex ordine Simonideo Palatino (§ 101) et imitatione Mnasalcea (§ 127), nunc praeterea discimus epp. 102 et 112 in AP. (VII. 512 et XIII. 26) pervenisse ex Sylloge. Imitatione epigrammatis 137 confirmatur *Mnasalcam usum esse Sylloge Simonidea*, lectio enim *εὐθύμαχοι* traditionis S propria est, quam pro genuina lectione A *ἀγχέμαχοι*, in qua oppositio inter hastatos cominus atque sagittarios eminus pugnantes integra servata est (Wilamowitz Comm. p. 6), substituerat Collector. Simul apparet huius ep. traditionem S habuisse formam pedestrem *εὐθύμαχοι* apud Athenaeum ex Chamaeleonte servatam, reiciendam esse poeticam *ἰθύμαχοι*, quam auctore Plutarcho non solum in Corinthiaco sed etiam in Tegeatico revocare voluit Wilamowitz l.l. Cf. § 33 n. 45. Denique monendum videtur Mnasalcam huius epigrammatis versum ultimum fortasse aliter structurum fuisse, si cognitam habuisset ep. 98 trad. A, in qua *Ἑλλὰς* attributum habet *πᾶσα*.

§ 129. *De ep. 95 in Leonidam.* Extat AP. VII. 301 ep. in Leonidam et trecentos Spartiatas Sim. 95:

εὐκλέας αἶα κέκευθε, Λεωνίδα, οἳ μετὰ σεῖο
τῇδ' ἔθανον, Σπάρτης εὐρυχόρου βασιλεῦ,
πλείστων δὴ τόξων τε καὶ ὠκυπόδων σθένος ἵππων
Μηδείων ἀνδρῶν δεξάμενοι πολέμῳ.

Cum genuina epp. Thermopylensia Herodotus memoriae traderet, huius epigrammatis indoles demonstrativa viros doctos latere non potuit, quamquam auctor locutionibus *αἶα κέκευθε* et *τῇδε*, ut Mnasalcas in epp. Thermopylensi (§ 125), Eurymedontio (§ 127), Tegeatico (§ 128), epigrammati inscriptionis colorem tribuere studuit. Auctor profectus esse videtur a Megistiae epigrammate 94, cuius hexameter prior atque pentameter posterior verba eundem in modum per versum divisa ostendunt quam nostri epigrammatis distichon prius. Nomina quoque propria *Λεωνίδα* — *Μεγιστία* atque *Σπάρτης* — *Σπάρτης* eandem versus sedem occupant. Verba *εὐκλέας* atque *Σπάρτης εὐρυχόρου βασιλεῦ* mutuatus est auctor non ex epigrammate Simonideo, sed ex hymno Simonidis in *τοὺς ἐν Θερμοπύλαις θανόντας* (fr. 4 B.), cf. Hauvette p. 76 et Stadtm. ad ep. Alterius distichi verborum congeriem Planudes ita dissolvere conatus est (*Μηδείων* ⟨*τ'*⟩ *ἀνδρῶν δεξάμενοι πόλεμον*), ut particula *τέ* post *Μηδείων* inserta dativo *πολέμῳ* in accusativum mutato tribueret participio *δεξάμενοι* duo obiecta sc. *σθένος* (*τόξων τε καὶ ἵππων*) atque *πόλεμον* (*τῶν Μήδων*). Utraque lectio scilicet est abicienda, alteram (*τ'*) cum Bergkio servare nefas est. Subest autem denuo imitatio Simonidea. Sententia construenda est sic: *οἳ τῷ πολέμῳ ἐδέξαντο σθένος τῶν τόξων τε καὶ ἵππων τῶν Μήδων* = *τῶν τοξοφόρων καὶ ἱππομάχων Μήδων*. Locutionem non vulgarem *δεξάμενοι πολέμῳ σθένος ἵππων* auctori praebuisse videtur sententia *τρηχεῖαν πολέμου δεξάμενοι νεφέλην* in ep. 89, in quo participium *δεξάμενοι* eadem sede legitur. Ut Mnasalcae in ep. Eurymedontio et ep. Tegeatico, sic in hoc auctoris menti obversatum est Persarum epitheton *τοξοφόρος*. Sed accedunt Persae *ἱ π π ο μ ά χ ο ι*. Qui unde? Ex Simonideo, opinor, ep. Megarensi 107, ubi Persae vocantur *ἄνθρωποι ἱππομάχοι* (cf. § 130). Eos inde arcessitos esse eo probabilius est, quod in eodem ep. redit epitheton *τοξοφόρος* (licet illic Dianae attributum). Quare valde languide arcus dicantur *πλεῖστοι* i. e. *plurimi*, docet ep. 108: Athenienses v. 4 cecidisse traduntur *π λ ε ί σ τ ο ι ς Ἑλλάνων ἀντία μαρνάμενοι*, i. e. ut Wilhelm recte intellexit p. 225 'im Kampfe mit der verbündeten Macht der m e i s t e n Hellenen'; superlativus, qui unice in hoc ep. quadrat, in utroque in versus exordio legitur. Quod *Μῆδοι* circumscribuntur *Μήδειοι ἄ ν δ ρ ε ς* non miramur, qui in Mnasalcae imitationibus Simonideis invenerimus *ἀκοντοδόκους ἄ ν δ ρ α ς* = *αἰχμητάς* (ep. 106) et *εὐθυμάχους ἄ ν δ ρ α ς* (ep. 103); minime igitur hoc vocabulum cum F. W. Schmidtio (*χαλεπῷ*) vel cum Stadtmüllero (*ἁδρῷ*) ita eliminandum est coniectura, ut adiectivum *Μηδείων* cum *τόξων τε καὶ ἵππων* coniungatur.

Nullum dubium esse puto, quin hoc quoque ep. debeatur Mna-

salcae. Iniuria igitur Wilhelm alterum distichon esse insiticium suspicatus est (cf. § 137 n. 8). Argumentum huius epigrammatis nimis perspicuum est, quam ut ex lemmatis examinatione quicquam emolumenti expectare possimus.

Imitationes indicari possunt epp. Simonideorum 94, 108, 107, 89. Priora duo in Sylloge affuisse iam constabat § 82 n. 102 et § 101; ep. 107, quod tantum in Corona Mel. inventum esse ab Helladio noveramus (§ 40), ep. 89, de cuius — apud Plan. unice servati — traditione nihil adhuc constitui poterat, nunc Syllogae Sim. adiudicare possumus.

§ 130. *De ep. dedicatorio 143.* Quarto denique loco Mnasalcae imitationibus Simonideis accensuerim unum ep. dedicatorium Simonideum 143 sc. AP. VI. 2:

τόξα τάδε πτολέμοιο πεπαυμένα δακρυόεντος
νηῷ Ἀθηναίης κεῖται ὑπωρόφια,
πολλάκι δὴ στονόεντα κατὰ κλόνον ἐν δαῒ φωτῶν
Περσῶν ἱππομάχων αἵματι λουσάμενα.

Hoc Simonideum eiusdem coloris et tenoris est atque complura Scholae Peloponnesiacae epigrammata donativa e.g. Mnasalcae VI. 9, 125, 128; Anytes 123, Niciae 122, Hegesippi 124, quibus adnumerandum est VI. 52 = Simonideum 144, cuius titulum vitiosum esse puto (vid. p. alt. h. comm.). *Πέρσαι ἱππομάχοι* iam Mnasalcam arguere videntur (cf. § 129), conferatur praeterea usus adverbii *πολλάκι* in Mnasalcae ep. VI. 128 (eadem sede) et VI. 125,2. Praesertim autem comparandum est eius ep. VI. 9, quod ita huic epigrammati convenit, ut utrumque eiusdem esse auctoris valde verisimile sit:

σοὶ μὲν καμπύλα τόξα καὶ ἰοχέαιρα φαρέτρα,
δῶρα παρὰ Προμάχου, Φοῖβε, τάδε κρέμαται·
ἰοὺς δὲ πτερόεντας ἀνὰ κλόνον ἄνδρες ἔχουσιν
ἐν κραδίαις, ὀλοὰ ξείνια δυσμενέων.

Ex his duobus epigrammatis Reitzenstein quidem demonstrare studuit (p. 127), quomodo Mnasalcas pendeat a Sylloges Simonideae recensione Peloponnesiaca (§ 38 n. 54). Meo autem iudicio utrumque ep. a Mnasalca conditum est, Simonidea autem imitatio in traditione Simonidis nomine ornata est.

Inter hoc ep. et ceteras Mnasalcae imitationes Simonideas quattuor (Mnasalcae ep. VII. 242, Simon. epp. 106, 103, 95) hoc interest, quod in his imitator a certo Simonideo epigrammate profectus aliorum quoque Simonideorum epigrammatum sententias vel verba adhibuit, in nostro autem dicendi rationem Peloponnesiacae Scholae secutus, in universum tantum — quia, opinor, dedicatorium est epigramma — bellum Medicum, quod

praesertim celebrabant Sylloges Simonideae epigrammata, respexit [168]).

§ 131. *Imitationes post Coronam Meleagream concinnatam factae.* Cum Meleager fragmento Sylloges Simonideae in Coronam recepto multa epp. Simonidea paucis (cf. § 145) eatenus nota publici iuris fecisset, epigrammatici poetae, quippe qui imitari possent Callimachum Leonidamque Tarentinum, non magis epigrammata, quae principis poetae epigrammatici nomine inscripta erant, curaverunt quam antea Sylloge ipsa respecta erat. Post Coronam conditam vix ullae deprehendi possunt apud illos Simonideorum epigrammatum memoriae [169]). Attamen cum hominibus vulgaribus, quibus epigramma condendum erat, Corona Meleagrea uberrimam praeberet materiem, in *inscriptionibus* aetatis Romanae saepius Simonideorum epigrammatum deprehenduntur imitationes. Quamquam non semper constat utrum auctores epp., quod Simonidea essent, imitati sunt, an, quod aptum carmini fundamentum subministrare viderentur. Neque *omnium* huius aetatis imitationum auctores usos esse Corona potest demonstrari; cum tamen poetae Meleagrei saepius in inscriptionibus metricis respiciantur (cf. Kaibelii Index VII Epp. Gr. p. 691 sqq.), verisimile est cetera quoque epigrammata auctoribus innotuisse ex Corona.

Imitationes epigrammatum Simonideorum, quae post Coronam Meleagream concinnatam in lapidibus inveniuntur atque a viris doctis animadversae mihi notae sunt, hae sunt:

1. Imitatio epigrammatis 99, quam indicavit Stadtmüller II p. LXXVI in inscriptione Cretensi aetatis Romanae Cnosi inventa. Edita est Bull. Corr. Hell. 1889 p. 59:

οὐδὲ θανὼν ἀρετᾶς ὄνυμ' ὤλεσας· ἀλλά σε φάμα
κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀίδα,
Θαρσύμαχε, τρανὲς δὲ καὶ ὀψαγόνων τις ἀείσει
μνωόμενος κείνας θού[ριδ]ος ἱπποσύνας,
Ἑρταίων ὅτε μοῦνος ἐπ' ἠ[νε]μόεντος Ἐλαίου
οὐλαμὸν ἱππείας ῥῆξαο φοιλόπιδας,
ἄξια μὲν γενέταο Λεοντίου, ἄξια δ' ἐσθλῶν
ἔργα μεγαυχήτων μηδόμενος προγόνων.
τούνεκ[ά] σε φθιμένων καθ' ὁμήγοριν ὁ κλυτὸς Ἅδης
ἷσε πολισσούχῳ σύνθρονον Ἰδομενεῖ.

---

[168]) Epp. Sylloges Simonideae a Mnasalca respecta, quae indicare potuimus, sunt epp. 89, 92, 94, 98, 99, 100, 102, 105, 107, 108, 111, 112, 137. Cf. praeterea § 103.

[169]) Meleagro ipsi obversatum esse puto in ep. AP. VII. 207 Simonideum ep. 133 (cf. VII. 535,1 sq.); illud igitur ep., quod tantum a Planude servatum est, in Corona affuisse videtur, sed prorsus incertum an Meleagro iam Simonideum fuerit

Non solum epp. 99 = AP. VII. 251 in disticho primo secutus est auctor, sed vicinorum quoque epigrammatum memorias carmini inseruisse videtur v. 4 ἱπποσύνας, v. 7 epanalepsin ἄξια — ἄξια, v. 9 φθιμένων, quae occurrunt eadem versus sede in epp. AP. VII. 254,2 (Simonid. 108); 256,3 epanalepsis χαῖρε — χαίρετε (Platonis); 255,3 (Aeschyli). Concludendum igitur est auctorem materiem petivisse ex Anthologia quadam Cephalanae cognata i. e. ex Corona Meleagrea.

2. Imitatio epigrammatis 128 in inscriptione Coa ap. Paton—Hicks. Inscriptions of Cos 324, aetatis Romanae. Animadverterunt imitationem editores, E. Ziebarth Philol. 54. 1895 p. 149, W. Headlam Class. Rev. 14. 1900 p. 7. Editur inscriptio sic:

Δάμα χρηστὲ χαῖρε·
οἵ με ὑπεριδόντες ὁμότεχνοι τῶν αὐτῶν σεῦ, πάτερ, ἀντιτύχοισαν
οἳ δ' ὑπὸ γῆν θέντες ὄναιντο βίον.

Appono ep. 128 = AP. VII. 516:

οἱ μὲν ἐμὲ κτείναντες ὁμοίων ἀντιτύχοιεν
Ζεῦ ξένι', οἱ δ' ὑπὸ γᾶν θέντες ὄναιντο βίον.

Recte vidit Ziebarth mortuum 'fuisse invidiae iis, qui eandem atque ipse profiterentur artem, atque "ein Opfer der Concurrenz" factum esse'. Sed neque intellexit, quis loquatur, neque editoribus assentiri debuit annotantibus 'epitaph upon a father's grave'. Ex vocativo πάτερ apparet appellari quendam. Ex pronomine personae primae με sequitur mortuum ipsum loquentem induci. Ergo mortuus quendam appellat patris nomine. Itaque pater ille non is est, qui sepultus est. In Simonideo epigrammate subiecto etiam mortuus quendam alloquitur sc. Jovem. Nonne eundem Damas patrem appellat scribendumque est Ζεῦ πάτερ, pro quo lapicida propter pronuntiationem consimilem litterarum σ et ζ (cf. Meisterhans Gr. Att. Inschr.[3] p. 88, 8) perperam dederat Σεῦ πάτερ? Recte igitur se habet primae personae pronomen με ex Simonideo servatum, quod, ut cum 'pronomine' σεῦ conveniret, de coniectura Sakolowskii in σε mutavit Ziebarth. In epigrammate ipso verba facit mortuus, valedicunt autem Damae sodales (*Δάμα χρηστὲ χαῖρε*)[170]. Versio Ziebarthii sic igitur corrigenda est: 'Valeas optime Dama. Qui me (te Z.) contempserunt sodalium mei (tui Z.) collegii, idem patiantur, Jupiter pater (ac tu pater Z.); qui autem me (te Z.) iusto funere affecerunt, longa vita fruantur'.

3. Imitatio eiusdem ep. 128 in inscr. aetatis Romanae Panticapaei reperta, edita in *'Recueil des publications de la commis-

170) Eadem tituli atque epigrammatis condicio extat e.g. in ep. 298 Kaib.: *Ἰόπη χρηστὴ χαῖρε.* | *Τίς τοὐμὸν δύστηνον ἐπ' οὔνομα γράψε τὸ χαῖρε; κτλ.*

sion archéologique russe fasc. 9. Pétersb. 1892 p. 47'. Huius quoque inscriptionis notitiam debeo Ziebarthio Philol. 54. 1895 p. 296:

Θεοδωρο[. . . .]ο[. . . .]ς
καὶ Μητρόδωρος Θεοδώρου
πατὴρ καὶ Μᾶ μήτηρ Θεοδώρου.
χαίρετε.
οἵ μὲν ἐμὲ κτείναντες ὁμοίως ἀντιτύχοισαν
Ζεῦ ξένιε, οἵ δ[ὲ] γονεῖς θέντες ὄναιντο βίου.

'Sepulcrum tribus figuris, muliere et duobus viris, manus sibi dantibus ornatum est' Ziebarth. Unde v. d. efficere videtur sepulcrum esse cum Theodori tum eius parentium. Minime. Ex disticho apparet Theodorum parentibus grates agere longamque exoptare vitam, quod sibi ab impio homine trucidato iusta solverint. Filius igitur solus sepulcro conditus est. Theodori nomen ea de causa ter repetitur in lineis superscriptis. Anaglypho, in quo filii unius nomen legitur, parentes indicant se cum filio mortuo coniunctos esse in aeternum. Imperativo *χαίρετε*, quem Ziebarth non recte ad priora traxit, non homo, quem sepulcrum extruxisse putat, Theodoro atque eius parentibus valedicit, sed parentibus suis Theodorus. Memorabile est in disticho ipso, ne metrum claudicaret, omissa esse ex epigrammate Simonideo verba *ὑπὸ γᾶν*, quae sententia sane requirit.

4. Duo deinceps epp. Simonidea 147 et 150 exemplo fuerunt auctori choregicae inscriptionis CIA. III. 82 *a* p. 484 (Kaib. Suppl. Epp. Gr. Rh. Mus. 34. 1879 p. 202 n. 928 *a*, Brinck Inscr. Gr. ad choregiam pertin. [Diss. Hal. VII.] 161) aetatis Romanae. Imitationes animadvertit Wilhelm p. 232 et n. 32 [171]):

1\. . . . .
2\. . . . .
3\. . . . . *θε]οειδέος Ἀ[. . . . οι]ο*
4\. . . . . *στῆσέ μ]ε πᾶς δῆμος [Κ]εκρο[π . .*
5\. . . . .*]όρης χορὸν ἡνιόχευ[εν*

---

171) Supplementa recepta Dittenbergi (in CIA.) sunt praeter v. 12 *καλλικόμους* a Wilhelmo ex ep. 150 restitutum. Cetera supplementa D(ittenbergi), K(aibelii), W(ilhelmi) utpote nimis incerta recipienda non duxi: v. 3. D. W. *Ἀ[ντινόοι]ο*; v. 4. D. *Κ]έκρο[πος ἡμιθέου*, K. *Κ]εκρο[πίδης τρίποδα*; v. 5. D. *ἀνδρῶν μὲν γὰρ Πραξαγ]όρης*, K. *ἡδυβόην μὲν Πραξαγ]όρης*; v. 7. K. *νικὴ δ' ἡνίκ' ἐπῆλθ']* virgula post *εὐάγγελος* posita, W. quae tentaverat *ἀμφὶ διδασκαλίῃ δ' Εὐαγγέλῳ* (coll. ep. 147) retractavit, postquam agnovit lapidem praebere *εὐάγγελος*; v. 10. K. *τῶν δὴ ξυνὸν ἐγὼ τῇ]δε* coll. Ep. Gr. 927; v. 11. K. *ὃς δὲ σὺν εὐτεχνίῃ τε καὶ]* cf. § 91 p. 153; v. 12. K. ante adiectivum *καλλικόμους* (ipse coniecerat *ἐρατὰς*) nomen artificis excidisse censet, vid. ibid.

6. . ἡδὺν δ' αὐλοῖ]σιν ῥυθμὸν ἐπῆγε Τρύ[φων
7. . . . .] εὐάγγελος ἕσπετο κῦ[δος
8. . . . . Ἄτ]ταλος ἠδ' Ἀκάμα[ς
9. . . . .] Πτολεμάιος Ἀδρι[ανός τε
10. . . . .]δε βέβηκα γέρας
11. . . . .] ἀγλαίῃ τόδ' ἔτευξε[ν
12. . . καλλικόμους] οὐκ ἔλαθεν Χάρι[τας.

In priore parte (v. 1—10) huius *choregicae* inscriptionis auctor respexit *choregicum* epigramma Simonideum 147 (v. 5 ἕσπετο κῦδος, eadem versus sede in huius inscr. v. 7), in altera (v. 11 sq.), in qua donarii artifex laudatur, Simonideum ep. 150 v. 2. Demonstrare conatus sum § 91 p. 153 auctorem haec duo epp. deinceps invenisse in Corona Meleagrea eaque in serie Simonidea, cuius fragmentum servatum haberemus AP. VI. 212 sqq. Ep. 150 = VI. 213* in ea serie etiamnunc adest, ep. 147 intercidit inter illud ep. et alterum ep. Simonideum *choregicum* 145 = VI. 213 (cf. § 100). Tum nondum epigrammati 150 alterum distichon, quo etiam in lapide ipso caret (§§ 41,2 et 91), adiectum erat.

33. LOCI, UBI DE SIMONIDE EPIGRAMMATICO SERMO EST.

§ 132. *Testimonia de Simonide epigrammatico.* Tot testimonia habemus de Simonide melico, tot epigrammata Simonidis auctoritate insignita, admodum vero raro apud scriptores *Simonides epigrammaticus* respicitur. Quae res Kaibelio quondam p. 459 [172]) haud levem vim addere videbatur thesi contendenti Simonidem epigrammaticum numquam fuisse [173]).

Attamen hoc de Simonide epigrammatico silentium optime ex antiquo epigrammatis statu explicatur (§ 19). Etenim etiamsi Simonides apud *aequales* clarissimi poetae epigrammatici fama fructus esse videtur iique sibi persuasum habebant eos, qui epigramma festivum atque ab omni parte absolutum adipisci cuperent,

---

172) '*Epigrammatographum* Simonidem noverunt Suidas [vid. infra test. 3um] et Tzetzes [test. 4um], quorum fontes ea aetate recentiores sunt, qua in eius nomen cumulabantur quaequae poterant.' Vid. ann. seq.

173) Bergk cum (p. 441) contra Kaibelium demonstrare studeret Simonidem revera fuisse epigrammaticum, iure iam Suideum testimonium ad 'veteres editiones' rettulit, Theodoridam [test. 1um] Meleagrumque [test. 2um] laudavit, testimonia Apionis (§ 69), Tryphonis (§ 113), Hephaestionis (§ 54), Herodiani § 64), Stobaei (§ 110) — id quod non debuerat — addidit; Tzetzae test. nihili esse intellexit, Aristideum [test. 5um] non novit. Bergkium vero fugit non eo argui Simonidem celeberrimum epigrammaticum fuisse, quod posterior aetas epigrammatum Simonidis nomine ornatorum collectionem haberet (cf. § 20 p. 33).

Simonidem adire debere, epigrammata, quae Simonides condiderat, non cum ipsius sed dedicatoris nomine coniuncta tradi solebant. Quid mirum, quod poeta melicus, cuius auctoritate instructum *epigramma* nullum *posteri* acceperant, numquam ut epigrammaticus commemorabatur? Paucorum tantum epigrammatum Simonideam auctoritatem bono usi iudicio postea constituere poterant homines sc. epp. Thermopylensium trium 91, 92, 94 (ex Herodoteo loco VII. 228) et choregicorum duorum 145 et 147 (ex versibus ipsis). Sed ceteroquin de Simonide epigrammatico nihil scire poterant nisi ea, quae fama ex poetae ipsius aetate oriunda eos docuerat. Neque illa caruisse videntur. Qui enim Aristoteles de Simonide auctore Archedicae epigrammatis, Naxii de Democriti cogitare, atque adeo Collector collectionem epigrammatum Simonidi inscriptam concinnare potuit, nisi traditio viguisset de Simonide poeta epigrammatographo?

Sylloge Simonidea condita hominibus tandem exhibebat epigrammatum Simonidi vindicatorum seriem. Verum enim vero, cum hic liber poetis epigrammaticis — Mnasalca excepto — non magis familiaris fuisse videatur quam viris doctis, testimonia de Simonide epigrammatico, quae eo innitantur, perpauca inveniri necesse est.

Ex quinque, quae habemus, testimoniis tria (1—3) Sylloge niti puto, duo (4—5) scriptoribus, apud quos iam ante Collectorem Simonidis nomen cum epigrammate quodam coniungebatur. Testimonium quintum (Aristideum), quantum video, a viris doctis nondum laudatum est.

1. Theodoridas Simonidem *epigrammaticum* intellegi voluit, cum AP. XIII. 21 Mnasalcae poesin vocaret *τᾶς Σιμωνίδα πλάϑας ἀποσπάραγμα* (cf. § 124). Referenda haec notitia est ad Syllogen Simonideam; ex illa enim Mnasalcam imitandi copiam petivisse vidimus (§ 125 sqq.).

2. Meleager se in Coronam recepisse testatur IV. 1, 8 *νεὸν οἰνάνϑης κλῆμα Σιμωνίδεω*; eum usum esse Sylloge Simonidea apparuit § 38 (et passim).

3. Suidas s. v. *Σιμωνίδης* (cf. Westermann *Βιογρ.* 112) et Eudocia 882 Fl. de poetae scriptis habent haec (quae antea ex illo interpolata legebantur in Schol. Ar. Vesp. 1411): *καὶ γέγραπται αὐτῷ Δωρίδι διαλέκτῳ ἡ Καμβύσου καὶ Δαρείου βασιλεία καὶ Ξέρξου* ⟨*ναυμαχία· καὶ ἡ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ* Eudocia⟩ *ναυμαχία δι' ἐλεγείας, ἡ δ' ἐν Σαλαμῖνι μελικῶς, ϑρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνες, καὶ τραγῳδίαι καὶ ἄλλα.* Quamquam corruptela non una inquinata sunt haec verba [174]), tamen non dubium est, quin

174) Variis modis hunc indicem in integrum restituere conati sunt viri d. (Bergk, ad Sim. fr. 83). Pauca attingam, cetera vid. ap. Bernhardyum. Exor-

integra sit series *θρῆνοι, ἐγκώμια, ἐπιγράμματα, παιᾶνες.* Indicem per Dionysium Halicarnassensem minorem atque Hesychiani Onomatologi Epitomen cum in Suidam tum in Eudociam ex Callimachi Tabulis pervenisse docuit Daub (de Suidae biographicorum origine et fide, Fleck. Jahrb. XI. Suppl. Bd. 1880) p. 427. *Ἐπιγράμματα* Callimachus in Simonidis scriptorum recensionem recepisse videtur, non mera nisus fama de poeta epigrammatico, sed exemplari usus Sylloges Simonideorum *epigrammatum*, quod adesset in Bibliotheca Alexandrina (cf. § 38).

4. Tzetzes in Proleg. ad Lycophr. cum alios enumerat poetas tum poetas epigrammaticos (cf. § 72 n. 73), inter quos refert Simonidem: *ἐπιγραμματογράφοι δὲ ποιηταὶ Σιμωνίδης ὁ παλαιὸς κτλ.*; quo auctore nitatur, Tzetzes ipse indicat addens *οὗ Ἡρόδοτος* (VII. 228) *μέμνηται.*

5. Aristides in or. in Platonem de IV viris 215 Dind. (cf. § 63 n. 55): *καίτοι τοσοῦτόν γ' ἂν εἴποιμι θαρρούντως· εἰ γὰρ ἀναστάς, λέγω, Πλάτων αὐτὸς ἀξιώσει κατηγορεῖν Μιλτιάδου καὶ τοῦ βελτίονος αὐτῷ τοῦτο λόγου κρινεῖ, πάνθ' ἕτοιμος ἔγωγε συγχωρεῖν καὶ μὴ πολλοῦ τινος ἄξιον τὸν ἄνδρα ἐκεῖνον ἡγεῖσθαι. ἀλλὰ οὐκ ἄν μοι δοκεῖ ῥᾳδίως, ὅς γε καὶ μνησθεὶς περὶ αὐτοῦ, Μιλτιάδην δέ, φησὶ* (Gorg. 516 d), *τὸν ἐν Μαραθῶνι. καίτοι τοῦτό ἐστιν ἐγγυτέρω θρήνου τινὸς ἢ μέμψεως καὶ τιμῶντος μᾶλλον ἢ κακίζοντος, ὥσπερ οὓς Σιμωνίδης εἰώθει τιμᾶν ἐν τοῖς*

---

dium sic puto refingendum: *καὶ γέγραπται . . . . ἡ Καμβύσου καὶ Δαρείου καὶ Ξέρξου βασιλεία*, vox *ναυμαχία* addita videtur, postquam vox *βασιλεία* primo omissa atque ideo verbis *καὶ Ξ.* superscripta ante illa inserta est (sc. *ἡ Κ. καὶ*
βασιλεία
Δαρείου καὶ Ξέρξου). Haud scio an hic locus respiciatur in vita Pindarica ex Scholiis Ambrosianis excerpta Westerm. *Βιογρ.* p. 98, 35 (Christ. Pind. p. CI, 1): *ἐπέβαλε* (sc. Pind.) *δὲ τοῖς χρόνοις Σιμωνίδου, ἢ νεώτερος πρεσβυτέρῳ· τῶν γοῦν αὐτῶν μέμνηνται ἀμφότεροι πράξεων, καὶ γὰρ Σιμωνίδης τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν γέγραφε, καὶ Πίνδαρος μέμνηται τῆς Ξέρξου* (sic Westermann, cod. *Κάδμου*) *βασιλείας.* Non diiudico, utrum revera carmen de Cambysis Darii ⟨Xerxis⟩ regno fuisse cum Schneidewino (fr. 1) constituendum sit, an latere notitiam de Simonidis aetate (sc. eum vixisse regnantibus illis regibus) cum Bernhardyo atque Bergkio. — Prorsus reicienda est Bergkiana traiectio *καὶ ἡ ἐπ' Ἀρτ. ναυμ. μελικῶς, ἡ δ' ἐν Σαλ. δι' ἐλεγείας*, quamquam placuit Kaibelio (p. 452), Daubio (l.l.), Wachsmuthio (qui simul scribendum putat *Ξέρξου ναυμαχίαι*, [*καὶ*] *ἡ κτλ.*, ap. Daubium). Nullo ea nititur fundamento, nisi quod Bergk sibi persuaserat *Artemisii* pugnam spectare Sim. fr. 4 *melicum*, quod incipit *τῶν ἐν Θερμοπύλαις θανόντων κτλ.* Fragmentum carminis in Salaminiam pugnam *melici*, quod latet Plut. Them. 15 ⟨et de H. m. 42, cf. § 28 p. 53 et n. 23⟩, Bergkio tum ad elegiam (fr. 83) referre necessarium erat. — Unde accesserint *τραγῳδίαι* incertum est, Bernhardy Gr. L.^{3} 703 confert *δράματα τραγικὰ* in *Suideo* indice Pindaricorum scriptorum.

ἐπιγράμμασιν. Unde Aristides, quem neque Syllogen Simonideam novisse vidimus neque eius excerptum (§ 62), rescivisse videtur Simonidem in epigrammatis homines, qui ei celebrandi essent, *τιμᾶν μᾶλλον ἢ κακίζειν*? Mirum ac simplex hoc de epigrammatis Simonidis est iudicium; quis, obsecro, in illis vituperationem laudi admixtam expectaverit? Qua de causa hanc Aristideam notitiam refero ad illud Aristotelis *Rhetoricorum* caput (I. 9), quod inscribitur *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας* — quas res philosophus statim in exordio dicit *σκοποὺς* esse *τῷ ἐπαινοῦντι καὶ ψέγοντι* —; quo in capite Archedicae epigrammatis (111) versus Simonidi attributus laudatur paulo post, quam docuit Aristoteles oratori in laudatione vitia hominum in meliorem partem esse detorquenda. Rhetor sive memoriae errore (cf. § 59 sq.) sive loco Aristoteleo obiter lecto — de vero contextu videas § 37 p. 72 — errasse videtur.

CAPUT IV.

DE VIA AC RATIONE COLLECTORIS.

§ 133. *Quae epp. in Syllòge affuisse videantur.* Testimoniorum inquisitione, quam in capite praecedenti instituimus, *triginta quattuor* epp. indicare potuimus, quae a Collectore in Syllogen Simonideam recepta fuisse certum vel probabile est. Sunt epp. haec: ep. 89 (§ 129), 91 (§ 101), 92 (§ 43 sq., 101), 94 (§ 44, 129), 96 (§ 53, 101), 97 (§ 101), 98 (§ 53), 99 (§ 101, 125), 100 (§ 101, 125), 101 (§ 57), 102 (§ 128), 105 (§ 101, 127), 107 (§ 40), 108 (§ 101, 129), 111 (§ 42, 127), 112 (§ 128), 129 (§ 58, 104), 131 (§ 54), 134 (§ 100), 137 (§ 32), 138 (§ 43), 140 (§ 50), 141 (§ 76, 100), 142 (§ 60), 145 (§ 100), 147 (§ 91), 149 (§ 77), 160 (§ 51, 78), 163 (§ 37), 166 (§ 77), 168 (§ 100), 169 (§ 70), atque duo epp. Empedoclea fr. 156, 157 D. in medicos Pausaniam atque Acronem, quae apud Bergkium inter Simonidea non leguntur (§ 75).

Ex his epp. novimus 19 in utraque traditione (cf. § 136 sq.); in alterutra 15, sc. in trad. S 13 vel 14, in trad. A *duo* vel *unum*. Quae epp. una tantum traditione servata sunt, ea ad unum omnia inveniri expectaveris in trad. S, in qua Simonidis nomine instruuntur, quo trahuntur intra disquisitionis nostrae fines. Ep. autem 111, quod iam ante Collectorem Simonidis nomine gaudebat apud Aristotelem quodque ex eo in Syllogen receptum esse eo constat, quod eodem loco nisus Collector ep. 163 Simonidi ascripsit (cf. § 37), in trad. S non iam reperitur. Neque certum est epigr. Mègistiae 94, quod apud Herodotum cum Simonidis nomine coniunctum est et, sicut cetera duo Thermopylensia epp. 91 et 92, procul dubio in Sylloge extabat, in Anth. Pal. VII. 677 ex Sylloge propagatum legi; fieri enim posse vidimus (§ 82 n. 102), ut ep. ex ipso Herodoto a Cephala arcessitum sit. Suspicari autem licet adesse in scriptorum a Collectore adhibitorum reliquiis praeter haec duo epp. alia epp. in trad. A, quae, quamquam in Syllogen recepta, in eius reliquiis (i. e. in eius excerptis atque apud scriptores, qui ipsa Syll. vel illis usi sunt) non amplius compareant;

talia epp. anonyma videntur esse epp. 132, 90, 135, 139; quae Simonidi a Schneidewino atque Bergkio accensita sunt (cf. § 134 sq.).

Quamquam incertum est, quam Sylloges partem in his triginta quattuor epp. habeamus, tamen ex iis aliquatenus aestimari potest, qualem Collector navaverit operam in Sylloge Simonidea adornanda: scilicet, quibus usus sit fontibus (§ 134), quomodo versatus sit in epigrammatis anonymis Simonidea auctoritate instruendis (§ 135), qualem textui adhibuerit curam (§ 136 sqq.).

§ 134. *Quibus fontibus Collector usus sit.* Iam § 34 vidimus arcessita esse epp. a Collectore ex fontibus litterariis. Quantum videri potest, potissimum adiit historicos scriptores, Herodotum (epp. Thermopylensia et fortasse ep. 132), Thucydidem (ep. 138 et 111), praecipue vero Ephorum. Cui debet epp. quinque Corinthiaca, (§ 35), ep. Plataeense 140 (§ 50), ep. Gelonis 141 (§ 76), Eurymedontium ep. 142 (§ 60) et fortasse ex eo quoque recepit epp. ad bellum Medicum pertinentia 90, 135, 139 (§ 133). Alios scriptores adhibuit quos novimus hosce: Aristotelem, apud quem ep. Thucydideum 111 cum Simonidis auctoritate invenit et ep. 163 anonymum (§ 37); philosophorum biographum scriptorem aliquem, fortasse Heraclidam Ponticum, cuius vitae Empedocleae debuit epp. in Pausaniam atque in Acronem medicos Empedocli attributa (§ 75); Thrasymachum Chalcedonium vel auctorem ei cognatum, qui ei suppeditavit ep. 169 in Timocreontem Rhodium (§ 70); fortasse quoque Commentarium aliquem Pindaricum, ex quo epigrammata epinicia 166 et 149 in pueros Aeginetas arcessivisse videtur (§ 77). De eius fonte epigrammatum, quorum traditio A periit, plerumque nihil constitui potest. Fieri posse denique monui § 34 n. 48, ut Collector pauca epp. ex lapide descripserit.

§ 135. *Quam rationem Collector in epigrammatis anonymis Simonidi assignandis secutus esse videatur.* Quod sciamus, bis tantum apud scriptores ep. cum Simonidis nomine coniunctum invenit Collector: Herodoteo loco conclamato VII. 228 Simonides dicebatur Megistiae inscriptionis dedicator, ex cuius loci auctoritate et hoc ep. et cetera duo Thermopylensia epp. Simonidi ascripsit, atque apud Aristotelem Rhet. I. 9. 31 Simonides auctor tradebatur epigrammatis 111 in Archedicam, quae res Collectorem movit, ut quoque ep. anonymum in Olympionicen quendam 163, quod praecederet, in Syllogen reciperet (§ 37). Praeterea in trium epigrammatum textu ipso Simonidis nomen offendit Collector sc. in epp. choregicis 145 et 147 atque in ep. de somnio Simonidis 129; quae res ei persuasisse videtur, ut ea epp. Simonidi vindicaret. Incertum vero est, ex quibus fontibus ea hauserit.

In ceteris epigrammatis proprium Collectori iudicium utendum erat. Imprimis epp. ad res in bello Medico gestas ascivisse videtur; cuius belli principem poetam epigrammaticum fuisse Simonidem et locus Herodoteus et fama testari videbantur (cf. § 132). Utrum autem omnia, quae ei praesto essent, epp. bellica Simonidi inscripserit, an consulto, quae ei a Simonide aliena viderentur, secluserit, pro certo constitui nequit. Cum tamen epp., qualia sunt Eurymedontia 105 et 142 atque Atheniense 108, quae ad res post Simonidem mortuum gestas pertinent, poetae adiudicare non dubitaverit, haud summa cautione ac diligentia usus esse videtur. Ea de causa existimo eum non seposuisse epp. ad bellum Medicum pertinentia apud auctorem eius Ephorum laudata 90, 135, 139 et ep. Simonideae aetati suppar apud Herodotum obvium 132, quae tantum anonyma ad nos pervenerunt (cf. § 133 sq.). Nonnumquam peculiaris causa accessisse videtur, cur ep. aliquod Simonidi accenseret; veluti in proclivi erat Simonidi tribuere epp. quinque Corinthiaca et Megarensium epitaphium 107, quod poeta in horum honorem hymnum composuisset (Schol. Theocr. XII. 27, cf. § 40 n. 3), illos in elegia (fr. 84 B.) celebravisset. Deinde respexisse videtur ea epigrammata, quae homines spectabant, quibus Simonides familiariter usus esse tradebatur, e. g. ep. 138, quod Pausanias communi Graecorum donario post Plataeensem pugnam inscribi iussit, quod ep. etiam propter argumentum recipiendum erat; epp. Pisistratidas spectantia sc. ep. 111 in Hippiae filiam Archedicam — iam Simonideum apud Aristotelem — atque ep. 131 in Harmodium et Aristogitonem. Difficilius dictu est, quid secutus sit in epigrammatis privatorum in honorem conditis. Epinicia epigrammata in pueros Aeginetas Sogenem (166) atque Theognetum (149) eum ideo recepisse conieceris, quod in eos extarent Simonidis epinicia carmina. Qua praeterea levitate versatus sit in epigrammatis apud scriptores obviis Simonidi assignandis, docent epp. duo in Pausaniam atque Acronem medicos ab eo in Syllogen Simonideam recepta, quamquam in eius fonte Empedoclea auctoritate ornata erant. Utrum ad dicendi rationem attenderit necne, effici nequit.

Iam vidimus § 20, cur numerum epigrammatum a Collectore iure Simonidi attributorum perexiguum esse necesse sit. Quatenus autem Collectori fides sit habenda epigrammata Simonidi vindicanti, in altera huius commentationis parte, quae erit de epigrammatum Simonideorum aetate atque origine, exponetur (cf. § 20 p. 32).

§ 136. *Quorum epp. textum mutaverit Collector.* Ex epigrammatis 34 (§ 133), quae in Sylloge Simonidea lecta esse sci-

mus, 19 novimus etiam in trad. anonyma A (Empedocli vero ibi erant assignata epp. in Paus. et Acr.); 91, *92*, 94, *96*, 97, *98*, [105], [108], *134*, *137*, *138*, *140*, *141*, *142*, 160, 163, 169, *ep. in Paus.* et *ep. in Acron.* Epigrammatum duorum, quae uncis inclusi, traditio A pro parte tantum nota est (cf. § 137, 6 et 7); inter 17 reliqua inveniuntur non minus quam *undecim*, quorum textus in trad. S discrepat a trad. A. Cum iam § 32 viderimus Timaeum, omnium auctorum, quos novimus traditione S usos esse, antiquissimum, in Sylloge ipsa ep. 137 invenisse textu ab Ephoreo (A) diversum, nonne constituendum videtur omnes illas discrepantias inter textus traditionum A et S eidem deberi origini sc. Collectori, qui cum epp. anonyma Simonidi vindicaret simul in multorum epigrammatum textu exercuerit artem criticam? Horum epigrammatum numeros supra currentibus typis excudendos curavi[1]).

§ 137. *Quaestiones, quae praesumi debent textui constituendo.* Antequam eorum epigrammatum, quorum traditio S textu a traditione A discrepat, lectiones huc pertinentes uno componam conspectu, praemittam disputationem et de iis epigrammatis, ex quorum forma primaria A^1 iam ante Collectorem recentior A^2, quam ille tractavit, orta est, et de iis, quorum textus A vel S sive non integer sive diverse traditus ad nos pervenit.

1. Ep. 96 Corinthium, cuius traditionum A^1, A^2, S textum exhibui § 34, iam apud Corinthios altero disticho auctum est. Forma A^1 uno disticho absoluta legitur in lapide ipso (§§ 34 et 41, 1), forma A^2, quae ex defensione Corinthiaca per Ephorum in Plutarchum transiit (§ 29), Collectori apud Ephorum praesto erat. Forma illa A^2 ipsa apud Plut. vitiis inquinata est hisce: pro *ἀνάματος* voce nihili iam Valckenaer *ἅμ' Αἴαντος* correxit; quam correctionem cum lapis confirmat, in quo ante *-τος* vestigia litterae *ν* deprehenduntur, tum traditio S, in qua Collector Dorico pronomine *ἁμὲ* non intellecto dedit *μετ' Αἴαντος* (§ 139); pro *ῥῠόμεθα* Jacobs scripsit aoristum *ῥυσάμεθα*, quem cum sententia flagitat tum ab auctore additamenti petitum esse ex gemello ep. 97, 2 *Ἑλλάδα . . . . ῥυσάμενοι* atque formae S *ἱδρυσάμεθα* subiectum esse manifestum est (cf. § 34).

2. Collectorem artem criticam non exercuisse in ep. 142 Eurymedontii forma A^1 Diodorea (Ephorea), sed in forma vulgari A^2, quae formae A^3 Aristideae et epigrammati 844 Kaib. quoque sub-

1) Epigrammata 160 et 163 huc non rettuli, quoniam eorum traditionum A et S discrimina librariis debentur. Ep. 160 in AP. IX. 700 habet *ἀρίγνωτος* (pro *Πολύγνωτος*) et *ἡλίου* (pro *Ἰλίου*). De ep. 163 cf. § 116.

iecta esset, demonstratum est § 60. Discrimen formarum A[1] et A[2] ostenditur in lectionibus tribus: var. 5 A[1] *ἐπέχει* — A[2] *ἐφέπει*, var. 7 A[1] *τοιοῦτον* — A[2] *κάλλιον*; var. 10 A[1] *Μήδους* — A[2] *Μήδων*. Cum ep. AP. VII. 296 in versus 7 exitu lacunam habet, dirimi nequit, utrum in forma A[2], a Collectore usurpata, ut in A[1], *ὑπ' αὐτῷ* an, ut in A[2], *ὑπ' αὐτῶν* legeretur.

3. Epigrammatis 140 ut trad. A dilucide eo dignoscitur a trad. S, quod Collector forma epigrammatis *aab* non intellecta versum minorem post priorem maiorem intrusit (cf. Wilamowitz p. 312), ita quid invenerit, quid dederit Collector comparatis inter se testimoniis traditionum A (Plut. Arist. 19 et de Her. mal. 42 = Mor. 867 f) et S (AP. VI. 50 et APl. VI. 19. 1) diversis demum constitui potest.

Trad. A (textum exhibeo Vitae Arist. inclusis cancellis Moralium lectionibus) sic legitur:

τόνδε ποϑ' (Mor. *μεϑ'*) *Ἕλληνες νίκας* (M.-*ην*) *κράτει ἔργῳ Ἄρηος*
Πέρσας ἐξελάσαντες, ἐλεύϑερον (M.-*ᾳ*) *Ἑλλάδι κοινὸν*
ἱδρύσαντο Διὸς βωμὸν Ἐλευϑερίου.

Errorem esse *μεϑ'*, depravatum esse *νίκην* ex *νίκης*, quod in *νίκας* in Vit. Ar. corruptum sit, nemo non videt. Lectionem *ἐλευϑέρᾳ* unice sententiae aptam genuinam esse lectionemque *ἐλεύϑερον* abiciendam quivis concederet, nisi itidem in trad. S legeretur *ἐλεύϑερον* sc. *Ἑλλάδι κόσμον*. Quamquam nullum extat dubium, quin auctor carminis dederit *ἐλευϑέρᾳ Ἑλλάδι κοινόν*, tamen Collector illud vocabulum iam in *ἐλεύϑερον* corruptum accepisse videtur — vocem enim *κοινὸν* non sollicitasset[2]) nisi in ea substantivum latere putasset, cui attributum esset epitheton *ἐλεύϑερον* (cf. etiam § 139). Nam quod cum in Plutarchi Vitae Aristideae codicibus tum in Anthologia Palatina idem extat vitium, eo explicandum est, quod cum Plutarchus tum Collector epigramma hausit ex Ephoro, apud quem vocabulum iam corruptum legebatur [3]). In Moralium codicibus iam scitus lector vel librarius attulit medelam proclivem. Origo vitii eadem esse videtur atque eius corruptelae, qua alterum huius traditionis locum affectum esse puto. Verba enim difficiliora in primo versu *νίκης κράτει ἔργῳ Ἄρηος* et Collectoris (*ῥώμῃ χερός, ἔ. Ἄ.*) et lectoris vel librarii alicuius in codd. Vit. Ar. quibusdam (F[a] *ν. κ. πόϑῳ ἄργεος*, L *ἄργος*) et virorum doctorum coniecturis temptata sunt. Equidem auctorem dedisse puto

---

[2]) Neque locum expedire potuit Aristides, qui aram *κοινὴν παράκλησιν κτλ.* (cf. § 62) continere putavit.

[3]) Etiam corruptela *ἀνέϑεντο* pro *ἀνέϑεν* in ep. 134 cum apud Plut. tum in AP. obvia explicanda est ex Ephoro, communi Plutarchi Collectorisque fonte.

νίκῃ κρατερεργοῦ Ἄρηος 4) i. e. *NIKEIKPATEPEPΓOAPEOΣ*, quae verba, cum in inscriptione litterae *P* (mediae in adiectivo) evanuisset circulus spatiumque inter *I* (ex *P*) et *E* iusto factum esset longius, a descriptore disiuncta sunt perperam *NIKEIKPATEI—EPΓOAPEOΣ*; tum facile cum *κράτει* genetivus *νίκης* (pro *νίκῃ*) et cum *Ἄρηος* dativus *ἔργῳ* (pro *-εργοῦ*) iungi potuit 5). Eidem, opinor, descriptori debetur *ἐλεύθερON* pro *ἐλευθέρAI*. Distinguendi igitur sunt duo textus A, A[1], qui in lapide legebatur, A[2], quem a descriptore Ephoro traditum Collector tractavit. Simul lucrati sumus novum epitheton Martis, qui Il. *B* 215 *κρατερὸς* vocatur, *κρατερεργός*. Qua in voce novicia nemo opinor offendetur neglecta vi litterae digamma (cf. *κακο-εργός, κακοῦργος*), epigramma enim pugna Plataeensi aliquot decenniis recentius est (cf. *Πέρσαι*, non *Μῆδοι*, Wilam. p. 313 et § 139 n. 9), atque iam apud Xenophontem legitur *φιλ-εργία* (Oec. 20. 26).

Etiam textus S diverse traditus est. Planudes Ionicas tantum praebet formas, cum in duobus vocabulis (*Ἕλλανες* et *λάματι*) Palatinus Doricas exhibeat. Quamquam dialectum semel iterumque commutavisse videbimus Collectorem (§ 139), Ionicam in hoc ep. servasse ideo est putandus, quod, quin *Ἄρηος* Dorice poneret, obstabat metrum. Planudes contra Cephalanum textum v. 1 coniectura temptavit (§ 108). Subesse putavit verbis *ἔργῳ Ἄρηος* appositionem *ἔργον Ἄ*. Distinguenda igitur est traditio S[1] Palatina (= Syll. Sim.) a S[2] (Planudea).

4. Epigrammatis 141 trad. S (AP. VI. 214) versu quarto corruptela est inquinata (*δαρετίου χρυσοῦ*), quae iam in exemplari suo Anthologiae Cephalanae invenit Suidas s. v. *δαρετίου* (§ 111). Qui locus permultis coniecturis temptatus facili medela sanari posse mihi videtur. Latere aut *Δαμαρέτας* reginae aut *Δαμαρετείου* nummi nomen manifestum est (cf. Diod. [= Timaeus] XI. 26). Id, quod traditur, *δαρετίου* non oriri potuit, nisi ex pleniore *δαμαρετίου* (pro *δαμαρετείου*) syllaba altera, quae metro repugnabat, suppressa 6).

4) Quae verba coniungenda sunt cum *Πέρσας ἐξελάσαντες*. Hartung iam coniecit *νίκης κρατερεργέος εἵνεκ'*. Alias coniecturas lectores videant in apparatu critico ap. Bergkium atque Stadtm.

5) Eiusmodi igitur errori fuit obnoxius descriptor, cui Pausanias (V. 24. 3), cum litteras evanidas in basi Jovis simulacri coniectura suppleret *ἵλάῳ θύμῳ τοῖς Λακεδαιμονίοις*, quae verba nec sententiae, nec crepidinis (IGA. 75) ipsius ductibus convenientia palmaria coniectura in integrum restituit Ahrens *ἵληϝὼς δάμῳ τῷ Λακεδαιμονίων*. Vid. tamen Blümner—Hitzig ad l.l.

6) Id ipsum dedisse poetam 'necessitate coactum paeone in loco dactyli usum' putabat Bentley Resp. ad Boyl. 259 Lenn., quem etiam hodie sequitur Hill 16. Innumeras coniecturas in hunc locum videat lector ap. Bergkium atque Stadtm.

Quae vox rursus nata sit necesse est ex altera, quae una syllaba brevior metro quadraret. Quid igitur? Collector dedit *Δαμαρέτας* 'ex auro Damaretae tripus confectus est'. Interpretationis autem causa quidam suprascripsit verbis *Δαμαρέτας χρυσοῦ* vocabulum *δαμαρετ(ε)ίον*, quod pro correctione nominis reginae habitum in textum ipsum a librario quodam receptum est. Tertius homo metro nunc claudicanti subvenire cupiens irreligiose syllabam alteram facessere iussit. In hanc coniecturam iam inciderat Bergk, qui tamen eam postea pro *Δαμαρέτου* abiecit. Vir cl. inventum suum, opinor, non missum fecisset, si vitii originem non vehementi mutationi, sed subsequentium librariorum errori tribuisset. A quaestione archaeologica de Gelonis eiusque fratrum donariis Delphicis, de quibus in parte huius commentationis altera, cum in epigrammatis originem inquirendum erit, disputaturus sum, quaestio unice critica de hac *textus S* lectione prorsus est secernenda [7]).

5. Epigrammatis 137 trad. S, a Timaeo ex Sylloge hausta, non integra sed immutata duabus viis ad nos pervenit, sc. per Chamaeleontem, qui var. 3 *εὔχεσθαι* e coniectura scripsit, ut mediam daret lectionem inter lectiones A *εὐχόμεναι* et S *εὐξάμεναι*, et per Plutarchum, qui var. 5 pro lectione S *Πέρσαις* ex traditione A servavit *Μήδοις*. De textu S reconstruendo vid. praeterea § 31.

6. Ep. 108 in trad. S legitur AP. VII. 254 (ex Syll., cf. § 101), trad. A autem non apud scriptorem aliquem servata est, sed ipsius fragmenti apographon pervenit in CIA. II. 1677; cf. § 41,3. Quoniam Wilhelm (p. 223), qui agnovit fragmentum, ex verbis *στοιχηδὸν* incisis demonstravit carminis versus singulos in lapide ipso novam incohasse lineam, probabile est, nec vero certum, Collectorem textum non mutasse.

7. Ep. 105 in trad. S extat AP. VII. 258 (ex Syll., cf. § 101), traditionis A vestigium tantum deprehenditur in imitatione, quam laudavi § 122,1. Cum verba epigrammati Simonideo cum imitatione communia Collector non tetigerit, fortasse autumare licet eum cetera quoque integra in trad. S. recepisse [8]).

---

7) Imprimis textui S nimium tribuerunt ii viri clarissimi, qui nuperrime de his donariis disputaverunt, sc. Homolle et Reinach (cf. § 2). Cf. Busolt II². 797 n. 1.

8) Hoc loco his epigrammatis non adiungendum est ep. Megarense 107 unice in trad. S servatum (in marmore § 40), cuius formam primariam unius distichi postea quinque distichis amplificatam esse acute intellexit Wilhelm p. 243; qua re distinguenda est forma A^1 ab A^2, quae per Syllogen Coronamque in Helladii

§ 138. *Traditionum A et S comparatio.* Praeter ea epp., quorum traditionem A mutavit Collector (I), in tabulam, quae sequitur p. 238/9, recepi id ep. (II), cuius traditionem A^1 cum A^2 coniunxit, et ea epp. (III), quae in utraque traditione in eodem textu leguntur, quem ipsum afferri non necesse erat. Ad epp. I in col. 2 variarum lectionum numerus, qui respicitur § 139, appositus est.

In testimoniis adiciendis imitationum raro habui rationem. In fontibus designandis traditionis A non ultra eos processi, qui Collectori praesto fuerunt. Defensionem igitur Corinthiacam, ex qua Ephorus epp. Corinthiaca (§ 29), vel traditionem Spartanam, ex qua arcessivit epp. Thermopylensia (§ 17) Herodotus, omisi. Ex columnis comparatis 6, in qua fons testimonii A, et 9, in qua fons Collectoris legitur, facile videri potest ex iisdem fontibus et in scriptores (A) et in Syllogen Simonideam (S) propagata esse epigrammata. Imprimis elucet, quae fuerint Ephori partes in epigrammatis tradendis.

§ 139. *De Collectoris arte critica.* Collector cum in textu epigrammatum a se receptorum exerceret artem criticam tria sibi proposuisse videtur. Primum vitia traditionis dictionisque tollere studuit, deinde verba per se recta quaedam cum aliorum epigrammatum, quae Simonidi vindicaverat, locutionibus conspirare iussit, quorundam denique epigrammatum indolem mutare voluit.

Vitia, quae revera textui inhaerebant, animadvertit in epigrammate 140 (cf. § 137,3). V. 1 *νίκης κράτει ἔργῳ Ἄρηος* perperam tradi intellexit (cf. § 137,3), qua re rescripsit *ῥώμῃ χερός, ἔ. Ἄ.* (n. 12), v. 2 (3) eum non fugit corruptio in verbis *ἐλεύθερον Ἑλλάδι κοινὸν* (cf. ibid.), quae non sanavit leni medela *ἐλευθέρᾳ*, sed (n. 14) quaesivit in *κοινὸν* substantivum *κόσμον*, quam correctionem ei suggessisse conieceris exordium Timothei Persarum (fr. 13 Wilam.): *κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον*. Neque eum latuerunt dictionis vitia. Sensit in Adimanti ep. 98 languidum esse atque superfluum adiectivum *πᾶσα* (*ὃν διὰ πᾶσα Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον*), quod auctor carminis mutuatus est ex alio Corinthiaco ep. 97, ubi *πᾶσα* optime se habet (*ἀκμᾶς ἑστακυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν*), dedit autem *οὗ διὰ*

---

manus pervenit. Iniuria autem in aliis epp. idem vir cl. (89, 95, 105, pag. 244) et Schwartz (ep. 142 Herm. 35. 1900 p. 120, cf. § 60 p. 108) additamenta odorari sibi visi sunt. In ep. Eurymedontio 105 periret oppositio inter *τοξοφόρους* et *αἰχμητὰς* (§ 127), ep. 95 Mnasalceam imitationem esse vidimus (§ 129). De his epp. et de epp. 89 et 142 vid. praeterea altera h. comm. pars.

βουλάς (n. 4) collato, opinor, exordio ep. 102 *τῶνδε δι'* .... *ἀρετάν*. Cum dici non posse intellegeret in ep. Eurymedontio 142 v. 2 *Ἄρης ἐφέπει* (sic A², *ἐπέχει* recte A¹) *πόλεας*, scripsit *ἐφέπει πόλεμον* (n. 17) fortasse coll. Il. *Υ* 358 (cf. § 60 n. 39), qua de causa id, quod sequitur, vocabulum *θνητῶν* Homerico *λαῶν* cedere necesse erat. Pro voce *δυσμενέων* (*Μήδων*) in ep. 134, quae inopiam ostendit auctoris, requisivit participium *δυσαμένων* (n. 5).

Contra duos locos revera vitio laborantes non tetigit. In ep. 96, quod tribus coniecturis temptavit, suo loco reliquit formam vitiosae quantitatis *Πέρσᾶς*, quam auctor epigrammatis additamenti (A²) invexerat. Neque in ep. 134, quod versu primo (n. 5) eius stilum passum est, mutavit *ὅπλ' ἀνέθεντο Λᾶτοῖ*, quod cum in trad. A apud Plut. de Her. mal. 39 tum in trad. S AP. VI. 215 legitur. Hoc vitium, quod facile tollitur restituta forma verbi activa *ἀνέθεν* (Blomfield ceteri) non cum Wilamowitzio p. 309 n. 2 fortuito duorum librariorum prorsus diversorum corruptelae consensui tribuendum est, sed, ut in ep. 140 vitiosum *ἐλεύθερον* cum in Plut. (A) tum in AP. (S) servatum (§ 137,3), iam Ephori et fortasse fonti Ephori (defensioni Corinthiacae), ex quo ep. et in Plutarchum et per Collectorem Meleagrumque in Anth. Cephalanam fluxit, adiudicandum est.

Saepius sollicitavit locos non intellectos. In ep. 96 Doricam formam *ἅμ'* = *ἀμὲ* (*ἡμᾶς*) pro praepositione *ἅμα* habuit, quae, cum genetivum *Αἴαντος* respuere videretur, ab eo conversa est in *μετ'* (n. 1). Post epigrammatis 140 hexametrum priorem ipse, cum formam *aab* non agnosceret, pentametrum eumque coloris rhetorici infersit (n. 13), cf. § 137,3. In ep. 137 neglexit — id quod non debuit — epitheton *ἀγχεμάχων* (n. 6), quo Graeci hasta cominus pugnantes opponuntur Persis *τοξοφόροις*; eandem oppositionem extare in ep. 105 eum latuisse videtur (cf. § 127 sqq.). Fugit eum vis simplicis verbi *ἐβούλετο* in ep. 137 (n. 8), a quo verbo in ep. 102 ipse manus abstinuit. Id, quod reposuit, *ἐμήδετο* rursus in causa fuisse videtur, cur mutaret vocem sequentem *Μήδοις* in *Πέρσαις*, quamquam eo nomine belli Medici aetate Graeci Persas designare non solebant [9]).

Nonnumquam Collectori alia epp. in Syllogen recepta praebuerunt sive mutandi causam sive corrigendi materiem. Ep. 141, quod non

---

9) Hoc nomine unus iis temporibus Aeschylus usus est, quippe qui '*Πέρσαι* a *Περσεῖ* iam derivaret (Pers. 80 [*χρυσογόνου γενεᾶς ἰσόθεος φώς*]), et reges senatumque regium induceret, quos tamquam Persas a subditis populis distinguere Graecos ipsum bellum docuerat' (Wilamowitz Comm. p. 6).

Traditionum A et S comparatio (§ 138).

1 Num.	2 Var.	3 Ep.	4 Vs.	5 Test. A	6 Fons Test. A	7 §	8 Textus A	9 Fons Coll.	10 Test. S	11 Fons Test. S	12 §	13 Textus S
							I. *Epp. in altera traditione in altero textu obvia.*					
1	1	96	2	A^2 Plut.	Eph.	29	*ἄμ' Αἴαντος*	Eph.	Favor.	Coron.	34,	*μετ' Αἴαντος*
	2	»	3				*ἐνθάδε*				53	*ῥεῖα δὲ*
	3	»	4				**ῥυσάμεθα* (codd. *ῥυόμεθα*)					*ἱδρυσάμεθα*
2	4	98	1	Plut.	Eph.	29	*ὃν διὰ πᾶσα*	Eph.	Favor. AP.	Coron. Syll.	53 128	*οὗ διὰ βουλάς*
3	5	134	1	Plut.	Eph.	29	*δυσμενέων*	Eph.	AP.	Syll.	38	*δυσαμένων*
4	6	137	1	Schol.Pind.	per Theopomp. ex Eph.	29	*ἀγχεμάχων*	Eph.	Athen.	per Chamael. Timaeumque ex Syll.;	30	*εὐθυμάχων*
	7	»	2				*ἔστασαν* (codd. praeter E *ἔστ.*) *εὐχόμεναι*				sqq.	*ἑστάθεν* (*ἔστ.* Ath.; *ἔστ.* Plut.)*εὐξάμεναι*(Plut.)
	8	»	3				*ἐβούλετο Μήδοις*		Plut.	per Timaeum ex Syll.		*ἐμήδετο Πέρσαις*
	9	»	4				*δόμεναι*					*προδόμεν*
5	10	138	1	Thuc.	—	43	*ὤλεσε*	Thuc.	AP.	Syll.	43,	*ὤλεσα*
	11	»	2	etc.			*ἀνέθηκε*				99	*ἀνέθηκα*
							dialectus Attica					*dialectus Dorica*
6	12	140	1	A^2 Plut.	Eph.	50	*†νίκης κράτει*	Eph.	AP.	Syll.	50,	*ῥώμῃ χερός*
	13	»	2	v. Ar. et d. H. m.			deest				137,3	*εὐτόλμῳ ψυχῆς λήματι πειθόμενοι*
	14	»	3				*†ἐλεύθερον .... κοινόν*					*ἐλεύθερον .... κόσμον*
7	15	141	2	Schol.Pind.	Eph.	76	*τοὺς τρίποδας θέμεναι*	Eph.	AP.	Syll.	76	*τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι*
	16	»	3 sq.				*βάρβαρα νικήσαντας ἔθνη, πολλὴν δὲ παρασχεῖν | σύμμαχον Ἕλλησιν χεῖρ' ἐς ἐλευθερίην*					*ἐξ ἑκατὸν λιτρῶν καὶ πεντήκοντα ταλάντων | *Δαμαρέτας* (Ceph. *δαρετίου*) *χρυσοῦ τᾶς δεκάτας δεκάταν*
8	17	142	2	A^1 Diod.	Eph.	48	*πόλεας θνητῶν*	A^2 forma	AP.	Syll.	60	*πόλεμον λαῶν*

9	19 20 21 22 23	Emped. ep. Paus. » » » »	2 2 3 3 4	Diog. L.	per Aristippum atque per Satyrum ex philosoph. biographo (Heracl. Pont.?)	75	*φῶτ'* *ἔθρεψε* *πολλούς* *μογέροισι .... καμάτοισι* *ἀδύτων*	A², S, 844 Kaib. reconstruenda Philosophorum biographus (Heracl. Pont.?)	AP.	Syll.	75	*τόνδ'* *ἔθαψε* *πλείστους* *κρυεραῖσι . . . ὑπὸ νούσοις* *θαλάμων*
10	24	Emped. ep. Acron.	2	Diog. L.	per Satyrum ex philosoph. biogr. eodem	75	*dialectus Ionica* *κρύπτει κρημνὸς ἄκρος πατρίδος ἀκροτάτης*	Philosoph. biographus idem	Diog. L.	Coron.	75	*dial. Dorica praeter n. 22* *ἀκροτάτης κορυφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει*
					II. *Ep., cuius traditiones A Collector coniunxit.*							
11		92	1 2	A¹ Her. A² trad. popul. (Eph. Lyc. Strab.)	—	18 44	A¹ *ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν* A² *ὦ ξένε ἄγγειλον* A¹ *ῥήμασι πειθόμενοι* A² *πειθόμενοι νομίμοις*	A¹ Her. A² trad. pop.	AP.	Syll.	44, 101, 125	*ὦ ξεῖν' ἄγγειλον* *ῥήμασι πειθόμενοι*
					III. *Epp. in utraque traditione in eodem textu obvia.*							
12		91		Her.	—	18		Her.	AP.	Syll.	101	
13		94		Her.	—	18		Her.	AP.? Mnas.	Syll.	97 129	
14		97		Plut.	Eph.	29		Eph.	AP.	Syll.	38	
15		160		Plut.	?	51		?	AP.	Syll.	99	
				Schol. Plat.	?	78			Paus.	Coron.	65	
16		163		Aristot.	—	37		Aristot.	Ar. Byz. ap. Eust.	Syll.	37, 116	
17		169		Athen.	Thrasym.	70		Thrasym.	AP.	Syll.	70	
18?		105		Imit. CIA. IV. 446ᵃ p. 108	Inscriptio ipsa?	122	Textus A non integer ad nos pervenit, cf. § 137, 7 et 6.	?	AP.	Syll.	101, 127	
19?		108		CIA. II. 1677	—	41		?	AP.	Syll.	101, 129	

ad quattuor tripodum dedicationem sed ad unius pertinere voluit (vid. infra), ex ep. 145 correxit (*τοὺς τρίποδας θέμεναι* A — *τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι* S, cf. ep. 145,2 eadem epigrammatis sede *τόνδ' ἀνθέμεναι πίνακα*, n. 15). *Πολλοὺς* (ep. in Paus.) in *πλείστους* conversum (n. 21) ex ep. 108 petitum videtur *πλείστοις Ἑλλάνων ἀντία μαρνάμενοι*, ubi tamen *πλεῖστοι* non 'plurimi' sed 'plerique' sunt (cf. § 129). Ep. 98 emendanti ei exordium ep. 102 obversatum esse videri iam supra monui. Etsi alia epp. locutionem confirmabant, mutavit ep. 96 *ῥυσάμεθα* in *ἱδρυσάμεθα* (n. 3), fortasse ex ep. 140,3(4) *ἱδρύσαντο*, non respecto in gemello epigrammate 97 eiusdem verbi participio *ῥυσάμενοι* (cf. § 137,1); atque ep. 137 *ἐβούλετο*, quamquam, quominus *ἐμήδετο* scriberet (n. 8), monere eum debuerat ep. 102,3.

Vehementissime grassatus est in iis epigrammatis, quorum indolem commutandam censuit. Imprimis in Dinomenis filiorum donarii ep. 141 [10]). Cum Ephoream traditionem (nobis in Schol. Pindarico, § 76, servatam) reiciendam putaret, secundum quam Carthaginiensibus ad Himeram devictis quattuor tripodes Dinomenis filii Delphos misissent, accipiendam alteram, quae nobis praesto est ex Timaeo (Diod. XI. 26) et Phania (Athen. VI. 231 e), secundum quam Gelo solus unum tripodem dedicavisset, finxit, quoniam versus primus in quo omnes laudantur Dinomenis filii aegre eliminari poterat, *unum* tripodem ab *omnibus* fratribus dedicatum (n. 15 *τὸν τρίποδ' ἀνθέμεναι* S ex *τοὺς τρίποδας θέμεναι* A). Cum autem alterum distichon praecipue demonstraret, id, quod Ephorus narraverat, Gelonem Carthaginiensibus profligatis *μὴ μόνον τοὺς Σικελιώτας ἐλευθερῶσαι ἀλλὰ καὶ τὴν Ἑλλάδα σύμπασαν*, alterum illud distichon abiciendum novumque affingendum duxit, in quo alterius traditionis ratio donarii exponeretur: in ea sermo fuisse videtur de corona aurea Damaretae Gelonis uxori a Carthaginiensibus oblata deque nummo Damareteo (cf. Tim. ap. Diod. l.l.). Viri docti, cum non agnoscerent epigrammatis traditionem, quae legitur in AP., formatam esse ex ea, quae extet in Schol. Pind., utramque in unum carmen trium distichorum conflare solebant, alii vero huius alii illius distichon primum servantes (cf. § 76 n. 93). Ep. in Pausaniam medicum demonstrativum ut videretur epigramma sepulcrale genuinum (cf. § 57 p. 125), Collector pro *φῶτ'* . . . . *ἔθρεψε* (n. 19, 20) scripsit *τόνδ'* . . . . *ἔθαψε*, qua mutatione

---

10) Fieri non potest, ut h. l. rationes, quibus nititur sententia mea de dedicationum testimoniis et infra laudatis et ceteris (Theopomp., Bacchyl.) exponam. De quibus sermo erit in parte altera h. comm., cum etiam quaestio archaeologica tractanda erit.

simul erat epanaphorae in pentametrorum exordio (v. 2 φῶτ' . . . . v. 4 φῶτας) eliminandae occasio (cf. n. 15). In epigrammatis exitu haud feliciter pro *Φερσεφόνης ἀδύτων* dedit *Φ. θαλάμων* (n. 23), qui commemorari solent in epp. in iuvenes puellasque praematura morte ante nuptias abreptos. In ep. 138 Pausanias loquens inducebatur (n. 10, 11), in Acronis epigrammate allitteratio pessumdata est (n. 24).

In dialecticis nullam certam rationem secutus est Collector atque ita est versatus, ut nunc formas traditionis A in aliam converteret dialectum nunc adeo eas formas, quae in illa non recte traderentur, intactas relinqueret. In Pausaniae ep. 138 iure formas Doricas, quae apud Thucydidem Atticae erant, revocavit [11]). In Pausaniae medici epigrammate pro *Πανσανίην* scripsit *Πανσανίαν*, in ceteris dialecto Ionica servata atque adeo invecta forma *νούσοις* (n. 22). Quamquam in epigrammatis 141 disticho altero, quod totum refinxit, Dorica usus est dialecto, formam *φημὶ* in versu primo integram in traditionem S transtulit. In ep. 96 in hiatu formam *ξένε*, quam in trad. A ex *ξεῖνε* sine elisione scripta ortam esse intellexit Wilamowitz (cf. § 34 p. 68), servavit in trad. S, quamquam in proclivi erat scribere *ξεῖν'*, quam formam ipse in epigrammatis 92 trad. A[1] praetulit lectioni A[2] *ξένε* (cf. § 44). Non casui tribuendum est, quod in ep. 91 cum in Herodoti codicibus primariis fere omnibus tum in Anth. Pal. (in quam ep. ex Sylloge propagatum, non ex Herodoto translatum est, cf. § 97), formae *Πελοποννάσου* et *τέτορες* Dorice, Ionice formae *τῇδε* et *τριηκοσίαις* praebentur; demonstrat haec res iam Collectoris aetate, exeunte saeculo quarto, apud Herodotum has formas iuxta illas extitisse [12]) [13]).

11) Quibus Hicks—Hill 16 receptis abicere tamen debuerunt alteram discrepantiam inter AP. et Thuc. obviam sc. primam personam *ὤλεσα, ἀνέθηκα*. Recte *inscriptionis* textum constituit Bergk.

12) Ex undecim Steinii codicibus primariis duo *R* et *d* tantum habent formam *πελοποννήσου* (sic), ex minoribus unus *z* *πελοποννήσου*. Apud Atticos (Diod. [Eph.], cf. § 48; Aristid., cf. § 55; inscr. CIA. II. 3111, cf. § 122,3) nimirum *-νήσου* praebetur; idem apud Planudem. Pro *τέτορες*, quominus apud illos *τέτταρες* scriberetur, obstabat metrum, id vero extat in codd. Aristideis (cf. § 61 p. 110); in autographo Planudis (Marciano) idem vocabulum in *τέτορες* correctum est. De lectione *τριακοσίοις* apud Lasc. Ir.[2] vid. § 120 p. 203.

13) Dialectum *traditionum* epigrammatum constituenti haud levis difficultas inde oritur, quod saepius cum in trad. A tum in S a librariis traditionis dialectus pessumdata est. E.g. ep. 98 in Pal. (S) exhibet *ἐλευθερίης*, apud Plut. (A) *ἐλευθερίας*, quam formam Collectorem integram recepisse docet alter traditionis S testis Favorinus (*ἐλευθερίας*). Contra in ep. 134 textus A (Plut.) vitio inquinatus est sc. *μνάματα ναυμαχίης* pro *-ας*, quod in S (Pal.) servavit Collector. — Dialectus epigrammatum ipsorum demum constitui potest, postquam in eorum originem inquisitum est. De hac re videbimus in altera huius comm. parte.

Denique monendum est Collectorem numquam — quod post ea, quae his annis de versibus primariae epigrammatis formae assutis scripta sunt [14]), suspiceris — nova disticha epigrammatis annexuisse. Semel tantum versum, quem in medio versu excidisse putabat, suo marte supplevit (n. 13).

§ 140. *Quae de textu S dicenda restent.* Origo textus S egregie illustrat, qua ratione saeculo quarto exeunte exerceretur ars critica. Praeter Collectoris coniecturas unius grammatici 'emendationem' offendimus in Simonideis sc. Chamaeleontis eamque in eodem loco (ep. 137, var. 3 *εὔχεσθαι*, cf. § 31 p. 62), quem ille quoque sollicitandum duxit.

Quoniam in decem epigrammatum textu artem criticam exercuisse Collectorem vidimus, fieri posse concedendum est, ut alia quoque epp. Simonidea ex Sylloge in Anth. Pal. vel Plan. pervenerint in textu plus minusve diverso ab eo, quem in fontibus suis repperit Collector; quorum cum traditio A perierit, periculum est, ne textu S epigrammatis alicuius pro primario habito in origine constituenda prorsus a vero aberremus. Fieri quoque potest, ut aliquando ep. aliquod lapidi incisum effodiatur in textu discrepanti ab eo, qui ex Sylloge Simonidea in nostros testes propagatus est.

Tum ex iis, quae de traditionibus A et S disserui, sequuntur haec:

1. Ad originem epigrammatum investigandam tantum traditio A (si plures traditiones A extant, A^1) est adhibenda.

2. Edentibus epigrammata traditio S ab A separanda est [15]); qui epigrammatis adicit apparatum criticum, ei secernendae sunt utriusque traditionis lectiones ab erroribus a librariis commissis.

3. Editoribus scriptorum, apud quos Simonidea laudantur, is textus recipiendus est, quo scriptor ipse usus est [16]).

4. Coniecturae ad unam omnes sunt reiciendae, quae ex condicione traditionum A atque S non intellecta prodierunt [17]).

---

14) Cf. Wilamowitzii, Wilhelmi, Schwartzii, Bormanni scripta.

15) Apud Pregerum plerumque diversae traditiones commixtae sunt.

16) Saepius in Stadtmülleri Anthologiarum ed., tum quoque in Moralium ed. Bernardakiana, in Aristidis ed. Keiliana, in Dionis Chrysostomi (Favorini) ed. Arnimiana epigrammatum textus secundum alteram traditionem correcti sunt.

17) Nonnumquam viri docti diversarum traditionum lectiones explicare conati sunt ex eiusdem vocis diversa corruptela, veluti Wilamowitz (cf. § 64 n. 40) in ep. 137 et *ἐβούλετο* (A) et *ἐμήδετο* (S) derivavit ex raro vocabulo *ἐδήλετο* non intellecto, Reiske in Emped. ep. in Pausan. v. 2 *φῶτ'* (A) ingruisse putabat ex alterius pentametri exordio in locum adverbii *τῇδ'* (Bergk *τᾷδ'*, Preger *τεῖδ'*), quod in *τόνδ'* esset corruptum in Anthol. (S); eundem in modum Bergk traditiones A^1 et A^2 epigrammatis 92 *ῥήμασι πειθόμενοι* et *πειθόμενοι νομίμοις* ortas esse finxit ex *νεύμασι πειθόμενοι*.

§ 141. *De textibus duplicibus non ad trad. S pertinentibus.* Haec epp. in duabus traditionibus sunt servata, inter quas tamen condicio A ∾ S non intercedit:

1. Ep. 150, quod in Syll. Sim. non extabat, in lapide (§ 41, 2) uno disticho absolutum est, in AP. autem VI. 144 et 213* interpolatione in Anth. Ceph. demum facta altero disticho auctum est. Cf. § 91.

2. Ep. 90, quod ex falsa interpretatione loci Aristidei (§ 55) Simonideo nomine ornatum tradi vulgo putant, ego vero in Sylloge iam affuisse existimo (§ 134), in antiquiore forma (A^1) legitur apud Lycurgum, in recentiore (A^2) in Scholiis Aristideis atque apud Suidam, quam rursus paululum immutatam exhibet Aristides (A^3). Cf. § 59.

3. Ep. 97, cuius trad. A traditioni S similis est, apud Aristidem duorum distichorum additamento adauctum invenitur, cf. § 61.

4. Ep. 129. Iuxta formam, quam in Syllogen recepit Collector, extat recentior apud Schol. Arist., quam natam esse vidimus § 58 in scriptis Stoicis.

5. Ep. 132, quod loco Aristideo freti (§ 55) inter Simonidea rettulerunt viri docti, quod tamen in Syllogen receptum fuisse vero haud dissimile est (§ 135), in lapide vetustiore versuum habet ordinem 3. 2. 1. 4 (A^1), in recentiore atque in traditione litteraria 1. 2. 3. 4 (A^2). Cf. § 41, 4.

6. Ep. 109 in AP. bis titulo *Σιμωνίδου* C ornatum extat in textu diverso (P^1 = VII. 270, P^2 = 650*). Planudem (III^a. 19. 8) recepisse P^1 docent epp. apud eum praecedentia AP. VII. 263—269. Eius textus quoque plane cum P^1 convenit, nisi quod cum P^2 habet *Φοίβῳ ἄγοντας;* qua de causa lectionem P^1 *Φοίβ' ἀγαγόντας* post Cephalam ex hiatus eliminandi studio ortam esse constituendum videtur. P^1 igitur audit:

τούσδε ποτ' ἐκ Σπάρτας ἀκροθίνια Φοίβῳ ἄγοντας
ἓν πέλαγος, μία νύξ, ἓν σκάφος ἐκτέρισεν,

P^2 autem:

τούσδ' ἀπὸ Τυρρήνων ἀκροθίνια Φοίβῳ ἄγοντας
ἓν πέλαγος, μία ναῦς, εἷς τάφος ἐκτέρισεν.

Quemadmodum apertum est alterutrum ep. alterutri fundamento fuisse, sic comparatis versibus minoribus cuiquam incertum esse nequit, utrum fuerit primarium. Auctor P^1 dixit idem mare, eandem noctem, eandem navem sepelivisse naufragos. Quae sententia, qualiscumque est, potest intellegi. Quod autem legitur in P^2, sepulcrum naufragos sepelivisse, id non minus corrigentis manum prodit, quam vox *ναῦς* pro *νύξ* scripta et particula *ποτὲ* epigrammatum propria (cf. § 122 n. 161) eliminata.

Inter utramque formam non ea adesse potest condicio, ut P^1 traditioni A, P^2 traditioni S respondere videatur. Nam utrique Simonidis auctoritas est adiecta neque Collector iuxta traditionem S in Syllogen recepit traditionem A. Qua de causa constituendum videtur deberi P^2 interpolatori, qui ep. P^1 in textu a se mutato alio loco repetivit [18]. Fortasse idem est interpolator, qui epigrammati 150 utroque loco (VI. 144 et 213*) annexuit in Anthologia Cephalana distichon alterum (§ 91 p. 161).

---

18) Bergk traditionem utramque commiscuit.

CAPUT V.

TRADITIONIS EPIGRAMMATUM SIMONIDEORUM CONSPECTUS.

§ 142. *De titulorum Simonideorum origine atque aetate.* Iis, quibus Simonides floruit, temporibus *litteraria* epigrammatica poesis nondum colebatur. Si qua a poetis lyricis condebantur elegia (*ἐλεγεῖα*) unius paucorumve distichorum, — qualia carmina posteriores *ἐπιγράμματα* vocaverunt —, ea lapidi destinata erant subministrabanturque sive gratis sive pecunia pacta donariorum cipporumque dedicatori, cuius unius nomen cum inscriptione (*ἐπιγράμματι* vel *ἐπιγραφῇ*) coniungi poterat poetae auctoritate prorsus neglecta. Itaque etiamsi Simonidem apud aequales eximiae artis epigrammaticae opinione fructum esse constituendum est, nullum eius 'epigramma' tradi potuit eius auctoritate instructum (§ 19 sqq.).

Quod autem postea complura epigrammata legebantur Simonidis nomine ornata, ei causae praecipue tribuendum est, quod saeculo quarto exeunte grammaticus quidam Peripateticae Scholae, ut videtur, assecla collectionem instituit epigrammatum potissimum apud scriptores obviorum, quae propter argumentum vel propter indolem Simonidi ascribi posse videbantur (§§ 37, 135). Haec 'Sylloge Simonidea' a Meleagro excerpta est atque in Coronam recepta; in cuius fragmentis denuo excerpta transiit cum in Anthologiam Cephalanam (Palatinam) tum in Anthologiam Planudeam (§ 38).

In florilegiis autem illis Simonidea epp. et librariorum excerptorumque erroribus, quales sunt pravae continuationes (e.g. ep. 179, cf. § 100), transpositiones (e.g. ep. 150, cf. § 91), omissiones (cf. § 92), confusiones nominum Simonideo assimilium (cf. § 82 n. 103), Mnasalcae imitationes Simonideae Simonidi attributae (§ 125 sqq.), et coniecturis (cf. § 92) atque interpolationibus [1]) hanc in aliorum poetarum epigrammatis exercuerunt

---

1) Praeter interpolationes singulorum distichorum (§ 91) atque unius epigrammatis paululum immutati repetitionem (§ 141,6), quae post Cephalam factae

vim, ut complura aliena epp., i. e. non ex Sylloge Simonidea oriunda, Simonideam auctoritatem adepta sint.

Sed praeter Collectoris vindicias Simonideas aliis quoque viis epigrammatis nonnumquam Simonides auctor appositus est. Iam ante Collectorem Aristoteles Simonidem coniunxit cum Archedicae epigrammate 111 (§ 37), eique tribuerunt Naxii Chronici auctores carmen in Naxium ducem Democritum 136 (§ 49). Periegetae in inscriptionum collectionibus de coniectura Simonidis auctoritatem uni alterive epigrammati apposuerunt (§ 54, 97). Paegnia quoque quaedam nostro attributa pro epigrammatis eius habita sunt (§ 68 sq.).

Valde igitur diversi sunt et aetate et genere tituli epigrammatum Simonideorum. Quoniam autem testimonium quodcumque de Simonidea cuiusvis epigrammatis auctoritate nitatur necesse est coniectura, ne omnium quidem vetustissimus titulus nobis probare potest epigramma revera Simonidi deberi. Certo vero Simonidem novimus auctorem epigrammatum Thermopylensium cum trium in Peloponnesios, in Spartiatas, in Megistiam (91, 92, 94), tum duorum, quae in Spartana pugnae traditione, Herodoti fonte, non tradebantur, in Thespienses atque in Thebanos, Simonidem enim Megistiae inscriptionis dedicatorem, cippi vero Amphictyones fuisse constat (§ 11).

§ 143. *De traditionibus A atque S.* Ii scriptores (Herodotus, Thucydides, *Ephorus*, alii, cf. § 134), ex quibus Collector petivit epigrammata anonyma (de duobus epp. Empedocleis cf. § 75), ipsi nitebantur traditionibus antiquioribus, quae primitus exiguis finibus certisque locis continebantur; qualis traditio vigebat apud Spartanos de epigrammatis Thermopylensibus (§ 14—17), apud Corinthios de epp. Corinthiacis (§ 29).

Simonideorum epigrammatum traditio igitur dividitur in aetates sex, quae quinque his momentis distinguuntur:

I
} Epigrammatum trad. singulae a scriptoribus recipiuntur (A).
II
} Collector ea ex script. assumit in Syllogen *Simonideam* (S).
III
} Sylloge Simonidea excerpta transit in Meleagri Coronam (S).
IV
} Meleagreae Coronae fragmentum pervenit in Anth. Ceph. (S).
V
} Anthologia Cephalana transfertur in Anth. Palatinam (S).
VI

(Coronae Meleagreae fragmentum etiam receptum est in Anthologiam Planudis, qui etiam Anth. Cephalana usus est.)

esse videntur, aliud extare mihi videtur interpolationis genus, qua tota carmina ex frustulis memoriisque epigrammatum vicinorum composita Coronae Meleagreae inserta sunt, sc. epp. Simon. 114 (AP. VII. 496) et 119 (AP. VII. 510 = Plan. III^{b}. 9. 22), de quibus vid. alt. h. comm. p.

Pauca admodum ex epigrammatis Simonideis per aetates illas cunctas persequi licet, veluti ex Thermopylensibus duo (91 et 92, de ep. 94 vid. infra), ex Corinthiacis tria (97, 98, 134, de ep. 137 et 96 vid. infra). Complura enim epigrammata in Anthologiis obvia post Meleagrum demum auctoritatem Simonideam nancta sunt (vid. § praeced.), contra ex epigrammatis 34, quae Syllogae Simonideae adiudicavimus (§ 133), 24 tantum in ipsius Sylloges fragmentis Anthologiarum Palatinae vel Planudeae inveniuntur (epp. 89 et 149 unice in Plan.); ex reliquis epigrammatis *decem*:

1) *duo* (epp. 111 et 94 [cf. tamen § 99,12]) in trad. A unice servata sunt, in qua iam cum Simonidis nomine coniungebantur (cf. §§ 2, 9 sq.; §§ 22, 37); ea in Syll. affuisse constat, quod et Collector locis ubi leguntur usus est (§ 135) et Mnasalcas ea in Syll. legisse videtur (§ 127; § 129).

2) *tria* supersunt apud scriptores, qui Sylloge usi sunt: ep. 137 in Syll. legit Timaeus, ex quo et fluxit in Plutarchum et in Chamaeleontem atque Athenaeum (§ 31 sq.), ep. 163 Aristophanes Byzantius ab Eustathio laudatus (§§ 22, 37, 116), ep. 166 Aristodemus in Scholiis Pindaricis allatus (§ 77) [2].

3) *quinque* denique persequi possumus usque ad eos, qui Coronam Meleagream adhibuerunt [3]: ex illa Favorinus (§ 53) hausit ep. 96 (cui inter ep. 92 et 97 locus fuisse videtur, cf. § 101), Helladius (§ 40), pontifex Megarensis ep. 107 (quod in Syll. ipsa a Mnasalca lectum est, cf. § 129), Hephaestio ep. 131 (§ 54), Diogenes Laertius ep. Acronis (§ 72 sqq.); auctor inscriptionis choregicae CIA. III. 82 *a* p. 484 ep. 147 invenit medium inter epp. 145 et 150 (§ 91 p. 153).

Praeter haec epp., quae Syllogae vindicanda erant, alia sunt, quae in Corona Meleagrea ut Simonidea lecta sunt, ad Syllogen ipsam vero referri nequeunt; quaedam ex iis non ex Sylloge manasse vel a Meleagro alio titulo munita recepta esse certum est. Pollux in Corona invenit ep. 130 (§ 67, meo iudicio a Meleagro ex Simmiae sylloge petitum, § 82 n. 103), Herodianus (§ 64, cf. addend.) epp. 165, 148 (= AP. XIII. 28) a Mel. ex inscriptionum sylloge haustum, ep. 159 (quod apud Ps.-Tryphonem obvium ex Hero-

---

2) Sola haec tria epp. in Sylloge ipsa a scriptoribus lecta esse scimus. Casu accidit, quod ipsa haec epp. in Sylloges fragmentis non inveniuntur.

3) *Decem* epp., quae in Sylloge Sim. extitisse constat, ex qua per Mel. Coronam in Anth. Ceph. fluxerunt, insuper inventa esse scimus in Corona, sc. a Pausania epp. 138, 140, 160 (§ 65 sq.), a Favorino ep. 98 (§ 53): a Scholiasta Aristidis epp. 97, 100, 101, 142 (§ 57), ab auctore inscriptionis Cretensis BCH. XIII. 59 epp. 99 et 108 (§ 131).

diano fluxisse videtur, cf. § 113), Hephaestio ep. 188 (§ 54, quod a Meleagro ἀδέσποτον receptum ex vicinia inscriptionum consimilium traxit nomen Simonidis), Pausanias ep. 152 (§ 65), Diogenes Laertius ep. 157 (§ 72), Cephalas ep. 178 (§ 90, a Meleagro ex Asclepiadis Hedyli Posidippi Soro arcessitum). His addi licet ep. 128 = AP. VII. 516 auctoribus inscriptionum in insula Co atque Panticapaei inventarum ex Corona, ut videtur, notum (§ 131,1 et 2); ep. 133 = app. Plan. 232, quod Meleager ipse imitatus esse videtur (§ 131 n. 168). Ea epp., quibus nullam huius rei notam addidi, an Meleagro iam Simonidea fuerint, incertum est.

Quamquam Collector ex scriptoribus epigrammata anonyma (trad. A) petiverat atque in Syllogen Simonideam transtulerat (trad. S), *traditio illa A semper mansit iuxta traditionem S*; atque ex illa propagabantur epigrammata anonyma in eos scriptores, qui antiquioribus scriptoribus illis usi sunt.

§ 144. *De historia textus.* Complures mutationes, quibus epigrammatum textus obnoxius fuit, cohaerent cum ipso epigrammatum transitu ex traditione A in traditionem S (§ 136 sqq.). Sunt vero, quarum alia sit origo. Nonnulla epp. iam antequam transierunt in scriptores additamentis aucta sunt (ep. 96 Corinthiacum, § 34, et sine dubio ep. 107 Megarense, § 137 n. 8), alia in traditione populari immutata sunt (ep. 92, § 43 sqq.; ep. 142, § 60; ep. 129 in trad. S § 58), alia interpolatione (ep. 150, § 91; ep. 109, § 141,6), alia neglegentia scriptorum, potissimum Aristidis (ep. 97, § 61; ep. 142, § 60), alia iam corruptelis inquinata in Collectoris fontibus legebantur (ep. 140, § 137,3; ep. 134, § 139), multorum denique epigrammatum textus cum in scriptorum, qui traditionem A repraesentant, manuscriptis, tum in fragmentis Sylloges (in Mel. Cor., Anth. Ceph., Anth. Pal. obviis) vel in eorum scriptorum, qui fragmentis illis usi sunt, codicibus, librariorum culpa corruptus est.

§ 145. *De epigrammatum Simonideorum usu.* Sylloge Simonidea admodum paucis fuit familiaris neque vix ullum reliquisset vestigium, nisi Meleager, cum partem eius dimitteret, eam servavisset. Praeter Timaeum (ep. 137), Aristophanem Byzantium (ep. 163), Aristodemum (ep. 166) nullum novimus scriptorem, a quo Sylloge usurpata sit, neque adeo Chamaeleonti, auctori libri de Simonide, illa nota fuisse videtur. Epigrammatici poetae Alexandrini praeter Mnasalcam, cuius poesis ea ipsa de causa *τᾶς Σιμωνίδα πλάθας ἀποσπάραγμα* vocata est, eam non magis respexerunt quam Pepli auctor. Ignoramus num apud Alexandrinos grammaticos de Simonideis epigrammatis extiterit iudicium, quod

Sylloges epigrammatis inniteretur. Unicus locus, ubi de eorum indole sermo est, legitur apud scriptorem (Aristidem, § 132), qui ipse neque Sylloges neque Coronae Meleagreae notitiam habuit nitique videtur loco Aristoteleo.

Innotuerunt demum hominibus Sylloges epigrammata, postquam a Meleagro una cum aliorum poetarum syllogarum fragmentis in Corona composita sunt. Tum Simonidea epp. laudata inveniuntur apud Favorinum (§ 53), Hephaestionem (§ 54), Herodianum (§ 64, ad quem rursus recurrere videntur versus Simonidei laudati vel respecti apud Stephanum Byzantium, Ps.-Tryphonem, in Etymologico Magno, cf. §§ 64 add., 113, 127 n. 165), Pausaniam (§ 65), Pollucem (§ 67), Diogenem Laertium (§ 72 sq.), Scholiastam Aristidis (§ 57); Helladius ex Corona petitum ep. Megarense (107) lapidi insculpi iussit (§ 40), ex ea inscriptionum auctores imitandi copiam arcessiverunt (§ 131). Nam vulgatissimus liber erat Corona Meleagrea, quae ipsa unice propter Byzantinorum excerpendi furorem periit. Attamen vel sic sunt scriptores, qui Simonidea, quae laudent, non ei debeant, sc. Diodorus, qui traditionem A Ephori, auctoris sui, sequitur, Plutarchus, qui epigrammata exhibet ea traditione, quam apud auctores suos invenit, Aristides, qui epigrammata recordatur ex scriptore historico traditionem A repraesentanti.

Quod apud aetatis demum Romanae scriptores epigrammata Simonidis nomine ornata comparent, id iam Junghahn, a cuius scriptione Simonideae quaestionis tractatio profecta est, p. 40 miratus est; atque cum haec res tum altera, quod complura illorum epigrammatum etiam anonyma inveniuntur, Kaibelium Wilamowitziumque movit, ut Simonidem 'epigrammaticum' posteriorum commentis debitum censerent.

Verum num Simonidis ars epigrammatica revera fuerit singularis — eum iam ante Collectorem eius rei fama gavisum esse iam apparuit (§ 132) —, num eius epigrammatica poesis vim addiderit Graecae epigrammaticae poeseos progressui, harum quaestionum tractatio prorsus secernenda est ab epigrammatum Simonideorum traditorum aestimatione.

§ 146. *Quid in altera huius comm. parte de Simonide epigrammatico constituatur.* Quaestiones, quas in praecedentis § fine commemoravi, alteri huius commentationis parti, de cuius consilio iam dixi § 20 p. 32 sqq. reservandae sunt. In ea autem lectoribus me persuasurum esse spero Simonidem revera et fuisse summae artis epigrammaticum poetam et floruisse apud aequales summa poetae epigrammatici laude; quam ei viri clarissimi Kaibel atque Wilamowitz iniuria denegaverunt, cum epigrammata fere

omnia, quae in traditione cum Simonide coniuncta sint, ei adimenda esse intellegerent. Etenim non solum iam vidimus Simonidem ab Amphictyonibus fuisse invitatum, ut in heroum Thermopylensium memoriam epigrammata sepulcralia conderet (§ 11), Simonidisque epigrammatici famam viguisse apud posteros (§ 132), sed etiam apparebit in alt. h. comm. p. Thermopylensium epigrammatum artem magnopere praestare sexti quintique saeculi epigrammatis vulgaribus atque indiciis a traditione vero prorsus alienis designari posse inter epigrammata, quae ad Syllogen Simonideam rettulerimus, epigrammata quaedam, quae quamquam propter antiquam epigrammatis condicionem anonyma Collectoris fontibus atque Collectori ipsi tradita sint, tamen, ut Thermopylensia epp., ipsi Simonidi deberi valde sit probabile. In epigrammatum autem copia, quae a Collectore in Syllogen Simonideam recepta est, iam tria genera diversa aderant sc.:

1) epp. perpauca a Simonide ipso condita (e. g. epp. Thermopylensia [91, 92, 94]);
2) epp. genuina, quae lapidi quidem inscripta, sed a Simonide aliena erant (e. g. epp. 98, 105, 108, 134, 138);
3) epp. demonstrativa, quae ne marmori quidem incisa fuerunt (e. g. epp. 141, 142).

Epigrammata autem Simonidea, quae primo generi adiudicanda mihi videntur praeter tria epp. Thermopylensia, sunt *octo* haec: epp. tria ex Corinthiacis (96 in forma A^1, 97 in unius distichi ambitu, 137 in forma A), ep. Tegeaticum 102, ep. Megarense 107 (in forma A^1 unius distichi, cf. § 137 n. 8), epp. duo epinicia in Simonidis ipsius victorias cyclicas 145 et 147, ep. in Theogneti pueri Aeginetae victoriam 149.

INDICES.

[Numeri maiores paginas, minores notas respiciunt.]

I. INDEX EPIGRAMMATUM.

(Epigrammatum numeri Bergkiani; cf. praeterea § 39 n. 1.)

II. INDEX RERUM.

(Supplementum Summarii et Capitis V.)

III. INDEX LOCORUM PRAECIPUORUM.

(Non recepta sunt epigrammatum Simonideorum testimonia tractata.)

---

3 2044 024 283 038

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 (617) 495-2413

WIDENER
SEP 11 1995
CANCELLED

WIDENER
SEP 10 1999
APR 28 1999
BOOK DUE
CANCELLED

WIDENER
JAN 2 200
DEC 13 2000
CANCELLED
BOOK DUE